

Regn 1835 Condi

XLII. E. 1.

ió Commenta-
Gallico, cum
Arbeum, etc. cum
rum, etc. cum
Alexandrino

M. TVLLII CICERONIS orationes:

PRO LEGE MANILIA.
PRO S. ROSCIO.
CATILINARIÆ QVATVOR.
ANTEQVAM IRET IN EXILIVM.
POST REDITVM IN SENATV.
NONA PHILIPPICA.
PRO MARCO MARCELLO.


ADAMI ROMERII STEZICIENSIS, Præpositi S. Nicolai Crac. commentarijs illustratæ.

Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

CRACOVIÆ,
In Officina Nicolai Lobij.
Anno M. D C X.

2.435

IN INSIGNIA
ILLVSTRISSIMI AC
REVERENDISSIMI D.D. PETRI
TYLICZKI EPISCOPI CRACOVIEN.
DVCIS SEVERIEN.



Crux micat in solea, crux fulget, & altera sursum:
At soleam cinxit, fulta tiara pedo.
In solea, infractas vires ad magna Tilicî:
In cruce spectato religionis opes.
Magna senator agit, patriæ dum commoda curat:
Plurima pastor agit, dum bene pascit oues.

Conuent. Prem. ad
I. Ank. Fr. Reformatorum
Thomas Vrsinus.

XVII-954-II

AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM D. D. PETRVM TILYCIVM EPISCOPVM Cracouieñ: Ducem Seuerieñ: virum omni genere laudis prædicandum.

ADAMVS ROMERIVS STEZICIENSIS.

QVM per sex & viginti ante actos annos, me totum variorum lectioni authorum, professionique scientiarum, primo humanarum, deinde diuinarum tradidissem, & consecrassem: istudq; curriculum in literis transegissem: vt tandem aliquando ea, quæ verbis, tum publice proferendo: tum priuatim in angulo discipulis meis dictitando; liceret posteritatis memoriæ, literarum monumentis commendare, optabam, & à Deo immortali precabar. Illustrissime ac Reuerendissime Præsul. Quod votum animi mei, spemq; ac consilium meum, variæ innumeræq; occupationes hucusque impediuerunt. Videbam ergo me id nequaquam posse consequi, donec locum, conditionemque vitæ meæ cõmutassem: atq; ex tanta tempestate molestiarũ me exoluissem & eliberassem, & in aliquem alium locum me recepissem, quò tuto & tranquilla mente, ea, quæ per tot annos, summo

labore, & diligentia, in codicillis meis adnotaui, in publicum proferrem: ita vt neque labores mei, præmio sibi debito priuarentur, neq; maiorum meorum, qui me non in turpi otio, sed in honestis laboribus, vigiliisq; transacturũ vitam hãc diuinabant, expectatio frustraretur. Concessum ergo mihi tandem aliquando est illud, cuius desiderio flagrabam; iam arripio otium, tanquam diuturnam sitim explere cupiens. En passer solitarius sibi domum inuenit, & turtur iampridem parturiens, obtinuit nidum, in quo fœtus, in animo suo conceptos, pareret: en agricola, post molestias, falcem suam ad messem exacuit, iam liber à turba hominum molestissima. Cohibere manum à calamo, quam aliquid scribere: silere hucusq; vtilius fuisse iudicaui, quam loqui: tanquam mea vox per tantos tumultus exaudiri non posset. Nam si vera locutus est Ecclesiasticus, verba sapientum in quiete audiri: plurimum abest, vt in illo statu rerum, de ijs loqui, vel scribere conueniret. Me vero etiam illud Prophetìcum dictum reprimebat. Intelligens in tempore illo tacebit, in quo alij quidem supplantant, alij vero insultant lapso, alij vero dominantur: cæterum qui lapso manum porrigat, nullus est. At nunc tempus est, vt loquar, calamumq; ad scribendum temperem, & temperatum pumicè teram, manumque a-

que aptem literis. Quod quidem mihi eueniſſe gaudeo, & vigili aſſiduæq; lectioni meæ gratulor, à Deoq; immortali precor, vt hæc conditionis mutatio, mihi, reiq; literariæ, eccleſiæque ſanctæ, benè ac fœliciter cedat. Cum itaque votis meis frui, fœtuſque ingenii mei in lucem ædere, & laborum meorum manipulos colligere cupio: deliberanti mihi, & diligenti cogitatione reuoluenti, vnde orditi me oporteret, an à ſacra ſcientia, cuius non ſolum ſcripturæ canonicæ, verum etiam ſanctorum patrum, ab Eccleſia receptorum, itinera mihi diligenti ſtudio, & exercitatione, nota quodam modo effeci: an à literis prophanis, quibus olim dies noctesque impalleſcebam. Rationes fortiores pro his quæ ſecundo loco poſitæ erant, perſuadere mihi videbantur. Vel vt negotium quondam ſaltem inchoatum, nec dum in opus deductum, prius continuarem, vt exercitij cauſa, aliquid ad profectum in eloquentia iuuentuti perutile, ſcriberem. Optimi enim fore auſpicij putabam, ſi huiusmodi monumentis, primitias mei otij, conſecrarem: facturumq; rem conuenientiſſimam, voto, & inſtituto meo, ſi non minus operæ, & diligentiæ in humanitatis ſtudiis docendo ſuſciperem, quam ſancti Patres, columnæ Eccleſiæ, clariſſimi & doctiſſimi viri olim fecerunt, & noſtris ſæculis nonnulli faciunt, qui ab humanitatis ſtu-

nis ſtudijs, ad diuina & cœleſtia myſteria, viam ingrediuntur. Ego itaq; & ſi viris illis ingenio, doctrina, ſtudio, longè ſim inferior, nullaq; his ratione conferendus: nihil tamẽ mihi minus integrũ exiſtimaui, quam ſi repentè, omiſſis imis, ad ſumma euolarẽ. Vel vt more magnorum virorum, doctiſſimos quoſq; prius conuenirẽ, & limina eorũ tererem, audiendo, interrogando, & proinde ex ſapientia aliorum, me tanquã in ſpeculo quodam contemplarer, & nihil cito & præpropere facerem. Porro ante decem ſeptem annos ſcripſi de informãdo oratore, vbi omnia quæ cunq; audiui, legi, & mea induſtria, ingenioq; aſſecutus ſum, auditoribus eloquentiæ effudi: quibus quidem pollicitus ſum, aliquot exemplaria, & normas ex Tullianis orationibus aliquando me in publicũ prolaturum: ex quibus quid, quo loco, & quomodo dicere debeat orator, ſtudioſus eloquentiæ facile perſpiceret: atque ita nunc iam exemplis, qui olim præceptis imbutus ſtudioſus, ſtylum optimum dicendi Magiſtrum, ſibi familiarem redderet. Eoque facilius id aggreſſus ſum, quod in eiuſmodi interpretationis negotio, cum vtilitate multorum, me elaboraturum ſperabam. Cum enim præceptorum multitudo faſtidium pariat mortalium pleriſq;, qui, vel hebetis ingenij ſunt, vel ignaui ſocordiam diligunt, vel immodicis huius vitæ

curis

curis implicantur, vel hebetudine, & insciti a præpediuntur: ideo operæ precium visum est, re secare multi loquij remoramenta, & in arctum redigere varias, prolixasq; aliorum interpretationes: vt ad eloquentiæ studium etiam plurimum desides allecti, magnam promptitudinem, & alacritatem præseferant: ea de causa explicationes has, nullis verborum nominumue fucis, & lenocinijs volui illustrare, sed huiusmodi nominibus vti, quæ cuiq; captu facilia sint. & quantum fieri potest, omissa prolixitate apparatus, & studia excitent supinorum oscitantiumque auditorum: quo & hæc quæ explicanda duximus, facile & sine labore intelligant, & quæ apprehendunt fideliter memoria retineant: & ad reliqua alia, de quibus aliquando illis, vel in templis, vel in senatu, vel ad populum declamandum sit, parati sint ac instructi. Has ego commentationes meas, quoniam non nulli olim non in eruditi dignas iuuentutis lectioni ducebant, otium nactus, relegi, recognoui; & additis quibusdam, quibusdam vero detractis, non nullis mutatis, in tuo numine, Illustrissime præsul in lucem protuli. Æquum enim & congruum iudicabam, vt mea studia sub eius patrocinio conquiescerent cuius insignis probitas, quæ oratorẽ maxime cõmendat, prudentia singularis, varia rũ rerũ cognitio, animus sapientissimus

sententijs informatus, lingua grauissimis verbis, splendida & perpolita oratione instructa, cuius animus totus in eo est, vt literarum Rempub. florentem, beatam, & ipse videat, & posteris suis relinquat. Nactus sum campum in quo ingenij mei frena laxarem, celebrando virtutes tuas, Vir omnium Præclarissime, qui eos quos iuxta te habes, omnibus simul humanis bonis excellis, qui es sulcimentum patriæ, Ecclesiarum decus, columna & firmamentum veræ religionis, & robur eius, quæ in Christum est fidei, tuorum munimentum, aduersariis nullis prorsus expugnabilis machinis, custos rituum paternorum, inimicus nouandarum rerum studio: qui in te ipso visendam priscam Episcopalis dignitatis formam, velut ad sacram quandam veteris status imaginem, Ecclesiæ tibi commissæ faciem effingis: ita vt cum illis uixisse videaris, qui ante mille annos, & vltra, instar luminarium resplenduerunt. Videbant hoc multo ante Serenissimi Principes, Stephanus primus, & Sigismundus tertius, nunc felicitèr, & vtinam diu nobis regnans, qui te ob eximiam prudentiam, sapientiam, eruditionẽ, quam tu apud Oratores, Poëtas, Historicos, Philosophos & Iurisconsultos, summo studio ac pertinaci labore, acquisiuisti, & quasi ex Ægyptiis, atq; exoticis opibus, incomparabilẽ

tibi the-

tibi thesaurum corradens, quem postea, ad Dei templi dignitatem, maiestatemque ampliandam, esses exprompturus, ad se vocauerunt: vt in consiliis, ac grauissimarum rerum disceptationibus, operam sibi nauares: rati nihil tam egregium, nihil tam magnificum in te conferri posse, quod non tua virtus superaret. Tibi Serenissimus Sigismundus Tertius, detulit munus Secretarij magni, & posthac Procancellarium regni omnium expectatione, & applausu te esse voluit: Opus hic erat viro insigni, qui & prudentia, & vsu rerum præstans, turbata componeret, nutantia sustineret, pacata in quiete ac tranquillitate conseruaret. In cuius muneris administratione, cum fidei, ac prudentiæ tuæ, multa ac præclara documenta, cum summa æquitatis laude dedisses; sermone, sententia, expeditoque consilio, supra quam dici possit admirabilis: singulis rebus, salutaria remedia celerrimè adferens: ita te comparabas, vt nunquam dignitatem aliquam videreris consecutus ita amplissimam, quin maiore semper & ampliore dignus habearis. Itaque fieri non potuit, vt tam singularis virtus, ac præclarum lumen, diu terennis, ac forensibus rebus, tanquã sub modio esset absconditum; Ponendum erat, super candelabrum, in summo, atque eminenti Ecclesiasticæ dignitatis fastigio: vt eius clari-

tate atq; splendore, errorum caligo, longè late q; profligaretur. Vnde nulla tua ambitione, nulla cupiditate laudis, & terrenarum diuitiarum, positus super candelabrum, lucebas in Episcopatu Culmensi, posthac Varmiensi, simulq; & Procancellarius regni factus, tandem Cuiauiensi, ac postremo luces in Ecclesia Cracouiensi, per gradus ritè & ordinatè ascendendo. Quid mirum si his gradibus progressum feceris? qui vbiq; sedulam dedisti operam, ne quid deesset tibi ad perfectam, absolutamq; muneris functionem, atq; ita effeceris, vt te cæteris nostræ ætatis Episcopis præstantiorem, & planè cum illis, quorũ memoriã, & laudẽ seruant sæcula cõparandum, omnes & censeamus & prædicemus: ac nisi mentiri quis velit, & verba contra quam sentit facere (quod non hominis grauis & veri sed assentatoris est) te quis q; adeò religione, pietate, & multarũ rerum experientia cæteris antecellere affirmauerit: vt non cui te comparet, quærat: sed cuius vnius exemplo, cæteros omnes, ad præclarã virtutem hortetur, & moneat. Quis enim ex tot Pontificibus te pietate insignior? Quis diuini cultus obseruantior? Quis ordinẽ sacerdotũ sibi deuinxit familiarius? Quis sæcularium hominum statum sibi reddidit beneuolentiorem? Quis plura suæ prudentiæ reliquit monumenta? Quis autem acutius de rebus diuinis polytis

cisue

cisue aut subtilius potest disserere? Non tu desysti esse Episcopus Culmeñ: non Varmieñ: Cuiauieñ: vbi tu es Episcopus, etiam post Episcopatum: alio enim modo quã vulgus solet, de rebus iudicamus: quoniã virtutes omnes quæ pontifice dignæ sunt cõplexu tuo tenes: pleriq; enim ex his, qui sublimibus thronis insident, apud me humi iacent: nimirũ quos manus humiles, & abiectos efficit, seruosq; eorũ quib. præsunt. Permulti rursus alti & sublimes quamuis inferiori loco, atq; ordine sint, nempe quos virtus in alto collocat, ac maioribus honoribus dignos reddit. Tu itaq; ob tuas virtutes nõ sine desiderio ab ijs, quorũ Pastor, immo Pater fuisti discesseras, multas ab ijs tecum opes efferens, nimirum bonam existimationem, & quod in omnium animis inscriptus, atq; incisus es huiusmodi colũnis, quæ nõ facile moueri possũt: excipient (crede mihi) memoriã tui omnes anni sequẽtes. Meritò sane te Deus omnipotẽs in supremo ferè gradu dignitatis Ecclesiasticæ, in Regno Poloniæ collocauit. Volebat enim fortissimũ & in expugnabile propugnaculum erigi contra faciem Damasci, contra Hæreticorum prædurã & acerbam sæuitiã: volebat talẽ virum in eum locum substitui, qui afflictæ tunc pietati, & cadenti religionis ruinæ, quasi manum dorsumq; apponeret, subueniretq; ope, & cõsilio patriæ, ijsce temporibus afflictæ, cuius nõ multò ante deformis ac miseranda

erat

erat facies, cum intestinis discordiis omnia essent discissa, cumq; distracta, atque diuulsa à se membra: non solum vires atque robur omne, sed speciem quoque, & vitam ipsam amiserunt. Quare opus erat eximio, & insigni artifice, qui prostrata erigeret, disiuncta coniungeret, expoliret deformia, & mortuis vitam spiritumq; conferret: qui efficaci linguæ facundia, animoque, magno rerum vsu, & exacta prudentia instructus, turbulentos Reipub. fluctus, & excitatæ seditionis incendium, virtute, atque autho ritate reprimeret. Non tu ex illis es, qui iuxta Propheticam Paræmiam liniunt parietem absque temperamento: qui consuunt pului llos, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia, sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendos animos: sed in spiritu & virtute Heliæ, peccantes constantissimè arguens, nullius fauorem expetens, nec timens offensam. Nequaquam oculos tuos radiantis purpuræ fulgor perstringit, non diadema, auro, gemmisque intertextum mouet, non armatorum militum deterret strepitus, nimirum qui scias hæc vmbræ, fumoque esse similia, qui simul ac comparuerit, statim euanescit ac perit. Habes vt pote pastor, quemadmodum ille Euangelicus Samaritanus, vinum & oleū: alterum quod morderet, alterum quod leniret. Verè te successorem esse probas

Gedeonis,

Gedeonis, Nankeri. Grotonis, Olesnicij, infus per S. Stanislai Martyris: idque non solum honore, sed etiam virtute, cura & solicitudine: Benedicta senectus tua, in qua ad summam dignitatem in Ecclesia Cracouien. maturo iam probatus virtutum stipendio, euectus es, ad quam quidem dignitatem venisti, tanquam Dauid ad pacem Domini reformandam, venisti tanquam illa nauis, aurum secum intelligibile vehens, & ligna cedrina, & lapides pretiosos, vt illas columbæ pennas deargentatas, quibus medias inter sortes, somno pacis & tranquillitatis sopore dormiuisti. Est enim iustorum etiam somnus operarius, secundum quod scriptum est. Ego dormio & cor meum vigilat. Cantico-rū cap. 5. *Et secundum quod Iacob sanctus, diuina videbat mysteria, quæ vigilans non viderat, de cælo ad terras, aërem peruium sanctis, respicientem Dominū, & pollicentem terræ eius possessionē.* Genesis cap. 28. *Senectus tua illa venerabilis, quæ nō canis tantūmodo, sed meritis quoq; albescit. hæc reuerenda canicies, quæ est canicies animæ, in canis cogitationibus & operibus effulgens. Quæ est enim uerè ætas senectutis, nisi uita immaculata, quæ non diebus, aut mensibus sed sæculis propagatur: cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas: quo enim diuturnior, eo fortior: & qui diutius eam vitam vixerit, in*

virum

virum perfectum excrescit. Vnde licet hac ætate matura sis, ita tamen percurris, perlustras omnia loca ouilis tui cursu frequenti, visitando, corrigendo, reformando, vt iuniores te non possint consequi, ita nusquam heres, nusquam te torques, nusquam à cæpta via, ceu fessus viator declinas. Quocirca sacrosancta sedes Apostolica, tibi id negotij cõmisit, vt studia in Academia Cracouien: quo ordine, quaue dexteritate & felicitate, tum profitentium tum audientium succedant introspicias, qui scis & possis portare infirmos, confortare pigros, somnolẽtos excitare, improuidos & obliuiosos cõmonere, rebelles & contumaces refrenare. Spes in te vno est, quod Academiã huius inclyti Regni, quondam celeberrimam, omni squalore, situ, desolatione, negligentia, inertia, vanis contentionibus, luxu, quẽ diligenter oportet literarum studiosos cauere (nã venter pinguis subtilẽ intellectum non gignit: mens siquidem multitudine sanguinis, & rudi pinguedine submersa, quid potest difficile inuestigare) tanquã saluator sis liberaturus. In te vnum ac tui nomen sese conuerterunt studia Sarmatica, tu es in quo nitatur eorum salus. Perge itaq; vir maxime, tuo munere fungi. Episcopus es, tuũ est sacerdotes visitare, vitam mores q; eorum inquirere, si quæ in eis aliena à dignitate sacerdotali videris, corrigere, & emendare, licentiam compescere. Sed ut paulò audacius loquar

cum

cum Dño meo. Attende etiam tibi ipsi. Amantissime Pater, & gratiæ Dei quæ inte est. Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, ipse te constituit super gentes & regna. Ad quid? nisi vt euellas, & destruas, ædifices & plantes. Qui ergo te tulit de domo patris tui, & vnxit te vnctione misericordiæ suæ: attende quæso extunc, & deinceps quãta fecit animæ tuæ, quanta per te Ecclesiæ suæ, quanta in agro Dominico, cœlo & terra testibus, tam potenter, quam salubriter auulsa sunt, et destructa, quanta rursum benè ædificata plantata propagata. Cancellarius es Academiæ iudex supremus, custos iurium, patronus immunitatum. Vide diligenter, si iura, leges, conclusiones, statuta ritè, sanctè, religioseq; seruentur. Amoue, quæ non sunt legib. consona, Verum si tacuero, reus, si dixero, inimicus iudicabor: dura tractq; conditio: sed è duob. eligam quod leuius est. Simultas redintegrari potest, perfidia veniã non meretur. Tolle ex musarũ domicilio publicanum, tanquam feram immanẽ, deuorantẽ bonos viros, famã fortunasq; illorũ, iniuriarũ fomitẽ, inertiæ matrẽ, luxus occasionẽ: factionũ & turbarũ originẽ, fastus genitricẽ, quẽ ante sexannos conclusionib. suis ab omnib. ordinib. Academicis approbatis, extirpatũ oẽs voluerũt. Remitte rus conductores villarũ, exerceant uillici iniquitatis œconomiã, publicani vectigalia exigant, thelonea præsideant, nihil n. huius generis homines rectè sapere

possunt

possunt, in his, quæ sunt Academicæ professionis: sed omnes curarum ac laborum illorum calles, ad vnum hoc compitum confluunt, vt benè sit ventri, atque lateri: cum tamen huiusmodi homines Pithagoræ dicti meminisse oporteret, qui videns quendam exercitationibus, ac cibis lautis, appositeque sese curantem, ac saginantem: Heus (inquit) miser, non desinis continuo, duriorem tibi carcerem præparare? Ideo & Platonem dicunt, cognito quod ex corpore est nocumento, Academiam Athenis, in loco pestilenti elegisse, vt nimiam corporis prosperitatem, velut vitem palmite luxuriantem amputaret. Purga vigilantissime paterfamilias, à labe ambitionis, ædem quondam musarum castissimam. eijce ex ea prudentissime Christi nauiculæ gubernator pleo banos musis inutiles, sentinam ruditatis & ignauiæ. Quid enim recte cogitare possunt de literis, quorum totus animus est extra Academiam? qui non nisi pecora, decimas, agros, itinera, profectiones, iudicum subsellia in animo suo portant: is solis fratis ope barbarica, licet iura Academiæ calcare, bona ingenia opprimere, & quidquid faciunt, normam doctrinæ, & æquitatis, rectæque conscientiæ reputare. Videbant hoc sancti nostri maiores, perniciosum admodum esse literis,

ideo

ideo eiusmodi homines prorsus amotos esse volebant à communi mensa, eiusmodi inquam homines, qui beneficijs Ecclesiasticis oneratiꝰ essent. Iniquum existimantes eos, qui non laborant, vel solum ad oculum laborant, Academico pane vesci. Prohibe ne casus fortunaue professorem efficiat, ne ad quamcunq; aliquis disciplinam, quasi tempestate delatus, ad eam tanquam ad saxa adhereſcat. Discat prius qui vult alios docere. Hoc penitus absurdum est, vt discipulus ad magistrum vadens, ante sit artifex, quam doceatur. Iuuentutem si vis habere doctam, aut moratam, adhibe curam vt præluceant docentes, doctrina, & pietate: sine præuio enim monstratore, nemo potest ignotam semitam ingredi: & si non est qui possit exponere, melius est aliquid nescire secure, quam cum periculo discere: si quoq; riuus leniter fluit, vel si turbidæ & nebulosæ aquæ fluunt, non est aluei culpa sed fontis, & sicut aqua in areola digitum sequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera in vtramq; partem flexibilis est, & quocunq; direxeris, trahitur. Præcipe vigilantissime Cancellarie vt quisq; suam professionem curet. Theologus in lege Domini meditetur die ac nocte, non ruri inhiet agris, pratis, dicerem plura, nisi vererer ne ingenij mei fructus alicuius infamiæ dedicem. Iureconsultus

rectum consilium dare studeat. Medicus stet in uocatione sua, legat Galenum, Hippocratem, medeatur ægris, Astrologus astra aspiciat, planetarum motum, cursumq; consideret. Philosophus disputet. Orator peroret. Poëta carmina pangat. Quisq; sorte sua sit contentus. Segrega vxoratos à sacerdotib. nefas enim est arare in boue & asino: maneant domi incontinentes in amplexu vxorum, pernoctent extra collegium, quos pauidos in honesto domicillio Musarum solos dormientes, vmbræ nocturnæ terrent, cælibes in collegijs, noctu, dieq; sese contineant. Lucem adferas rebus, ne cimmerijs (sicut aiunt) tenebris omnia diutius inuoluantur. Ordinem vt pote sapiens, cuius solius proprium est, bonum constitue. Sic enim in breui habebis, Theologos profundos. Iureconsultos prudentes, Mathematicos sublimes, Philosophos subtiles. Oratores graues. Poëtas venustos. Prodibunt breui ex Academia. Noui campiani. Gorscij, Socolouij, Copernicij, Regiomontani. Samboritani, Grebscij, viri innocentissimi & doctissimi. Studiosum te quondam fuisse Academiæ profiteris. Fidem ergo sibi datam exoluas, hic ostendas oportet lumen diuini ingenij, consilijq; tui. Appone remedium illius vulneribus, promouendo literas, ornando ingenia, diligentiam amplectendo, bene ordinando, nociua quaq; excindendo. Tuum iam

Deut. 22.

est, non

est, non subijcere manum tuam virgæ præceptorum, non legibus scholasticis obtemperare. quod libens iuuenis feci sti: sed extirpare, eradicare, destruere, plantare, ædificare. Ideo enim in ea dignitate constitutus es, vt tibi sit maior facultas benè merendi de Academia, quæ est proprie tua: non solum prouidendo exteriora, quibus captare animos prius voluisti, verum quæ magis necessaria sunt, interiora. Propter hoc omnipotens Deus bonos viros ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint dona suæ pietatis impendat. Quod etiam in Academiæ nostræ studiosis fieri, iudicamus: cui idcirco præpositus es, vt per bona, quæ tibi à Deo optimo concessa sunt, etiam subiectis tibi beneficia præstarentur. Et ideo quam accepisti gratiam, sollicita mente custodi, amputando nociua, vt sanes: reuocando à luxu ad frugalitatem: ab otio ad laborem: à contentionibus irrationabilibus, ad pacem & mutuam charitatem, probitatem in ijs extendendo, Zelum rectitudinis in eorum animo multiplicando, ignauiam insequendo, peruersos mores corrigendo, terrendo, euertendo, (fœlix enim necessitas quæ compellit ad meliora) & boni operis exempla monstrando, ædifica: vt illum retributorem habeas in cælo, cuius cognitionem & disciplinam, dilatauerit in

terra. Ipse quoq; tuæ gloriæ nomen etiam posteris glorioſius reddet, cuius tu honorem curas & quæris. Summa poteſtas tibi conceſſa eſt à ſede Apoſtolica, in optimo ſtatu collocãdi rem literariam. Quid honorificentius tibi accidere potuit? Vide quid de te ſucceſſor Petri ſentiat, & enitere vt illius votis, opinioniq; de te conceptæ reſpondeas, vt ea quæ de te narrata ſunt creſcant, et vera eſſe omnibus modis approbentur: quia fama tua, non ſolum in Sarmatia noſtra vbiq; viget, ſed etiam per diuerſa loca, & vſque ad Cathedram Petri peruenerat. Volebant eadem authoritate ante aliquot annos, præſtare id, pij ſanctique tui prædeceſſores, quorum recordatione recreamur, cæterum fundamentis iam iactis, opus continuare nequiuerunt: tibi nimirum conſummationem operis relinquentes. Eſto Petre animo robuſto, aderit tibi Dominus: ſub Petro Epiſcopo Cracouieñ. ædificatum eſt Gymnaſium Cracouieñ. Per te Petre reformabitur & renouabitur. Prolongabit tibi Dominus vitæ huius ſpatium. Ne timeas Herculanos labores, quos in tam magno ac difficili negotio perferes. Certum quidem eſt, non ita difficile eſſe pacatam ac quietam Rempub: in officio continere, conſeruare in ſua firmitate, quæ rectè firmiterq; conſtituta ſunt: cæterum collapſa, quæ diſciſſa ſunt in antiquã ſolidi-

soliditatem integritatemq; restituere, quanti sit laboris, ac difficultatis, non aliis persuaseris: quam ijs, qui in eam arenam quoq; descenderint, & in eo studio exerciti fuerint. Ades tamẽ animo, & omitte timorẽ, Reparabis diuina cooperante gratia, quod neglectum est, & statum Reipub: literariæ in bono roborabis. Confluent Cracouiam tua opera ad literarum mercaturam iuuenes, sicut naues Tharsis quæ accipiant frumentum, quod Salomon impartiuit, viginti mensuras tritici: accipient oleum & sapientiam Salomonis. 2. Paral. cap. 2. *Macte igitur virtute, age quod tui muneris est, cura vt res Academica consistat incolumis, vt veteris religionis disciplina incorrupta perseueret, literarumq; studia floreant. Porrige manum humi iacentibus, succurre imbecillibus, ne differas. Patronus esto literarum: ne feras, vt is qui tibi successerit habeat occasionem benè merendi de literis, quod tu feciſſe neglexeris, cum diminutione quadam existimationis tuæ: ne committas, vt posteri iudicent, te vel non potuisse, vel omnino noluisse Academiam quam inter reliqua ornamenta Diocœsis tuæ connumeratam acceperis, promouere, & in optimo statu constituere. Diues ad persuadendum, vt contexas extrema primis, materia sese nobis obtulit. Sed iam Epistolari angustia finienda est. Proram ergo ad*

portum vertendo. Ecce munusculum tibi perparuum, commentaria in aliquot Ciceronis orationes offero, quibus perpetuum meum erga te amorem, fidem obseruantiam spectatam, testatamq; relinquerem. Meretur enim animus iste tuus bonis literis sic deditus, addictus, deuotus, vt tibi per me accepta beneficia studiosi debeant. Tametsi immensa præter cæteras subit cura, vt quæ tibi dicantur condigna sint, quem constat de clarissimorum authorum torrentibus profunda, ac perspicua fluenta assiduè bibere: tamen dum cogito, quod sæpe inter quotidianas delicias, etiam viliores cibi suauiter sapiunt: transmissi minima, legenti potiora, vt dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, adepulas auidius redeatur. Nouimus quoque viatores gratiorem habere aquam breui vena stillantem, forte cum sitiunt, quam profluentis fontis riuos, quorum copiam sitis tempore reperire non possunt, & hordaceus panis, dulcis solet esse, etiam ijs, qui centenis vicibus ferculorum quotidiani conuiuij copias ructare consueuerunt: sed & hortorum amæna intrantibus, herbæ agrestes placere solent. Prudentissime itaque factum à me interpretor, quod videlicet videatur huius mei operis nuncupatio, tua fuisse nomini reseruata: vt habeat nostra lucubratio te peculiarem sibi fautorem defensoremque

foremque sine controuersia talem, cuius præsidio tanquam Aiacis Clypeo ab aduersariorum petitionibus ictibusque sarta & tecta (vt aiunt) esse possit. Rectè tu quidem feceris, eritque mihi summi abste beneficij loco, si ita sta tueris, cum pro summa ista dignitate ac virtute, & amicos, & clientes, & tibi obstrictos innumeros habeas: me in fide, amore, cultu, obseruantia, erga te eorum nemini concedere. Incolumen lætamque Reuerendissimam & Illustrissimam celsitudinem tuam Omnipotens æuo longissimo tueatur, Domine merito desiderabilis & verè suspiciende Pater. Datum Crac: 12. Februarij Anno 1610.

ENCOMIASTICON OPERIS.

PArtos labores commoda publica
Propter vetuſtas, nec rapiet die
Longa malignus liuor ore
Lædere nec poterit maligno.
Viuit perennis Tullius, integer
Vitæ; Maronis docta volumina
Viuunt, nec vnquam occumbis acer
O ſtagyrita, decus ſophorûm.
Grandem laborem pertulit ingenî
Dum forte robur, vibrat in arduum
Romerius Tullî volumen,
Vt documenta daret iuuentæ.
Artem loquendi grandiloquo modo
Anfractum in amplum Theſeus optimus
Porrexit artis fila recta
Queis poteris Labyrinthum adire.
Lux eccè maior reddita Tullio:
Romerio acri lux etiam addita
Effulſit; hæc lux nullo in æuo
Nubiferos patietur Auſtros

Procopius Lesniowolſki
Caſtellanides Cirſceñ:

ADAMVS

ADAMVS ROMERIVS PER ANAGRAMMA.

De viro ars svmma.

Thesauros si quis veteres tellure recludit
Is confert patriæ maxima dona suæ
Quod preciũ argenti maius quã docta facultas
Eloquii in docto Cicerone latet?
Eruit, ostendit, donat Romerius Author
Tulli docte tuas flexanimæ artis opes
Patria cara parens possum tibi dicere paucis
De sapiente Viro, Ars tibi Svmma stetit.

Paulus Samborzeczki de ostrow.

PRO-

PROTREPTICON.

Exere docta caput Cr A couia nectle coronas
Et lauro viri D i tempora cinge patriũ
Eius qui ſuperum vouens ſu A corda Tonanti,
His ſcriptis iuuenes i M buat eximijs.
Intima diuini cogno V it ſenſa Platonis,
Non latet hunc quicquid S cripſit Ariſtoteles.
Socra Ticos latic Es Zenonis Cor R Igit à VſuS.
Calica terrenis c O mmoda rebus alit.
Exprimit ingenio Phœbum M uſaſque tuetur,
Dulcibus expromit v E rba ſacrata labris.
Iam mihi Cecropias non G R ecia iactet Athenas,
Viuus in hoc ſplendet Tull I us elloquio.
Magnus in arte viget pater hic V irtutis imago.
Eius in ore ſedet mente S ed alma fides.

Balthaſar Sturmius.

PROS-

PROSPHONISIS.

METra tibi ſtudioſa cohors fert docte Romeri
At tu pro meritis munera quanta paras?
Munera nulla para, iam maxima dediſti dona
Quod ſcripſiſti, an non munera magna putas?

Petrus Kozlowski.

EPIGRAM.

EPIGRAMMA CENSORI.

Si verbis aliquem tetigit ſtimulantibus Author
Excuſanda ſuo tempore Cenſor habe,
Nil niſi quod verũ eſt reſonat ROMERIVS acer,
Cur vexat pectus bilis iniqua ſuum?
An modo nullus honos veris ſubit ille labores
Vt patriæ poſſet commoda ferre ſuæ
Si quẽ ſtertentem ſtimulat, bona iurgia iactat
Nam decet ignauos ſic ſtimulare boues.

Procopius Leſniowolſki
Caſtellanides Cerſceñ.

M. TVL. CICERONIS
PRO LEGE MANILIA AD POPVLVM.
ORATIO.

QVANQVAM mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuiq; maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. nam cùm antea per ætatem nondum huius authoritatem loci contingere auderem: statueremque nihil hùc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui. ita neque hic locus vacuus vnquam fuit ab ijs, qui vestram causam defenderent: & meus labor in priuatorum periculis castè, integrèque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. nam cùm propter dilationem comitiorũ ter prætor primus centurijs cunctis renuntiatus sum: facile intellexi Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid alijs præscriberetis. Nunc cùm & authoritatis in me tantum sit: quantũ vos honoribus man-

dandum esse voluistis: & ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi vsu propè quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certè, & si quid etiam dicendo consequi possum, ijs ostendam potissimùm, qui ei quoquè rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in primis mihi lætandum iure esse videor, quòd in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est, in qua oratio nemini deesse potest. dicendum est enim de Cn. Pompeij singulari, eximiaque virtute. huius autem orationis difficiliùs est exitum, quàm principium inuenire. Itaque non mihi tam copia, quàm modus in dicendo quærendus est. Atque vt inde oratio mea proficiscatur, vnde hæc omnis causa ducitur, bellum graue, & periculosum vestris vectigalibus, atque socijs, à duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate, & Tigrane: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus R. honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ: quorum magnæ res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad me pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine, causam Reip. periculaque rerum suorum detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc nostra prouincia est, vicos exustos esse complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus,

totum

totum esse in hostium potestate : Lucullum magnis rebus gestis, ab eo bello discedere : huic qui succurrerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum : vnum ab omnibus socijs, & ciuibus ad id bellum Imperatorem deposci, atque expeti: eundem hunc vnum ab hostibus metui, præterea neminem. Causa quæ sit videtis: nunc quid agendum sit considerate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare, atque inflammare debet. in quo agitur Po. Ro. gloria, quæ vobis à maioribus cùm magna in rebus omnib. tũ summa in re militari tradita est. agitur salus sociorum, atque amicorum : pro qua multa maiores vestri magna, & grauia bella gesserunt. aguntur certissima populi Ro. vectigalia, & maxima : quibus amissis, & pacis ornamẽta, & subsidia belli frustra requiretis. agũtur bona multorũ ciuium: quibus est & à vobis & ab imperatoribus Reip. consulendum. Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque auidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta : quæ penitus iam insedit, atque inueterauit in populi Ro. nomine : quòd is, qui vna die tota Asia, tot in ciuitatibus, vno nuncio, atque vna literarum significatione ciues Ro. necandos

trucidandosque denotauit, non modò adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium & vigesimum regnat: & ita regnat, vt se non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit: sed emergere è patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est in Asiæ luce versari. etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, vt ab illo insignia victoriæ, non victoriam reportarent. triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi imperatores: sed ita triumphârunt, vt ille pulsus, superatusque regnaret. veruntamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quòd egerunt: venia danda, quòd reliquerunt: propterea, quòd ab eo bello Syllam in Italiam respublica, Murenam Sylla reuocauit. Mithridates autem omne reliquum tempus, non ad obliuionem veteris belli, sed ad comparationem noui contulit. qui postea quam maximas ædificasset, ornassetque classes, exercitusque per magnos quibuscunq; ex gentibus potuisset, comparasset, Bosphoranis finitimis suis bellum inferre simulasset: vsque in Hispaniam legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibuscum tùm bellum gerebamus: vt cum duobus in locis disiunctissimis, maximeque diuersis, vno consilio, ab vnis hostium copiis bellum terra, marique gereretur: vos anc ipiti contentione distracti de imperio dimicaretis.

caretis. sed tamen alterius partis periculum, Sertorianæ, atque Hispanienſis, quæ multò plus firmamenti, ac roboris habebat, Cn. Pompeij diuino conſilio ac ſingulari virtute depulſum eſt: in altera parte ita res à L. Lucullo ſummo viro eſt adminiſtrata, vt initia illa geſtarum rerum magna, atque præclara, non felicitati eius, ſed virtuti, hæc autem extrema, quæ nuper acciderunt, non culpæ, ſed fortunæ tribuenda eſſe videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco: & ita dicam Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa afficta eſſe videatur. Sed pro veſtri imperij dignitate, atque gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meæ, videte quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Maiores veſtri ſæpè mercatoribus, ac nauiculatoribus iniuriosiùs tractatis, bella geſſerunt: vos tot ciuium Ro. Millibus, vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? legati quòd erant appellati ſuperbiùs, Corinthum patres veſtri, totius Græciæ lumen extinctum, eſſe voluerunt: vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Ro. conſularem, vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit? illi libertatem ciuium R. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? ius legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum populi Ro. omni ſupplicio interfectum, inultum relin-

quetis? videte, ne vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri & conseruare non posse. Quid? quòd salus sociorum summum in periculum, ac discrimen vocatur? regno expulsus est Ariobarzanes rex, socius populi Ro. atque amicus: imminent duo reges toti Asiæ, non solùm vobis inimicissimi, sed etiam vestris socijs, atque amicis: ciuitates autem omnes, cuncta Asia, atque Græcia, vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur: Imperatorem à vobis certum deposcere, cùm præsertim vos alium miseritis, neque audent, neque se id facere summo sine periculo posse arbitrantur: vident, & sentiunt hoc idem, quod & vos, vnum virum esse, in quo summa sint omnia: & cum propè esse, quo etiam carent ægrius: cuius aduentu ipso, atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt, ac retardatos. hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, vt se quoque, sicut cæterarum prouinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis. atque hoc etiam magis quàm cæteros, quòd eiusmodi in prouinciam homines cum imperio mittimus: vt etiam si ab hoste defendant, tamen ipsorum aduentus in vrbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audie-

bant

bant antea: nunc præsentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, vt ij beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissimè commoratur. quare si propter socios, nulla ipsi iniuria lacessiti maiores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto vos studio conuenit iniurijs prouocatos, sociorum salutem vnà cum imperij vestri dignitate defendere? Præsertim cum de vestris maximis vectigalibus agatur. nam cæterarum prouinciarum vectigalia Quirites tanta sunt, vt his ad ipsas prouincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia vero tam opima est, & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque hæc vobis prouincia Quirites, si & belli vtilitatem, & pacis dignitatem sustinere vultis, non modo à calamitate, sed etiam à metu calamitatis est defendenda. nam cæteris in rebus, cùm venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus, non solùm aduentus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. nam cùm hostium copiæ non longè absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. Quare sæ-

pe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur. Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia vobis pensitant, aut eos, qui exercent, atque exigunt, cùm duo reges cum maximis copijs propè adsint? cùm vna excursio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre possit? cùm publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodijs, magno periculo se habere arbitrentur? Putatísne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conseruaueritis, non solùm (vt antea dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos? Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, cùm essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona ciuium R. pertinet: quorum vobis, pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam & publicani, homines & honestissimi, & ornatissimi, suas rationes, & copias in illam prouinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res, & fortunæ, curæ vobis esse debent. Etenim si vectigalia, neruos, esse reip. semper duximus: eum certè ordinem qui exercet illa, firmamentum cęterorum ordinum rectè esse dicemus. Deinde cęteris ex ordinibus homines naui, & industrij partim in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis: partim suas, & suorum in ea prouin-

prouincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis vestræ, magnum eorum ciuium numerum calamitate prohibere: sapientiæ, videre, multorum ciuium calamitatem à rep. seiunctam esse non posse. Etenim illud primùm parui refert, vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare. neque enim ijsdem redimendi facultas erit, propter calamitatem, neque alijs voluntas, propter timorem. deinde quòd nos éadem Asia, atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit id, quod certè calamitate docti memoria tetinere debemus. Nam tum, cùm in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus, Romæ, solutione impedita, fidem concidisse. Non enim possunt vna in ciuitate multi rem, atque fortunas amittere, vt non plureis secum in eandem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete remp. & mihi credite, id quod ipsi videtis. hæc fides, atq; hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecunijs Asiaticis, & cohæret. ruere illa non possunt, vt hęc non eodē labefactata motu cònci-dant. Quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum rep. defenduntur. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici belli genus esse ita necessa-

rium, vt sit gerendum: non esse ita magnum, vt sit pertimescendum. In quo maximè laborandum est, ne fortè à vobis, quæ diligentissimè prouidenda sunt, contemnenda esse videantur. Atq; vt omnes intelligant, me Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, & sapientissimo homini, & magno imperatori debeatur: dico, eius aduentu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas, atq; instructas, esse deletas: vrbemque Asiæ clarissimam, nobisq; amicissimam Cyzicenorum, ob sessam ab ipso rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementissimè, L. Luculli virtute, assiduitate, consilio sumtis obsidionis periculis liberatam: ab eodem imperatore classem magnam, & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atq; depressam: magnas hostium præterea copias multis prœlijs esse deletas: patefactumq; nostris legionibus esse Pontũ, qui ante populo R. ex omni aditu clausus esset. Sinopẽ, atq; Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata, atq; referta cæteraq; verbeis Ponti, & Cappadociæ permultas, vno aditu, atq; aduentu esse captas: regem spoliatum regno patrio, atq; auito, ad alios se reges, atq; alias genteis supplicem contulisse: atq; hęc omnia, saluis populi R. socijs, atque integris vectigalibꝰ, esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis: atque ita reputo: vt hoc vos

intelligatis

intelligatis, à nullo istorum, qui huic obtrectant legi, atq; causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cùm hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites. non enim sine causa queri videtur. Primùm ex suo regno sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medéa illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant, in fuga, fratris sui membra in ijs locis, quà se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa, mærorq; patrius, celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumq; rerum omnium, quas & à maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas, in suum regnum congesserat, in Ponto omnẽ reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse è manibus effugit. Ita illum in persequendi studio mæror, hos lætitia retardauit. Hunc in illo timore, & fuga Tigranes, rex Armenius, excepit: diffidentemq; rebus suis confirmauit, & afflictum erexit, perditumq; recreauit: cuius in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit: plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatæ sunt. Erat enim metus iniectus ijs nationibus, quas nunquam populus R. neque lacessandas bello, neque tentandas putauit. erat etiam alia grauis, atq; vehemens opinio, quæ per animos

nimos gentium barbararum peruaſerat, fani locupletiſſimi, & religioſiſſimi diripiendi cauſa in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum. Ita nationes multæ, atque magnæ nouo quodam terrore, ac metu concitabantur. Noſter autem exercitus, etſi vrbem ex Tigranis regno ceperat, & prœlijs vſus erat ſecundis, tamẽ nimia longinquitate locorum, ac deſiderio ſuorum commouebatur. Hîc iam plura non dicam. fuit enim illud extremum, vt ex ijs locis à militibus noſtris reditus magis maturus, quã proceſſus lõgior quæreretur. Mitridates autem & ſuam manũ iam confirmârat, & eorum, qui ſe ex eius regno collegerant, & magnis aduentitijs multorum regum, & nationum copijs iuuabatur. Hoc iam fere ſic fieri ſoleré accepimus vt iã afflictæ fortunæ & facilè multorũ opes alliciant ad miſericordiã, maximèq; eorum, qui aut reges ſunt, aut viuunt in regno, quòd regale ijs nomen, magnum & ſanctum eſſe videatur. Itaq; tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam eſt auſus optare. Nam cùm ſe in regnum recepiſſet ſuum, non fuit eo contentus, quod ei præter ſpem acciderat, vt eam, poſteaquam pulſus erat, terram vnquam attingeret: ſed in exercitum veſtrum, clarum, atq; victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, (ſicut poëtæ ſolent, qui res Romanas ſcribunt) præterire me noſtram calamitatem: quæ tanta fuit, vt

eam

eam ad aureis L. Luculli non ex prœlio nuntius, sed ex ex sermone rumor afferet. Hîc in ipso illo malo, grauissimaq; belli offensione, L. Lucullus: qui tamen aliqua ex parte ijs incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quòd imperij diuturnitati modum statuendum, veteri exemplo, putauistis, partem militum, qui iam stipendijs confectis erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa prætereo consultò: sed ea vos coniectura perspicitis quantum illud bellum futurum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renouent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, nouus imperator vester accipiat vetere expulso exercitu. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat, vt de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur. Vtinam, Quirites virorum fortium, atq; innocentium copiam tantam haberetis, vt hæc vobis deliberatio difficilis esset, quémnam potissimùm tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis. Nunc verò cùm sit vnus Cn. Pompeius, qui non modò eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superârit: quæ res est, quæ cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, sci-

BIBL. C.N.IM. OSSOLINSKICH

tere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior vnquam aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo, atq; pueritiæ disciplina, bello maximo, atq; acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atq; militiæ disciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris? ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator qui sæpiùs cum hoste conflixit, quàm quisquã cum inimico concertauit? plura bella gessit, quam ceteri legerũt? plureis prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt? cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperijs: non offensionibus belli, sed victorijs: non stipendijs, sed triumphis est traducta? Quod deniq; genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reip? Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispanicnse, mistum ex ciuitatibus, atq; ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale bellũ, varia & diuersa genera & bellorum, & hostium, non solùm gesta ab hoc vno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in vsu militari positam, quæ huius viri scientiam fugere possit. Iam verò virtuti Cn. Pompeij quæ potest par oratio inueniri? quid, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis nouum aut cuiquam inauditum possit afferre? Non enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in peri-

in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo, quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt. Testis est, Italia, quam ille ipse victor, L. Sylla, huius virtute, & consilio confessus est liberatam. testis est Sicilia, quam multis vndiq; cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilij, explicauit. testis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copijs, eorum ipsorum sanguine redundauit. testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est. testis est Hispania, quæ sæpissimè plurimos hosteis ab hoc superatos, prostratosq; conspexit: testis est iterum, & sæpius Italia, quæ cùm seruili bello tetro periculosoq; premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum expectatione Pompeij attenuatum, atq; imminutum est: aduentu sublatum, ac sepultum. testes verò, iam omnes oræ, atq; omnes exteræ genteis, ac nationes: denique maria omnia, tum vniuersa, tum in singulis oris omnes sinus atq; portus. Quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præsidium, vt tutus esset? aut tam fuit abditus, vt lateret? Quis nauigauit, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo committeret, cùm aut in hieme, aut referro prædonum mari nauigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam

pe, tam vetus, tam latè diuisum, atq; dispersum, quis vnquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore confici posse? Quam prouinciam tenuistis à prædonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui, præsidio, classib. vestris, fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas vrbeis esse sociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi R. longè à domo bellare. propugnaculis imperij sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Socijs vestris ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse, cùm exercitus nostri Brundisio nũnquam, nisi summa hieme, transmiserint? Quid, ad nos cum ab exteris nationibus venirent, Captos querar, cum legati popũli R. redempti sint? mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim fecures in prædonum potestatem peruenerint? Quid aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas vrbeis, innumerabileisq; alias captas esse commemorem, cùm vestros portus, atq; eos portus, quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestate sciatis? An verò ignoratis, portum Caietæ celeberrimum, atq; plenissimum nauium, inspectante prætore, à prædonibus esse direptũ? Ex Miseno autẽ, eius ipsius

libe-

liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserãt, a prædonibus esse sublatos? Nam quid ego Ostiense incommodum, atque illam labem, atque ignominiam reip. querar, cùm, propè inspectantibus vobis, classis ea, cui consul populi R. præpositus esset, á prædonibus capta, atque oppressa est? Prô dij immortales! tantané vnius hominis incredibilis, ac diuina virtus tam breui tempore lucem afferre reip. potuit, vt vos, qui modò antè ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ij nunc nullam intra Oceani ostium prædonum nauem esse audiatis? Atque hæc, quâ celeritate gesta sint, quamquàm videtis, tamen à me in dicendo prætereunda non sunt. Quis enim vnquam, aut obeundi negotij, aut consequendi quæstus studio tam breui tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quàm celeriter, Cn. Pompeio duce, belli impetus nauigauit? qui Siciliam adijt, Africam explorauit: inde Sardiniam cum classe venit, nondum tempestiuo ad nauigandum mari: atque hæc tria frumentaria subsidia reip. firmissimis præsidijs, classibusque muniuit. Inde, se cùm in Italiam recepisset, duabus Hispanijs, & Gallia Cisalpina præsidijs, ac nauibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnemque Græciam nauibus, Italiæ duo maria maximis classibus, firmissimisque præsidijs adornauit: ipse autem, vt à Brundisio profectus est,

vndequinquagesimo die totam ad imperium populi R. Ciliciam adiunxit: omnes, qui vbique prædones fuerunt, partim capti, interfectique sunt, partim vnius huius imperio, ac potestati se dediderunt. Idem Cretensibus, cùm ad eum vsque in Pamphiliam legatos, deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperauit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè, lateque dispersum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. Est hæc diuina, atque incredibilis virtus imperatoris. quid ceteræ, quas paullo antè commemorare cœperam, quantæ, atque quàm multæ sunt? non enim solùm bellandi virtus in summo, atque perfecto imperatore quærenda est: sed multæ sunt artes eximiæ, huius administræ, comitesque virtutis. Ac primùm quanta innocentia debent esse imperatores! quanta deinde omnibus in rebus temperantia! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate! Quæ breuiter, qualia sint in Cn. Pompeio, considerabimus. summa enim sunt omnia, Quirites: sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipsa per sese cognosci, atque intelligi possunt. Quem enim possumus imperatorem aliquo in numero putare, cuius in exercitu veneant centuriatus, atque venierint? quid hunc hominem magnum,

aut

aut amplum de Repub. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum administrandum, aut ptopter cupiditatem prouinciæ magistratibus diuiserit, aut propter auaritiam Romæ in quæstu reliquerit? Vestra admurmuratio facit, Quirites, vt agnoscere videamini, qui hæc fecerint. ego autem neminem nomino. quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui antè de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc auaritiam imperatorum, quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros atque oppida ciuium R. nostri imperatores fecerunt, recordamini, tum faciliùs statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Vtrùm plureis arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium vrbeis, an hibernis, sociorum ciuitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: neque seuerus esse in iudicando, qui alios in sese veros esse iudices non vult. Hîc miramur, hunc hominem tantum excellsre cæteris, cuius legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modò manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Iam verò, quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones, ac litteræ perferuntur. non modò, vt sumptum faciat in militem, nemini vis affertur: sed ne cupienti quidem cui-

quam permittitur. hiemis enim, non auaritiæ perfugium maiores nostri in sociorum, atque amicorum tectis esse voluerunt. Agè verò cæteris in rebus quali sit temperantia, considerate. Vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui, tam celeriter in vltimas terras pertulerunt: sed hæres, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. postremò signa, & tabulas, cæteraque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimauit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, sicut aliquem non ex hac vrbe missum, sed de cœlo delapsum, intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia: quod iam nationibus exteris incredibile, ac falsò memoriæ proditum videbatur. nunc imperij nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa maiores suos tum, cùm hac temperantia magistratus habebamus, seruire populo R. quam imperare alijs, maluisse. Iam verò ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberæ

beræ quærimoniæ de aliorum iniurijs esse dicuntur, vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Iam quantum consilio, quantum dicendi grauitate, & copia valeat, in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso in loco sæpe cognôstis. Fidem verò eius inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam esse iudicârint? Humanitate iam tanta est, vt difficile dictu sit, vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit, qui ad omnia nostræ memoriæ bella cõficienda, diuino quodam consilio natus esse videatur? Et, quoniam auctoritas multum in bellis quoque administrandis, atque imperio militari valet, certè nemini dubium est, quin ea in re idem ille imperator plurimum possit. Vehementèr autem, pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socij de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat, cùm sciamus, homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minùs famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri? Quod igitur nomen vnquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit auctoritatem, tanta, & tam præclara iudicia fecistis? An verò vl-

lam vſquam eſſe oram tam deſertam putatis, quò non illius diei fama peruaſerit, cùm vniuerſus populus R. referto foro, repletiſque omnibus templis, ex quibus hic locus conſpici poteſt, vnum ſibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoſcit? Itaque, vt plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum huius auctoritas valeat in bello: ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla ſumantur: qui, quo die à vobis maritimo bello præpoſitus eſt imperator, tanta repentè vilitas annonæ ex ſumma innopia, & caritate rei frumentariæ conſecuta eſt, vnius ſpe & nomine, quantam vix ex ſumma vbertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. Iam verò, accepta in Ponto calamitate, ex eo prælio, de quo vos paulo antè inuitus admonui, cùm ſocij pertimuiſſent, hoſtium opes, animiſque creuiſſent: cùm ſatis firmum præſidium prouincia non haberet: amiſiſſetis Aſiam, Quirites, niſi ipſum id temporis diuinitùs Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi R: attuliſſet. Huius aduentus & Mithridatem inſolita inflammatum victoria continuit; & Tigranem magnis copijs minitantem Aſiæ retardauit. Et quiſquam dubitabit, quid virtute perfecturus ſit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quàm facilè imperio, atque exercitu ſocios, & vectigalia conſeruaturus ſit, qui ipſo nomine, ac ru-

ac rumore defenderit? Age verò, illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes populi R. auctoritatem, quòd ex locis tam longinquis, tamque diuersis, tam breui tempore omnes vnà huic se dediderunt? quòd Cretensium legati, cùm in eorum insula noster imperator, exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in vltimas propè terras venerunt, eique se omnes Cretensium ciuitates dédere velle dixerunt? Quid? idem ipse Mithridates, nónne ad eundem Cn. Pompeium, legatum vsque in Hispaniam misit: eumque Pompeius legatum semper iudicauit: ij, quibus semper erat molestum, ad eum potissimùm esse missum, speculatorem, quàm legatum iudicare maluerunt? Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis posteà reb. gestis, magnisq; vestris iudicijs amplificatam, quantũ apud illos reges, quantũ apud exteras nationes valituram existimetis. Reliquũ est, vt de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest: meminisse, & cõmemorare de altero possumus: sicut æquum est homini de potestate deorum, timidè & pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis imperatoribus, non solùm propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sæpius imperia mandata, atque exercitus esse commissos, fuit enim profectò quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res

magnas benè gerendas, diuinitùs adiuncta fortuna: de huius autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi, non vt in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed vt præterita meminisse, reliqua sperare videamur: ne aut inuisa dijs immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas illæ res domi, militiæque, terra, marique, quantaque felicitate gesserit: vt eius semper voluntatibus non modò ciues assenserint, socij obtemperârint, hostes obedierint; sed etiam venti, tempestatesque obsecundârint. hoc breuissimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuisse, qui à dijs immortalibus tot, & tantas res tacitus auderet optare, & quantas dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. quod vt illi proprium, ac perpetuum sit, Quirites, cùm communis salutis, atque imperij, tum ipsius hominis causa (sicuti facitis) velle & optare debetis. Quare cùm & bellum ita necessarium sit, vt negligi non possit: ita magnum, vt accuratissimè sit administrandum: & cùm ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod à dijs immortalibus oblatum, & datum est, in remp. conseruandam, atque amplificandam conferatis? Quòd si Romæ Cn. Pompeius priuatus esset hoc

set hoc tempore: tamen ad tantum bellum is erat deligendus, atque mittendus. nunc, cùm ad ceteras summas vtilitates hæc quoq; opportunitas adiungatur, vt in ijs ipsis locis adsit, vt habeat exercitum, vt ab ijs, qui habent, accipere statim possit: quid exspectamus? cur non, ducibus dijs immortalibus, eidem, cui cætera summa cum salute reip. commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus? At enim vir clarissimus, reip. & vestris beneficijs amplissimis affectus, Q. Catulus: itemque summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenij præditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum ego auctoritatē apud vos multis locis plurimum valuisse, & valere oportere confiteor: sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias fortissimorum virorum, & clarissimorum, tamen, omissis auctoritatibus, ipsa re & ratione exquirere possumus veritatem: atque hoc facilius, quòd ea omnia, quæ adhuc à me dicta sunt, ijdem isti vera esse concedunt, & necessarium bellum esse, & magnum, & in vno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? Si vni omnia tribuenda sunt, vnum dignissimum esse Pompeium: sed ad vnum tamen omnia deferri non oportere. Obsoleuit iam ista oratio, re multo magis, quàm verbis, refutata. Nam tu idem, Quincte Hortensi, multa, pro tua summa copia, ac singulari facultate dicendi, & in se-

natu contra virum fortem A. Gabinium grauiter, ornateque dixisti. cùm is de vno imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset: & ex hoc ipso loco permulta idem contra legem verba fecisti. Quid? tum, per deos immortales, si plus apud populum R. auctoritas tua, quàm ipsius populi R. salus, & vera causa valuisset, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terræ imperium teneremus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur, cùm populi R. legati, prætores, quæstoresque capiebantur? cùm ex omnibus prouincijs commeatu & priuato, & publico prohibebamur? cùm ita clausa erant nobis omnia maria, vt neque priuatam rem maritimam, neque publicam iam obire possemus? Quæ ciuitas antea vnquam fuit, non dico Athenienſium, quæ satis latè quondam mare tenuisse dicitur: non Carthaginienſium, qui permultùm classe, maritimisque rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum vsq; ad nostram memoriam disciplina naualis, & gloriam remansit: quæ ciuitas antea vnquam tam tenuis, quæ tam parua insula fuit, quæ non portus suos, & agros, & aliquam partem regionis, atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus R. cuius, vsque ad nostram memoriam, nomen inuictum in naualibus pugnis permanserat, magna, ac multo maxima parte non modò vtilitatis, sed dignitatis, atq;

tis, atque imperij caruit. Nos, quorum maiores Antiochum regem classe, Persenq; superârunt, omnibusq; naualibus pugnis Carthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos, paratissimosque vicerunt: ij nullo in loco iam prædonibus pares esse poteramus. nos quoq;, qui antea non modò Italiam tutam habebamus, sed omneis socios in vltimis oris auctoritate nostri imperij saluos præstare poteramus, tum, cùm insula Delos tam procul à nobis in Ægeo mari posita, quò omnes vndique cum mercibus, atque oneribus commeabant, referta diuitijs, parua, sine muro nihil timebat: ijdem non modò prouincijs, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus: & his temporibus non pudebat magistratus populi R. in hunc ipsum locum adscendere, cùm eum vobis maiores vestri exuuijs nauticis, & classium spolijs ornatum reliquissent. Bono te animo tum, Q. Hortensi, populus R. & cæteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimauit ea, quę sentiebatis: sed tamen in salute communi idem populus R. dolori suo maluit, quàm auctoritati vestræ obtemperare. Itaque vna lex, vnus vir, vnus annus, non modò nos illa miseria, ac turpitudine liberauit: sed etiam effecit, vt aliquando verè videremur omnibus gentibus, ac nationibus terra, marique imperare. Quo mihi etiam indigniùs videtur, obtrectatum esse adhuc,

huc, Gabinio dicam, ánne Pompeio, an vtriq; ? (id quod est verius:) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti, ac postulanti. Vtrùm ille, qui postulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, cùm cæteri ad expilandos socios, diripiendasq; prouincias, quos voluerunt, legatos eduxerint: an ipse, cuius lege salus, ac dignitas pòpulo R. atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriæ eius imperatoris, atque eius exercitus, qui consilio ipsius, atque periculo est constitutus? an Cn. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cælius Latinienſis, Cn. Lentulus. quos omneis honoris causa nomino, cùm tribuni pleb. fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in hoc vno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore, atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam præcipuo iure esse deberet? de quo legando spero consules ad senatum relaturos. qui si dubitabunt, aut grauabuntur: ego me profiteor relaturum: neq; me impediet cuiusquam, Quirites, inimicum edictum, quominus, fretus vobis, vestrum ius, beneficiumque defendam: neque præter intercessionem, quidquam audiam: de qua (vt arbitror) isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, qui id liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, vnus A. Gabinius, belli maritimi, rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pom-

Cn. Pompeio adscribitur, propterea quòd alter vni id bellum suscipiendum vestris suffragijs detulit: alter delatum, susceptumque confecit. Reliquum est, vt de Q. Catuli auctoritate, & sententia dicendum esse videatur. qui cùm ex vobis quæreret, si in vno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid de eo factum esset: in quo spem essetis habituri: cæpit magnum suæ virtutis fructū, ac dignitatis, cùm omnes propè vna voce, in eo ipso vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, vt nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit. sed in hoc ipso ab eo vehementissimè dissentio, quòd, quo minus certa est hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis resp. dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis vita, atque virtute. At enim nihil noui fiat contra exempla, atque instituta maiorum. Non dico hoc loco, maiores nostros semper in pace, consuetudini: in bello, vtilitati paruisse: semper ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum rationes accommodasse: non dicam, duo bella maxima, Punicum, & Hispaniense, ab vno imperatore esse confecta: duas verbeis potentissimas, quæ huic imperio maximè minabantur, Carthaginem, atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo, nuper ita vobis, patribusque vestris esse visum, vt in vno C. Mario spes im-

ſpes imperij poneretur, vt idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum administraret. in ipſo Cn. Pompeio, in quo noui conſtitui nihil vult Q. Catulus, quàm multa ſint noua, ſummaque Catuli voluntate conſtituta, recordamini. Quid tam nouum, quàm adoleſcentulum, priuatum, exercitum difficili reip. tempore conficere? confecit. huic præeſſe? præfuit. rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cuius à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea administrandum? fuit in his prouincijs ſingulari innocentia, grauitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit. Quid verò tam inauditum, quàm equitem R. triumphare? at eam quoque rem populus R. non modò vidit, ſed etiam ſtudio omni viſendam putauit. Quid tam inuſitatum, quàm vt, cùm duo conſules clariſſimi, fortiſſimique eſſent, eques R. ad bellum maximum, formidoloſiſſimumque pro conſule, mitteretur? miſſus eſt. quo quidem tempore, cùm eſſet non nemo in ſenatu, qui diceret, non oportere mitti hominem priuatum pro conſule: L. Philippus dixiſſe dicitur, non ſe illum ſua ſententia pro conſule, ſed pro conſulibus mittere. Tanta in eo reip. bene gerendæ ſpes conſtituebatur, vt duorum conſulum

sulum munus vnius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quàm vt ex senatusconsulto legibus solutus, consul antè fieret, quàm vllum alium magistratum per leges capere licuisset? quid tam incredibile, quàm vt iterum eques R. ex S. C. triumpharet? quæ in omnibus hominibus noua post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quàm hæc, quæ in hoc vno homine vidimus. Atque hæc tot exempla, tanta, ac tam noua, profecta sunt in eundem hominem à Q. Catulo, atq; à cæterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate. Quare videant, ne sit periniquum, & non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeij dignitate à vobis comprobatam semper esse: vestrum ab illis de eodem homine iudicium, populiq; R. auctoritatem improbari: præsertim cùm iam suo iure populus R. in hoc homine suam auctoritatem vel contra omneis, qui dissentiunt, possit defendere: propterea quòd, istis reclamantibus, vos vnum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc si vos temerè feciſtis, & reip. parum consuluistis: recté isti studia vestra suis consilijs regere conantur. sin autem vos plus tum in rep. vidistis: vos, his repugnantibus, per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attuliſtis: aliquando isti principes, & sibi, & cæteris, populi R. vniuersi auctoritati parendum

rendum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico, & regio, non solùm militaris illa virtus, quę est in Cn. Pompeio singularis, sed alię quoque virtutes animi multæ, & magnæ requiruntur. difficile est in Asia, Cilicia, Lycia, Syria, regnisque exterarum nationum ita verlari vestrum imperatorem, vt nihil aliud, quàm de hoste, ac de laude, cogitet. deinde etiam si qui sunt pudore, ac temperantia moderatiores: tamen eos esse talcis, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias, ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam ciuitatem sanctam, quam domum satis clausam, ac munitam fuisse? vrbes iam locupletes, ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter hæc coram cum Q. Catulo, & Q. Hortensio disputarem, summis, & clarissimis viris. Nouerunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt. Pro socijs vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione, contra socios, atque amicos? quæ ciuitas est in Asia, quæ non modò vnius imperatoris, aut legati, sed vnius tribuni militum animos, ac spiritus capere possit? Quare, etiam si quem habetis, qui, collatis signis,

gnis, exercitus regios superare posse videatur: tamen, nisi erit idem, qui se à pecunijs sociorum, qui ab eorum coniugibus, ac liberis, qui ab auro, gazaq, regia, manus, oculos, animum cohibere possit: non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum, regiumq; mittatur. Ecquam putatis ciuitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam esse locupletem, quæ istis pacata esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solùm propter rei militaris gloriam, sed etiam ptopter animi continentiam requisiuit. Videbat enim populus R. non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos, neq; eos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi vt, detrimentis accipiendis, maiore affici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in prouincias, quibus iacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad vnum deferenda esse omnia non arbitrantur? Quasi verò Cn. Pompeium non cùm suis virtutibus, tum etiam alienis vitijs magnum esse videamus. Quare nolite dubitare, quin huic vni credatis omnia, qui interannos tot vnus inuentus sit, quem socij in vrbeis suas cum exercitu venisse gaudeant. Quòd si auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis: est vobis auctor, vir bellorum omnium, maximarumq; rerum peritissimus, P. Seruilius: cuius tantæ res gestæ terra, mariq; exstiterunt, vt, cùm de bel-

lo deliberetis, auctor vobis grauior esse nemo debeat: est C. Curio summis vestris beneficijs, maximisque rebus gestis, summo ingenio, & prudentia præditus: est Cn. Lentulus, in quo omnes, pro amplissimis vestris honoribus, summum consilium, summam grauitatem esse cognoscitis: est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, num horum auctoritatibus, illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur. Quæcùm ita sint, C. Manili, primùm istam tuam & legem, & voluntatem, & sententiam laudo, vehementissimeq; comprobo: deinde te hortor, vt, auctore populo R. maneas in sententia, néue cuiusquam vim, aut minas pertimescas. Primùm in te satis esse animi, constantiæq; arbitror: deinde, cùm tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quantam non iterum in eodem homine præficiendo vidimus: quid est, quòd aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studij, consilij, laboris, ingenij, quidquid hoc beneficio populi R. atque hac potestate prætoria, quidquid auctoritate, fide, constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam, tibi, & populo R. polliceor, & defero, testorq; omneis deos, & eos maximè, qui huic loco, temploq; præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad remp. adeunt, maximè perspiciunt, me hoc neq; rogatu facere cuiusquam,

quam, neq; quò Cn. Pompeij gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neq; quò mihi ex cuiusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adiumenta honoribus quæram. propterea quòd pericula facilè, vt hominem præstare oportet, innocentia tecti pellemus: honores autem neq; ab vno, neq; ex hoc loco, sed eádem nostra illa laboriosissima ratione vitæ: si vestra voluntas feret, consequamur. Quamobrem, quidquid in hac causa mihi susceptum est, Quirites, id omne me reip. causa suscepisse confirmo: tantumq; abest, vt aliquam bonam gratiam mihi quæsisse videar, vt multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas, intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutileis, suscepisse. sed ego me hoc honore præditum, tantis vestris beneficijs affectum, statui, Quirites, vestram voluntatem, & reip. dignitatem, & salutem prouinciarum, atq; sociorum, meis omnibus commodis, & rationibus præferre oportere.

ADAMVS STEZICIENSIS IN ORATIONEM PRO LEGE MANILIA.

SApientes beneq; versati in rhetoricis, duplicem viam nobis tradiderunt exprimendi eum quem imitari velimus, geneſim videlicet & analyſim. geneſis eſt propriè orationis compoſitio ad imitationem alicuius orationis facta eiq; accommodata: analyſis vero eſt alicuius orationis tam artificioſa diſſolutio, vt è quibus conſtet, in eadem reſecetur, & qua via progreſſus eſt orator in componendo, eadē tenea tur in explicando. Atq; id quomodo fieri debeat, & ſi Antonius lib. 2. de orat: multis verbis oſtenderit, tum quam viam Cicero in componendis ſecutus ſit, docuerit, tamen id quoque præſtari poteſt, ſi illa tria, quæ ſunt videnda oratori, Quid dicat, Quo loco & Quomodo dicat diligenter animaduertantur. Primum cum inuentionis ſit, poſcit vt ea cognoſcamus. Primo totam cauſam ex fide hiſtoriæ, hoc eſt occaſionem & argumentum, Secundo genus cauſæ tum quæſtionem ſeu ſtatum ex illa tota: tum quia ſinguli ſtatus ſuos locos habeant, ex quibus argumenta ad fidem faciendam & motus ad excitandos animos auditorum petuntur.

Secun-

Secundum vero quod collocationis est, hæc indicare debet. Quot sunt orationis partes, quis earum ordo, an artis an consilij: quæ quidem collocatio vbi in partibus perquiretur, non negligenda erit quoq; in argumentis & partibus argumentationum. Tertium quod elocutionis est quod Ciceroni longe maximum tum in dicendo, tum in scribendo semper videbatur, nobis etiam in explicando, non minus esse solet. Hæc demonstrare debet. Primũ quidẽ in tota causa, genus dicendi, deinde in singulis partibus causæ, ad extremũ in periodis singula verba, an propria, an facta, an modificata, aut translata, quæ sententiarum tractatio, quæ ornamenta tum sententiarum, tum verborum, quæ collocatio, tum verborum, tum membrorum, quæ elausulæ, qui numeri, qui affectus. Deniq; exercitatio elocutionis adhibenda erit, quam Cic. in partit. orat. in conuerso maximè esse positam, eaq; nihil esse vtilius docuit, quod fiet, si ea quæ naturali illo, & sponte fuso eloquendi genere dicta sunt, in inuersum quod ex officina oratorum prodit, illorum industria cõmendat illorum eloquentiam admirabilem facit, mutauerimus, & rursum hoc, in illud redegerimus. non prætermittenda etiam erit linguæ proprietas, historiæ, antiquitatis cognitio,

quæ lectionis veluti condimenta sunt.

OCCASIO ET ARGVMENTVM ORATIONIS.

CVm Mithridatẽ regem Ponti multis præ lijs, terra mariq; Lucullus vicisset, eumq; tandem in Armenia cum rege Tigrane, ad quẽ confugerat magno certamine superasset: cum à militibus suis destitutus, tum senatusconsulto reuocatus bellum non confecit. Mithridate igitur prouincijs, sociis, atque amicis populi Romani imminente, Caius Manlius Trib. pleb: legem tulit, vt Phrigia Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Pontus, Armenia, & quotquot alia loca in prouincia Lucullus obtinebat, ea omnia, cum omni illius exercitu Gn. Pompeio mandarentur: vt Bythinia accepta, cui tum Glabrio præerat, aduersus reges Mithridatem & Tygranẽ, dux belligerendi Pompeius qui tunc maritimi belli reliquias in Cilicia persequebatur declararetur. Hac lege quoniam Pompeij potentia, quæ multis formidolosa erat, nimium augeri, libertas publica vnius hominis arbitrio occupari, & Lucullus sua quasi victoria ac triumphi gloria priuari videbatur, Hortensius & Q. Catulus viri consulares legis promulgationi intercedere tonabantur:

nabantur: cæteris metu plebis conticescentibus. Cicero contra, hac oratione pulcherrima Quiritibus suadet vt regibus illis bellum accuratissimè inferatur. Secundo vt Gn. Pompeius illi bello extra ordinem cum summo imperio præficiatur, quem magnum nec tam humanis sed diuinis laudibus extollẽdo, & nomẽ eius virtutibus quatuor, imperatori necessariis commendando, scientia videlicet rei militaris, virtute, authoritate, felicitate, quas summas esse in Pompeio demonstrans, nemimem alium nisi Pompeium hoc bellum conficere posse probat.

Nota quod etsi multas & præclaras omnium Cic. orationum lectio eloquentiæ studiosis commoditates adferat, ista tamen Maniliana cæteris omnibus mihi præstitisse videtur. Hanc enim Cic. matura ætate hoc est quadragenarius summo cum iudicio conscripsit: ita vt in ea multas virtutum imagines, præstantissimorum imperatorum exempla, in patriam pietatem. Et quod caput est, orationis temperatæ quasi formam expressit.

Genus quæstionis.

Cvm sit duplex quæstio altera infinita, quam græci thesin, Cicero consultationem & propositum vocat. Altera definita quam hypotesin. Cicero controuersiam & causam vocat. non est dubi-

um, hic definitam esse quæstionem: est enim certis adiunctis seu circumstantiis personarum, locorum, temporum, actionum, negotiorumque circumscripta. Quæ in suam formam potest redigi.

Pompeius Præficiendus est bello aduersus Mithridatem & Tygranem.

Genus causæ.

ETsi multi in dubium vocauerunt, vni ne generi, an duobus, deliberatiuo scilicet & demonstratiuo hæc oratio subijcienda sit, Tamen deliberatiuo eam subijcimus: quamuis enim hic Cicero Pompeiũ summis ornat laudibus quod demonstratiui generis est: hoc tamen est accessorium posſunt enim ista duo genera commiscere. Scopus vero qui talis est, vt illi bello præficiatur Pompeius, constituit genus.

Status seu propositio.

Fuerunt qui constitutionem in huius modi causis non quærendam existimarent, opinati constitutionem ad iudiciales tantum materias pertinere. Est tamen in hoc genere quædam constitutio, nempe caput, ad quod omnis referri, atq; reuocari debet oratio, quæ quidem constitutio est coniecturalis, nata ex sola intentione & depulsione.

Intentio.

Pompeius est præficiendus, Asiatico bello.

Depulsio.

Non est præficiendus, cuius sunt tres rationes:

1. *Quia*

1. *Quia non oportet omnia ad vnum referri.*

2. *Quia periculum est eum mittere in quo omnis spes & salus Reipub. est fixa.*

3. *Quia nihil est noui in rempublicam introducendum.*

Firmamentum est tale in quo singula singulis opponuntur.

Prima Ratio, Debent omnia ad vnum referri: quia vnus & idem maritimum bellum quadraginta diebus feliciter confecit.

2. *Ratio, Quia virtute hominis fruendum est quo ad licuerit.*

3. *Ratio, Quia multa etiam sunt noua à Catulus instituta.*

Loci communes orationis.

SVmuntur autem argumenta ex locis deliberatiui generis, honesto, vtili, possibili: suadendo enim, rem honestam, vtilem & possibilem esse probat.

Dispositio generalis seu quo loco dicat.

DIspositio est ad finem quæstionis accommodata: quæstionis enim definitæ finis est fides, & motus. Porro Dispositio alia est verborum, quam Hermogenes Syntesim vocat, alia rerum. Rerum duplex est Artis, & Iudicij, quarum vtraq; primo in partibus orationis, Secundo in argumentis, tertio in partibus argumentationum spectatur. Quo ad partes orationis attinet. Oratio habet partes ordine naturæ collocatas. Primo enim est exordium seu principium deinde nar-

ratio, tertio diuisio, quarto loco confirmatio, quinto confutatio, ad extremum conclusio. quæ quidem partes orationis singulæ sunt considerandæ. In disponendis vero argumentis, vt aliâs ita hic bonum imperatorem imitatur. De firmissimis alia prima, alia postrema ponit, leuiora vero inculcat. atq; hæc sunt dispositionis, in qua, vt in instruendis militibus Pyrrhus Epirotarum rex, ita Hortensius excelluit. Hanc Quintilianus instar neruorum esse voluit.

Elocutio seu quomodo dicat.

Restat in hac generali orationis analysi videre quomodo dicat orator, quod ipsius elocutionis est proprium. Cuius partis ratio, & si latius quam aliarum sese diffundat, diligentioreq; inquisitione egeat, tum quod oratoris propria sit, ab illa enim nomen accepit, quod hac parte oratorem excellere, cæteras in eo latere indicat, *tum quod difficilior cæteris iudicetur. Hanc Quintilianus instar carnis, cutis, coloris q;, alij instar vestimenti esse voluerunt quod extrinsecus appareat. vt quemadmodum hominem videntes quod corpus & animum habeat non laudamus, sed si fuerit preciosis vestibus indutus; sic orationem nemo inuentione & dispositione laudat, nisi fuerit eleganti, tum verborum tum sententiarum splendore exornata. Hic tamen præcipuè genus dicendi spectari debet. quod cum triplex sit, rerum, personarum, & oratoris officio distinctum. genus orationis huius mediocre seu temperatum, quod quidem colligitur, ex simplici verborum lenitate, ac temperata plane o-*

rationis

rationis compositione, sententijs verbisq; ornatioribus excultum, qualis fere dictio in hoc genere esse solet. Nam vt deliberatio omnis popularem eorum concilia-tionem habet quos consulimus: ita consilia, prudentia, fide, & moderatione præcipuè constant, ac proinde moderata quadam compositionis lenitate explicantur: nisi rei de qua agitur conditio hoc mutet, quæ si magna sit ac grauis, qualis vel populi dignitas vel reipub. causa esse solet: genus quoque dicendi grauius atque illustrius desiderat. Cicero sane ipse in libris de oratore fatetur, temperata se oratione, ornandi Pompeij copiam prosecutum esse. Vsus est etiam & illis dicendi generibus, conuerso, plurimum dilucido, suaui. In hoc dicendi genere maxime excelluit Demetrius Phalerius.

De exordio.

Grammatica explicatio exordij.

DAt rattones cur antea nunquam ad populum fecerit orationem, nunc autem prætor factus faciat, sibiq; oblatã occasionẽ ornandi Pompeiũ lætatur. Quanquam *hæc coniunctio in principio modũ indicatiuũ postulat, in medio vel indicatiuũ vel subiunctiuũ* Locus *forum iudiciale vbi contiones ad populum haberi solebant* Agendum *orandum. Nota quod agere cum populo & dicere differunt, hoc modo. Agere est rogare quid populum, quod suis suffragijs aut iuberet, aut vellet. Dicere autem est verba facere sine vlla rogatione vide Gelium lib. 13. cap. 14. Sed & ipse*

Cic. hoc

Cic. hoc modo distinguit. agere pertinet ad rem quæ agitur, dicere autem ad eius qui dicit orationem, Quirites, *Romani sic dicti sunt à Romulo Quirino. De appellatione Quirini Plutarchus in vita Romuli*, Cuique, *vel magistratui vel priuato, si ei á magistratu concederetur* Meæ vitæ rationes *propositum meum & vitæ meæ constitutio* Ineunte ætate *adolescentia. Obserua autem Cic. se totum ab adolescentia contulisse ad causas agendas.* Per ætatem *quia nimium iuuenis eram.* Perfectum ingenio *Eadem namq; non est dicendi ratio ad populum, & ad iudices: populus enim delectari, iudices doceri volunt: ad populum oratio elegantior, ad iudices seuerior, atque simplicior esse debet. hæc ad vtilitatem potius, illa ad ostentationem componi solet. Ideoq; centum viri qui maxima ex parte imperiti sunt, solicitas & acuratas actiones exigunt, seq; contemni putant, nisi in dicendo etiam diligentia appareat: nec doceri tantum, sed etiam delectari volunt vt ait Quintili lib. 4.* Ingenium, *ingenium res inuenit, industria perficit. porro industria ij excellunt, qui & prompte res aggrediuntur & diligenter perficiunt* Temporibus *tempora sæpius Cicero appellat casus asperos, difficiles, & periculosos. Inde illud est. ô tempora, ô mores.* Transmittendum *traducendum* Hic locus *hic enim locus optimo cuiq; patuit. bonos autem Cicero appellare solet qui reipub. studiosi sint. Ideoq; fuerunt semper boni ciues, qui in hoc loco causam vestram defenderent. Itaq; auertit à se Cic. inuidiam quod ad populum tum orauerit* Vacuus *vaco ab hac re quod dicatur*

catur ignotum non est. Salust. in Cic. cuius nulla pars corporis à turpitudine vacua. Inde dicitur vacuus hac re Epistola ad Attic. lib. 2. Hac quidem cura certe iam vacuus est Neque labor *defendendi scilicet Quintil. lib. 5. docens difficilius esse defendere quam accusare. Vt inquit quod sentio semel finiam, tanto est accusare quam defendere, quanto sanare vulnera quam facere difficilius* Priuatorum periculis *in reis defendendis: inde reum Quintilianus sapius appellat periclitantem* Castè *quod nullum munus, donumue acceperim vt lege Cincia cautum est* Integrè *quod clientis causam nunquam prodiderim. Commune est oratorum & procuratorum largitionibus corrumpi. Lex erat quæ donum, pecuniamue ob causam, orandam accipere vetabat. qua de re Liuius lib. 34. Tacitus lib. 11. & 13. Cic. in Cathone & de orat. 2.* Vestro iudicio, *vestra sententia* Fructum amplissimum *præturam. quamuis honos amplissimus consulatus sit, eum tamen Cic. per ætatem gerere nondum poterat* Comitiorum, *comitiorum tria erant genera Curiata, cum populus in curias descriptas suffragia inibat, hæc solebant conuocari per lictorem. Valebat in illis multitudo, sunt autem instituta ab ipso Romulo. Centuriata. cum in centurias populus descriptus inibat suffragia. Istorum authoritas penes diuites fuit: nam in eis ex censu & ætate suffragia ferebant. Solebant conuocari per cornicinam. hæc in rem pub. intulit Seruius Tullius Tributa vero non comitia sed plebis concilium dictum est, quod in eo plebs tantũ conuocaretur. Hæc intulerunt in rempub, tribuni plebis. Por-*

bis. Porro differebantur comitia, vel propter obnunciationes, vel propter tribunorum intercessionem, cum aliqui candidati sibi paratam esse repulsam videbant. Ac in curiatis quidem, minores magistratus, in centuriatis maiores creabantur Prætor primus. *hic creabatur in vrbe ad ius dicendum. Prætorum autem certus numerus non fuit: tempore Ciceronis octo fuerunt. Primum autem se vocat quod cum multi simul peterent, primus omnium Cic renunciatus est* Præscriberetis *vt suum tempus amicorum temporibus transmitterent, & ita viuerent, quemadmodum ego vixi* Authoritas *est quædam existimatio parta rebus egregiis in quibus grauitas & consilium enituerit* Honoribus *ædilitati & prætura* Ei rei *facultati meæ dicendi seu eloquentiæ* Fructum *id est præturam* Iudicio *suffragio quod ex iudicio tulerunt.*

Rhetorica explicatio exordij
Inuentio.

Quintilianus partem deliberatiuam quæ suasoria dicitur, non vbique proemio quale est in iudicialibus egere inquit. quia conciliatus est ei quem quisq; consulit: initium tamen quodcunq; seruata qualitate causæ vt idem admonet, habere debet. Nec abruptè aut vndelibet incipiendum est: quia est aliquid in omni materia primum: Tamen in senatu & in contionibus non eadem ratio est, acquirendæ sibi plærumq; beneuolentiæ, quæ apud iudices, apud quos dicendum est Aristoteles & à nostra & ab eius qui dissentiat persona duci

na duci frequenter & in conciliis exordium debere existimat, quasi mutuantibus nobis hoc à iudiciali genere. Nonnunquam etiam fit vt minor res maior esse videatur. Sed si apud bonos semper oratio haberetur, qui sua sponte rectè facere satagunt, nunquam exordio opus esse censuit. Cicero in hoc genere vsus est. breui exordio, quoniam ita dicentis persona requirebat: hanc enim causam primam ad populum habebat Est q; simplex & apertum, quod iuxta doctrinam Hermogenis ductum est ex opinionibus, cum à se omnem tollit præoccupatam opinionem orator, quod scilicet nunquam apud populum fecerit orationem: nunc autem prætor factus eorum beneuolentia adductus ad dicendum se descendisse fatetur. Cum vero tria sint, propter quæ exordia instituantur, beneuolentia, docilitas, & attentio. Hic à tribus locis beneuolentiam colligit: à persona sua cum de officio suo sine arrogantia loquitur, & qualis in amicos fuerit ostendit; à persona auditorum, quorum authoritatem extollit, quales in se fuerint commemorans; à rebus ipsis, eam sibi oblatam materiam dicens, in qua deesse ingenium nemini possit: attentionem autem & docilitatem, cum proponit, sibi conciliat.

Dispositio partium & argumentorum exordij.

Qvatuor partibus constat hoc exordium. Propositione, tripartita ratione, reditione, & conclusione.

Propo-

Propositio Abhorrebam antea à dicendo.

1. Ratio, *Propter teneram ætatem.*
2. Ratio, *Propter eruditionis inopiam.*
3. Ratio, *Propter amicorum negotia.*

Reditio bimembris.

SEd quoniam beneficentia vestra multum authoritatis & assidua exercitatione plurimum in dicendo facultatis sum adeptus:

Conclusio.

Itaque apud vos de laudibus Pompeij dicam.

PORRO vt melius illustrentur argumenta exordij Quæstio hæc inprimis sit vtrum Cicero ante adeptam prætoram dicere non debuerit? quæ probatur hoc modo. Cuicunq; per ætatem, iudicia, occupationes amicorum, dicere non licuit, ille non debuit dicere. Sed mihi non licuit. Ergo: Secunda est quæstio ex reditione. Vtrum Ciceroni post adeptã prætoram apud populũ licuerit dicere? quæ probatur tribus rationibus.

1. Ratio, *Qui authoritate & dicendi facultate est præditus, illi licet dicere sed ego sum talis. Ergo;*
2. Ratio, *Illis deferendus est fructus ingenij à quibus est ornatum. Sed à populo. Ergo.*
3. Ratio,

3. *Ratio, Cui oblata est causa facilis, in qua oratio nemini deesse potest: ille potest dicere, Sed mihi. Ergo.*

Elocutio Exordij.

IN *elocutione exordij illud in primis constare debet, nullum esse illi aptius genus dicendi, ac mediocre. Cum enim exordij cuiusuis sit natura, vt non vehemens, & pugnans, concitatum & ardens esse debeat: ne orator bacchari videatur inter sobrios: nec contra, languidum, frigidum, & iacens: ne statim initio auertat animos auditorum: ita fiet vt exordia sibi mediocritatem dicendi asciscant. quale hoc nostrum Ciceronis, ex ipso apparatu elocutionis, hoc est verborum electione, compositione, ornamentis cùm sententiarum tùm verborum periodis & numeris patebit. Assumitur etiam illud genus dicendi quod dicitur moratum, quod est exordijs conuenientissimum: sic enim orator mores, cùm suos, tum pop. Romani exprimit, vt non solum boni viri haberi, sed etiam ex vtraq; parte videri possint.*

Verborum electio.

EX *praeceptis rhetorum constat, verborum alia esse simplicia, alia coniuncta. Et singulorum, alia propria, alia reperta. Ex singulis quidem ijsq; natiuis, vsitatis, vsus est Cicero natiuis perspicuis, ita vt nullū verbum inusitatum, obsoletum adiunxerit. Ex ijs vero qua tractatione valent, vsus est additis ad nomen, quae Graeci epiteta vocant, mediocriter translatis.*

Compositio seu iunctura verborum.

Quoniam in compositione verborum mediocris generis hæc potissimum vitanda sunt, primùm ne sit aspera oratio, quæ fit concursione consonantium vt rex Xerxes strauit montes 2. ne sit hiulca quæ fit coitione vocalium. vt Milo occidit in via Appia clodium 3. ne sit extenuata vt sola salus seruire Deo. Hîc Cicero ita verba composuit, vt neq; asperos, neq; dissiunctos concursus habeant: sed illa leni, æquabili iunctura molliſſimè inter se committuntur.

Figuræ.

Cvm sint duo genera figurarum vnum verborum, alterum sententiarum. Ac sententiarum tum illustriores fiunt, cum verborum luminibus illustrantur: vt enim gemmæ etsi per se luceant, multo magis illustrantur, si auro inclusæ fuerint: ita sententiarum figuræ orationem multum illustrant: sed tamen fiunt multo splendidiores si verborum luminibus adiungantur. Quod idem hic noster Cicero fecit qui his vsus est figuris: Sententiarum quidem, primo procatalipsi in hoc loco Quanquam *Aethiologia dum dicit* Nam cum antea *sic & in hoc loco* Nam cum propter *Epiphonemate & distributione in hoc loco.* Ita nec hic *Antapodosi in hoc loco.* Nunc cum.

Verborum vero figuræ hæ hic reperiuntur onomaton, omioptoton, ablatio, compellatio periphrasis, paria paribus reddita traductio, omioteleuton, anaphora, redditiones particularum. Periodi

Periodi & numeri.

Cicero in oratore suo ad Brutum docet non solũ numerosam oportere esse orationem, verum etiã videndum esse quibus orationis generibus, quiq; numeri sint accõmodatissimi, & qui cum quibus, tanquam pura pura miscendi sint, tradit. Quo loco obseruabimus. demisso generi octo potissimum pedes conuenire, quorum ex simplicibus sunt quatuor, Iambus, Choræus, Trochæus, Molossus. Ex compositis diambus, dichoræus, antispastus: sed aliquãdo etiã dactylus, & alij numeri huic orationi conueniunt. Ampliori porro orationi pæanẽ Cic. maximè conuenire docet, & eos pedes, qui sunt pæani æquales, qualis est creticus, bachius, palymbachius. Præterea ex compositis in ampla oratione frequentes sunt Ionici, & epitriti. Mediocre autem omni numerorum genere temperatur, præcipuè tamen vtitur ex simplicibus dactylo, spondeo anapæsto, scholio. Ex compositis vero dichoreo, anapæsto, choriambo, ioniciſq; ambobus delectatur.

Quanquam mihi *periodus quinq; membrorum protasis tribus apodosis duobus membris constat, incipit à spondeo, desinit in bachium* Nam cum *secunda periodus est tricolos incipit à spondeo, desinit in Epitritum secundum* Ita neque *tertia periodus dicolos incipit à pæone quarto, & in dichoreum desinit,* Nam cum propter *quarta periodus dicolos, incipit à spondeo, desinit in dichoreum* Nunc cùm & auth tis *Quinta periodus tetracolia hoc est quatuor membrorum incipit à spondeo desinit in epitritum secundum.* Atque illud *periodus tricolos incipit a*

co, desinit in pyrrhichium, choreo præcedente. & hanc periodum sequuntur tria membra extra periodum posita.

Narrationis grammatica explicatio.

BEllum *graue cum duobus potissimum regibus populo Romano necessario gerendum esse, quod nemo præter Pompeium feliciter conficere potest, ostendit.* Vectigalibus *id est prouincialibus, qui in prouincijs vestris sunt vectigalia soluentes.* Socijs, *socij sunt fœderati populi atq; immunes, hoc est quibus nullum vectigal fuit impositum* Mithridate *rege Ponti de hoc Iustinus lib. 37. & Florus lib. 3. cap. 5. Hic cum Romanis quadraginta annis bellum ingens & vario euentu gessit, depressus tandem est à Sylla & Lucullo, ad extremum victus à Pompeio, hunc Cicero in Lucullo post Alexandrum maximum appellat.* Relictus *sed hoc inuidiose Cic. dixit in Lucullum: Aliud enim legitur apud historicos* Alter lacessitus *& hoc cum iniuria Luculli dixit, sicut & illud Mithridatem esse lacessitum. Et tygranes Rex Armeniæ non lacessitus, sed parua manu cum suis ingentibus copijs profligatus: fuit autem Tygranes gener Mythridatis* Relictus *Lucullus enim ab exercitu suo contumaci destitutus, ac senatusconsulto auocatus, Tygranem Lucullus bello prouocauit, Mithridatem tradere recusantem.* Equitibus *eorũ, qui Romani populi vectigalia conducebant: quales sunt publicani, portitores, decumani, pascuarij, ex equestri ordine erant* Ex eo ordine *quia nonnulli sordidi erant & auari, qui ad se id scriptum simulare*

mulare possent ideo dicit hos honestissimos viros Magnæ res *diuitiæ Ea enim vectigalia non nisi magno cõ duci solebant. Itaq; ea conducebant, qui erant locupletissimi. Obserua autem res in vectigalibus occupare, nihil aliud esse, quam facultates suas, in ijs rebus ex quibus lucrum speratur, collocare.* Vectigalibus exercendis *exercere vectigalia dicuntur ij, qui vectigalia conduxerunt, eaq; aut ipsi, aut eorum nomine alij colligunt, decumas ab aratoribus, scripturam à pecuarijs, portorium à mercatoribus* Cum illo ordine *nam Cic. ex ordine equestri erat* Bythiniæ *Nicomedes Bythiniæ rex à L. Sylla regno restitutus est, vnde à Mithridate pulsus fuerat. is non multis post annis moriens pop. Rom. fecit hæredem, regnumq; eius in prouinciæ formam redactum est* Regnum Ariobarsanis *Cappadociam* Succurrerit, *successerit porro hoc verbo Cic. vsus est de industria, vt Glabrionis cupiditatem notaret, ac si diceret qui cucurrerit, vt huic succederet & tam cupide in eam prouinciam profectus sit* Præterea *præter eum neminem, frequens apud Cic. locutio* Vnum, *Pompeium,* Ciuibus *qui in Asia negotiantur, & vectigalia colligunt.*

Rhetorica explicatio narrationis.

CVm narratio sit rerum gestarum, aut perinde vt gestarum expositio: & deliberatio ferme omnis de futuro fit. vix in ea narrari potest. Inde in partitionibus Cic. docet, aut nullam, aut breuem narrationem fieri in deliberatiuo genere: cum videlicet præsentia futuris applicantur, & quid euenturum sit, ex illis

colligitur, vt in hac narratione quæ tractatur à Cic. secundum artem: apparent enim in ea tres illæ virtutes. Est enim breuis, dilucida, & verisimilis. Breuis quia vnde est necesse incipit, nec ab vltimo initio repetit, & summatim non particulatim narrat, & quous q; opus est prosequitur, & nullis transitionibus vtitur, nec deerrat ab eo quod cæpit exponere, & quæ prætereunda sunt præterit: nec bis aut sæpius idem dicit. Dilucida est, quia vt quidq; primum gestum est, ita primũ exponit, & rerum conseruat ordinem & aperit, vt omnibus videantur esse res gestæ: nec perturbatè nec contortè nec ambiguè, nec nouè dicit, nec in rem aliam impertinentẽ transit, nec longè prosequitur, nec quidquã quod ad rem pertineat præterit. Est etiam breuis, vnde fit dilucida. Est quoque verisimilis, quia personarum dignitates, consiliorum rationes, oportunitates temporum, testes, probitas narrantis, constant: quæ omnes res vt vult Cic. breuem, dilucidam, & versimilem faciunt narrationem. Obseruabis etiam in hac narratione officia bonæ narrationis: nam & res exponit quæ gerebantur, & semina futuræ confirmationis in se continet: semina autem sumuntur à bello, quia graue, quia periculosum: à damno, quia calamitas vectigalibus infertur: ab hoste, quia non vnus hostis sed duo, & duo reges potentissimi. Quod autem attinet Pompeium esse deligendum, vide istius rei semina in postremis verbis narrationis.

Dispositio partium narrationis.

NArratio apud oratores tribus efficitur partibus, prænarratione, narratione, conclusione. Has partes in

tes in hac oratione expressit Cic. ac primum prænarrationem, quæ est veluti aditus ad rem exponendam cum ait Atque inde. *Narrationem quæ est ipsius rei gestæ expositio summamq; totius causæ complectitur. cum inquit* Bellum graue. *Conclusionem, quæ sæpius transitione tractatur, cum summam dictorum, & dicendorum proponimus, vt hic Cic.* Causa quæ sit videtis.

Equitibus Romanis *confirmat testimoniis literarum, quin etiam recitat ipsa capita literarum* Vnum ab omnibus. *Hîc summa est narrationis. Vnus Pompeius huic bello est præficiendus, ab omnibus ociis prouincialibus.*

Elocutio narrationis.

Genus dicendi est pressius, idq; purum, perspicuũ verbis vtitur propriis, compositione plana.

Figuræ.

Atque vt inde, *transitio* Inde vnde *reditio* Reges *epexegesis* Equitibus *distributio* Honestissimis *publicanorum periphrasis* Causa quæ *transitio.*

Periodi.

Narratio solet confici periodis breuioribus & potius historicis, quam rhetoricis, membratimq; oratione fusa constat: quod etiam in hac oratione videre licet,

dere licet, in qua ambitus sunt breues, membratimq; multa extra periodum inueniuntur.

Partitio orationis.

TErtia pars, orationis partitio, in qua omnem causam in tres partes distribuit, & quo ordine dicturus sit, ostendit. Hac autem particione, Cicero vehementer delectatus est, vt pro Roscio, Cluentio, Murena: Cum autem tres virtutes partitionis sint, vt sit aperta, perspicua, breuis, nec multiplex, nec numerosa, suis partibus deniq; absoluta, quæ omnes partes quæ in causam incidunt, complectatur. harum exemplum hic videndum est: est enim hac partitio magno cum artificio breuiter confecta, in qua succinctè & breuibus verbis, apertè & perspicuè absoluteq; totius causæ partes complectitur, enumerat, & exponit.

Quarta pars orationis confirmatio.

IN hac & belli vtilitatem & pacis dignitatem ostendit, illas autem partitionis partes sigillatim, confirmaturus est.

Confirmationis prima pars de genere belli, Genus est enim eiusmodi.

BEllum esse graue ac eiusmodi quod animos eorum excitare possit, in quo agitur populi Romani gloria, salus sociorum, certissima vectigalia, bona multorum Ciuium probat.

Argumenti Primi grammatica expositio.

IN re militari, obserua Romanos cæteris gentibus

bus maximè re militari præstitisse, certissima vectigalia, *Cic: actione in Ver 5. vectigalium, quæ imponuntur prouinciis, duo esse genera dicit: vnum quod certum est, quod stipendiarium dicitur, vt Hispanis & plærisq; nationum impositum fuit. Incertum erat tri plex, portorium, quod ex importatione, & exportatione rerum venalium capiebatur, scriptura quod ex pascuis publicis, decuma quod ex agris*, appetentes gloriæ, *Præclara laus Romanorum, quo enim natura est generosior, eo est laudis atq; gloriæ appetentior, quod ex illis verbis Simonidis apud Xenophontem in tyranno intelligitur. Mihi inquit videtur, cæteris animantibus homines antecellere, quod honoris sint appetentes. Quippe cibo, potu, somno, & alijs æquabiliter omnia animantia perfruuntur: & honoris & gloriæ studium, neq; bestijs innatum est, neq; omnibus hominibus*, requiretis, *desiderabitis*, macula, *infamia*, superiore bello, *Quod instauratum est Q. Pompeiö & L. Sylla consulibus*, vno nuncio atq; vna literarum: *Appianus memorat Mithridatem scriptis literis Asiæ vrbium præfectis imperasse, vt intra triceßimum diem Romanos omnes Italosq; cum liberis & vxoribus contrucidatos bestijs obijcerent, dilaniandos. Hoc in conflictu centum quinquaginta millia Romanorum sunt collisa*, Necandos, trucidandos, *trucidare magis inuidiosum quam necare*, scelere, *crudelitate*, vectigalibus, *prouincijs*, insignia, *signa & iudicia victoriæ, quæ postea triumphus est consecutus*, Egerunt, *agit auerunt & vexauerunt. Mithridatem cumq; pacis conditiones accipere coëgerunt*, reliquerunt,

runt, *quod eum persecuti non fuerunt*, Sillam in Italiam Respub. *Quum Cinna, Carbo, Sertorius, Marius, vrbem, hostilem in modum vastabant, multosq; viros clarissimos qui essent patrij necarent*, Murenã, *propter pacem quam Sylla cum Mithridate certis conditionibus fecerat. Conditiones istæ erant, vt Asia, Bythinia, Cappadocia, Mithridates excederet, & in pontũ, finibus regni paterni contentus se referret: Omnem eius belli impensam à Romanis factam integrè persolueret: vtq; Mithridatem Sylla pop: Rom: socium decerneret*, Murenam reuocauit, *Murena à Sylla relictus cum duabus legionibus, vt reliqua Asiæ componeret, primum leuibus quibusdam prælijs triumphi cupiditate, deinde grauioribus Mithridatis regnum lacessebat. Sylla quum indignum arbitraretur Mithridatem cum quo fœdus pop: Rom: esse oppugnari ad Gabinium misit, qui Murenam Ariobarzáne, & Mithridate reconciliatis reuocaret*, Bosphoranis, *cùm enim Sylla Romam rediit Mithridates bellum facturus classem instruxit, ac permagnum exercitum comparauit. Eius apparatus ita magnus erat, vt fama subito exierit, in Romanos non in Bosphoranos exercitum parari: quod non omnem Cappadociam Ariobarzáni restituerint. At Mithridates reuocato Murena Bosphorum in suam potestatem redegit, eiq; filium Macharem regem præfecit; author est Appianus. Totum bellum Mithridaticum durauit annos 40. Flor: lib: 3.* Ecbatanis, *Hic locus mendosus esse videtur cùm Ecbatana Mediæ fuisse constat: Mithridates autem Cappadociæ & Ponti rex fuit, quod autem dicit in Hispaniam, ita intelli-*

gendus

gendus est locus. Vsq; ab Ecbatanis legatos in Hispaniam misit, disiunctissimis, remotissimis, vno consilio, quod Mithridatis & Sertorij fœderatorum vnum consilium esset, vnaq; copiæ fuerunt qui Mithridati suadebant, vt ad Sertorium legatos mitteret, ij negabant Sertorio rei militaris duce peritissimo & maximo rege Mithridate coniunctis, popul: Rom: locis duobus lacessitum tanta ingenia, tantaq; potentia posse sustinere: Ancipiti, dubij, cui resistendum sit, contentione, bello, Quod erant appellati superbius, Post bellum punicū tertiū, Corynthus à L. Mummio funditus euersa est. Hîc Cic: dicit propter legatos superbius appellatos Strabone lib: 8. authore, Quidam Corinthij in prætereuntes pop: Rom: legatos à tectis sordes effuderunt. Liuius & Asconius dicit pulsatos ac violatos fuisse. Cic: horum nihil dicit causa fortasis minuendi. Porro legatorum vt tribunorum plebis sacrosancta corpora putabantur, Superbius, hoc est multum superbè vt ante iniurioſiùs, hoc est multum iniurioſe, patres vestri, Patres Cic: appellare solet, qui paulo ante suam ætatem fuerunt, vt qui multo ante, maiores, Legatum pop: Rom: Ante Syllæ aduentum in Asiam paulo ante quam Romani omnes in Asia iussu Mithridatis necarētur Manium Altilium, qui legationis & belli huius causa fuerat Mitridates comprehendit, eumq; in asino hærentem vinctum traduci iussit, præcedente tibicine, qui spectantes admoneret, eum esse Manium. Eius os, auariciam Romanis obijciens auro oppressit vt ait Appius, imminutam, violatam, turpissimum, cùm maximo dedecore.

Rhetorica

Rhetorica explicatio, Inuentio.

Huius primæ partis, confirmationis, quæ est de genere belli, talis est quæstio. An bellum Asiaticum sit suscipiendum? quæ quidem quæstio refertur ad deliberatiuum genus. Et quoniam eum qui sententiam dicit in deliberatiuo genere, decet debitum sibi finem proponere, ad quem omnis totius orationis ratio conferatur, finis is autem est vtilitas; Ad vtilitatem ergo omnia argumenta confirmationis sunt referenda. Sed vtilitas ista in Ciuili consultatione diuiditur, in tutam & honestam: Argumenta itaq; sumit inprimis orator ex locis propriis deliberatiui generis, ab honesto, vtili, necessario, æquo, & contra turpi, inutili, iniquo, Ex communibus vero locis sumit argumenta, à causis efficientibus, & finalibus: Affectus autem eos excitat odiũ, commiserationem, cupiditatem, vindictam, metum.

Dispositio argumenti Primi.

Propositio in quo bello agitur gloria vestra, Romani, illud est suscipiendum.

Ratio 1. Quia semper gloriæ appetentes fuistis.

Ratio 2. Quia maiores vestri pro minoribus bella gesserunt.

Assumptio.

Sed in Mithridatico bello agitur gloria vestra:

Ratio 1. Quia Mithridates vestrum nomen maculauit.

Ratio 2.

Ratio 2. Quia Mithridates constituit vestra vectigalia occupare.

Ratio 3. Quia imperatores vestri hucusq; bello contenderunt, non autem eum vicerunt.

Ratio 4. Quia paratur contra vos bellum.

Conclusio.

Ergo hoc tantum bellum vobis est suscipiendum.

Collocatio harum partium artificiosa.

PRimum ponit *Assumptionem, in qua omnia quæstiones, argumenta breuiter perstringit. Secundo rationem proponit primam, quæ est quasi aditus ad subijciendas rationes assumptionis. Tertio rationes assumptionis quatuor Quarto propositionem. Quinto rationem propositionis secundam. Sexto Conclusionem.*

Et quoniam, *Assumptio continens illa quatuor argumenta, quæ postea copiosius tractat,* Et quoniam semper, *prima ratio propositionis, quam ideo hoc loco proposuit, vt commodius assumptionis applicet rationes. Sit igitur sensus Appetentes laudis fuistis. Ergo bellum est vobis gerendum,* Delenda est vobis, *Ratio prima assumptionis. Quia Mithridates vestrum nomen multis ciuibus vestris impunè trucidatis commaculauit,* & ita regnat, *2. ratio assumptionis. Quia nunquam est à vestris imperatoribus victus. Antecedens partitione & probat & dilatat,* Triumphauit L. Sylla, Verum tamen, *Hic vsus est eleganti præmonitione, ne aliquid ex imperatorum dignitate deti aberet quod illud bellum non confecerint. Adfert*

causam

causam, quia Cinna, Marius, Carbo, Ciues Rom: opprimebant & trucidabant. Itaq; Sylla erat Reipub. voce reuocatus, qui eorum furorem comprimeret, Mitridates autem, *vltima ratio assumptionis, cuius sententia est: Mithridates instaurari bellum cogitat. Sed hanc rationem approbatione per partitionem amplificat, quia adornata classe nos varietate belli distrahere vult.* Sed tamen, *hæc extra argumentationem, prudenter tamen dicuntur, vt Pompeij virtutem extollat, & Luculli inuidiam effugiat,* sed de Lucullo, *Reiectione laudes Luculli commemorat, propter euitandam inuidiam,* sed pro vestri, *Hic est maior propositio Syllogismi: In quo bello agitur gloria Romana illud, bellum est suscipiendum,* Maiores vestri, *probatio Maioris propositionis loco rationis ab exemplis ex minoribus ad maiora ductis, quorum primum est de mercatoribus, aliud de legatis, quæ præcipuè ad exhortationem impellendo sq; animos audientium valent. Estq; entimema Rhetoricũ quod diuisione & expoliatione amplificat,* Maiores vestri, *prima comparatio per anthiteta,* Legati quod erant. *Secunda comparatio* Illi libertatem, *Amplificatio superiorum comparationum per expolitionem,* videte, *Complexio siue conclusio argumentationis Asiaticum, igitur bellum est suscipiendum, hanc venustè munit entimemate à repugnantibus, quo ipsa vis suasionis sit acrior.*

Elocutio.

GEnus dicendi, *temperatum quidem, sed tamen ad graue genus deflexum.*

Figuræ

Figuræ.

IN quo agitur gloria, *enumeratio*, Magna multa grauia, *auxesis*, Et quoniam, *ratiocinatio*, quod is, *exuscitatio*, regnat & ita regnat, *anadiplosis vehementiæ causa*, occultare, emergere, *antithteta & methaphora*, hoc est, *epexegesis* Et enim, *ergasia*, L. Sylla, *exemplum per diuisionem*, Triumphauit, *anaphora*, sed ita, *correctio*, verum tamen, *excusatio*, qui postea, *partitio*, non sed, *ablatio*, sed de Lucullo, *Reiectio siue præcisio*, Et ita dicam, *anadiplosis*, videte, *excusatio*, Maiores, *contentio sententiarum cum interrogatione permixta*. *Potest etiam esse color contrarium: nam hic ex rebus duabus diuersis alter ã breuiter & faciliter confirmat. Est & repetitio propter reassumptionẽ istius pronominis vos, & exemplum propter allegatam maiorum authoritatem*, ille, *synonimia* ereptã, *anthiteta*,

Secundum argumentum.

QVid quod salus sociorum, *probat bellum esse suscipiendũ, quia in eo salus sociorũ periclitatur.*

Grammatica explicatio.

QVid, *particula trãsitionibus conueniens*, socius populi Romani, *quod magni fuit nominis: socius enim pop: Rom: non nisi pro magnis meritis, in pop: Romanũ appellabatur. Porro socijs solebat mittere Senatus auream coronam; auream pateram, sedem curulẽ eburneam, scipionem eburneum, togam pictam, & tunicam palmatam: præterea in externis regionibus, solium suum, iuxta stellam imperatoris populi Romani*

ponere

ponere solebant, & custodiæ causa turmam equitum Romanorum habebant, vnum virum, *Pompeium intelligit*, Tametsi ad maritimum: *Pompeius lege gabinia bello piratico præpositus prædones omnes, furiosos q; latrones, incredibili celeritate, ac perpetua sui nominis gloria, hoc est intra quadraginta dies toto mari expulit: nam infra quadragesimum diem incruenta victoria vsus, nec vna quidem naue amissa piratas in perpetuum exegit. Bellum hoc describunt Plutarchus in vita Pompeij. Plinius vltimo illustrium virorum L. Florus lib. 3. cap. 6. Valer. Max. cap. 26. lib. 8.* ad maritimum *subintelligitur, non ad bellum Mithridaticum* Repressos *metu Pompeij* maritimum bellum *nauale, vt pedestre pro terrestri dicitur* carent ægriùs *quod enim minus speramus, minus quoque in expetendis nobis est, hoc autem minus speramus quod longius à nobis distare scimus* Non licet *propter metum Glabrionis* Hostili expugnatione *ex hoc loco obseruabis incontinentiam, auaritiam, rapacitatem q; præsidum. Ad eiusmodi scribit Tiberius Cæsar onerandas tributo prouincias suadentibus. Boni pastoris esse tondere pecus, non deglutire, hoc est lanam, non pellem detrahere, & ab eiusmodi vitio Cic. dehortatur Q. fratrem epistola 1.* cum Antiocho *Hic Cic. contra morem suum ordinem temporum non seruat, primum enim bellum fuit cum Pœnis, deinde cum Philippo postremum cum Antiocho & Aetolis. Fuit autem Antiochus rex Syriæ, qui cum Aetolis societate facta, Græciæ ciuitates fœderatas bello vexabat* cum Philippo *Macedonum rege, quod Athenas sociorum vrbem*

obsede-

obsederat. Hunc autem Philippum non intelligit eum qui Alexandri pater fuit, in quem Demosthenis Philippicæ sunt, hic enim multo post fuit Pœnis primum bellum Punicum erat pro Messana Syciliæ vrbe, alterũ vero pro Sagunto. porro historias tibi Liuius subijciet.

Dispositio argumenti.

ARgumentum est quinq; partitum. Assumptione, duabus rationibus, Approbatione & Complexione constans.

Assumptio.

In hoc bello agitur salus sociorum.

1. Ratio, *Quia Ariobarzanes Rex regno expulsus est.*

2. Ratio, *Quia impendent hostes socijs nostris.*

Approbatio, Quia socij & ciues vestra auxilia implorant & imperatorem Pompeium exposcunt.

Complexio. Ergo hoc bellum suscipiendum est.

Quid quod salus *Assumptio* Regno expulsus *Assumptionis ratio* imminent duo 2. *Ratio*, Ciuitates autem *approbatio per partitionem* certum deposcere *Pompeium. Hîc sociorum vota copiosius explicat in expetendo Pompeio imperatore. cuius rei tres causas adfert* 1. *Si alium mittetis vtiq; in periculo versabuntur.* 2. *Quia eius aduentum hostes extimescunt.* 3. *Quia alij imperatores solent esse auaritissimi. Est autem hæc causarum commemoratio, quasi præparatio quædam ad commendandum Pompeium* cum præsertim *prima ratio* vident & *epiphonemate* am-

plificat secundam causam. Hi vos quoniam *Eandem repetit approbationem* Atq; hoc etiam tertia causa *Quare Pompeiũ expetunt ex comparatis* Quare si propter *Complexio argumentationis per comparationem à minoribus ad maius; si maiores vestri lacessiti iniuriis pro sociis decertabant. Ergo vos prouocati non decertabitis?*

Figuræ.

Q*Vidinterrogatio.* Regno *enumeratio* propter *Aethilogia* tametsi *occupatio* hi vos *mimesis seu fictio personarum* sicut *comparatio* atque *comparatio altera* cum Antiocho *partitio* tanta *anaphora* quare *ratiocinatio, exempla, antiteta* quanto vos *interrogatio.*

Tertium argumentum.

PRæsertim cum de vestris *Aguntur vectigalia pop. Rom.*

Grammatica explicatio.

PRæsertim *obserua hanc particulã connexionibus aliquando esse aptã* tanta *tam parua: minuit enim plerumq; hæc particula* vix contenti *vix sufficient* varietate fructuũ *vt vini, olei, aliarumq; rerum* magnitudine pastionis *ex pratorũ ne impublicorũ locatione vectigalia pop. Rom. percipiebat, & qui conducebant ea, causa pascendi pecoris, pascuarij dicebantur* Rerũ quæ exportãtur *vectigal ex portu nullum exigebatur, nisi quũ merces ex prouincia exportarẽtur. Hac ratione prouincia opulentior erat, quippe quum*

ex ea

ex ea non tam multa exportarentur, in eamq; plura importarentur id autem vectigal portorium dicitur. Tria autem hic vectigalium genera Cic. est complexus, decumæ, quæ ex frumento, vino, & oleo, & frugibus minutis. Cicero vbertatem agrorum & agriculturam vocat. Secundum scripturæ, quæ ex pascuis publicis hoc à Cic. magnitudo pastionis & pecus dicitur. Tertium portorium quod ex mercatorum portatione solebat recipi, nominatur nauigatio mercatorum & portus. Ab iisdem publicani nomina hæc habebant, decumani, pecuarij, portitores eos *Asiaticos* pensitant *soluunt* decumis *pro decimis* exigunt *quæstores* duo reges *Mithridates & Tigranes* salictis *salictum sine salicetum est locus salicibus consitus, in quo pascua fiunt* fructuosi *fructus afferunt.*

Rhetorica explicatio inuentio & dispositio.

PRobat bellum esse gerendum, quia in eo maxima vectigalia populi Rom. aguntur. Eius locus proprius est ab vtili, locus vero communis à causa finali. Est autem argumentum quinque partitum Assumptione, approbatione, expollitione, & complexione constans.

Assumptio.

In hoc bello nostra aguntur vectigalia.

Ratio, Quia vbertate superat alias prouincias.

Approbatio, Non tantum calamitas sed etiam metus est ab Asia depellendus.

Expollitio, Quia rumore periculi omnia vectigalia relinquuntur.

Complexio, Ergo pro istis vectigalibus bellum est suscipiendum.

Præsertim *assumptio est* nã cæterarum. *Ratio assumptionis ex comparatione dissimilium* itaque *complexio rationis, ex qua nascitur approbatio* nam cæteris in rebus *Approbatio* Nam cum hostium *exornatio per partitionem* quo tandem animo *Complexio argumentationis quæ sumitur à coniugatis; Conseruate fructuosos, si frui vultis prouincia, estq; quinque partium, propositionem rationem, Approbationem, comparationem & suam conclusionem habens.*

Elocutio.

EST hic conuersum genus dicendi, de quo Cic. in partitionibus: vbi naturam verborũ explicat, docet. est enim ordo rerum, deinde verba immutata.

Figuræ.

TAmen pecorã *disiunctio: nam hic eorum de quibus dicitur vnumquodq; certo verbo concluditur est etiam dissolutum, nam orationes plures sine copula proferuntur*; quo tandem animo *interrogatio* aut eos, *diuisio.*

Quartum Argumentum.

ACne aliud quidem, *summa huius argumenti est. Aguntur in hoc bello bona multorum ciuium, ideo suscipiendum erit.*

Gramma-

Grammatica explicatio.

Homines honestissimi & ornatissimi, *Primum verbum refertur ad existimationem, alterum ad rem familiarem*, rationes, res, facultates, fortunæ: *hæc ad quæstum pertinent*, naui, *impigri & diligentes*, industrij, *laboriosi*, eum ordinem, *publicanorum*, firmamentum, *in oratione pro Plancio flos equitum, ornamentum ciuitatis firmamentum Rei pub. is ordo vocabatur*, magnum numerum, *multitudinem*, Parui refert, *vel ironia est, vel interrogatio* Redimendi facultas, *conducendi potestas. certam enim pecuniæ summam ex censoria pactione publicani soluebant, eaq; vectigalia, periculo suo exigebant prouidentes in illa redemptione commodis suis*, Initio belli, *annos ante viginti tres, quum Mithridates iussit occidi omnes Romanos ciues, qui in Asia erant.* Solutione impedita, *Hi enim qui in Asia negotiantes occisi fuerunt, alij alijs ciuibus qui Romæ erant, vt fit, pecuniam debebant: biq; ciues sublata solutione, creditoribus suis satisfacere non potuerunt. illud enim fieri in ciuitate solet, vt mercatoribus debeatur, biq; mercatores debeant, quibus nisi satis fiat creditoribus soluere non poterunt*, concidisse, *periisse. Est enim fides dictorum, conuentorumq; constantia & veritas, id est vt vulgo dicitur seruatio promissi Authore Cic: lib: 2. de officijs, Nulla res vehementius Rempu. continet, quam fides, quæ esse nullo modo potest, nisi erit necessaria solutio, rerum creditarum. Hanc autem fidem, vt ait Agelli: Cap. 1. lib. 20. Romani veteres in negotiorum contractibus sanxerunt, maximeq; in*

pecuniæ mutuatiæ vsu atq; commercio, quod ipsi videtis, *quæ videmus vt certiora sunt, quàm quæ audimus, ita magis mouent*, in foro, *apud argentarios, quæ peccunia à Cic: æs circumforaneum, æs in foro sænore sumptum appellatur*, implicita, *coniuncta & connoluta*, illa, *pecuniæ Asiaticæ*, incumbere *animos vestros totos applicare*

Rhetorica explicatio, inuentio & dispositio.

HOc *argumento, belli huius, & dignitatem & vtilitatem probat, quod in eo multorum bona ciuium agantur, quæ ruere, nisi communi omnium malo nequeant, quod accomodatum est secundo generi auditorum, nempe rudibus & aggrestibus, qui vtilitate, eaq; magis priuata, quam publica mouentur. Locus proprius ab vtili & inutili, comunis à causa finali, quanquam, & alij loci adhibentur.*

Constat autem partibus quatuor.

ASsumptione, *ratione assumptionis, approbatione, & explicatione.*

Assumptio *In hoc bello aguntur multa multorũ bona ciuium.*

Ratio quæ est per distributionẽ, cuius prima est hæc pars: quia publicani in illam prouinciam opes suas contulerunt, qui sunt firmamentum Reipub. 2. Ratio quia multi alij ciues in Asia negotiantur.

Approbatio primæ partis est à coniugatis, Quod si vectigalia vobis curæ esse debent, certe & publicani.

Approbatio secunda partis, quia vos his qui su-

as & suorum in ea prouincia pecunias magnas collatas habent, absentibus consulere debetis.

Complexio, Ergo pro Asia bellum est suscipiendū.

Acne illud, *Assumptio argumenti quam variat per continuationem & contentionem*, Nam & publicani, *Ratio assumptionis qua cōmendat publicanos*, Et enim si, *approbatio rationis per comparationem*, Deinde cæteris, *approbatio secundæ partis diuisione tractata*, erit igitur, *complexio argumentationis per repetitionem assumptionis*, Et enim illud primum, *Hic est breuis occupatio: posſent ista (dixisset aliquis) vectigalia amissa postea recuperari, & ideo nunc pro his non est decertandum. Hoc Cic. tripliciter soluit.* 1. *Quia nemo posthac vectigalia redempturus est.* 2. *Quia Asia multas ante acceperat à Mithridate calamitates.* 3. *Quia hæc communis est omniū calamitas* neque, enim ijsdem *prima ratio refutationis*, Deinde quod; *secunda ratio ab exemplo per comparationem*, Nam tum cum *approbatio* non enim *tertia ratio* à quo periculo *Conclusio istius argumenti*, Hæc fides atque, *Expositio tertiæ rationis. Quia nostri ciues, qui argentariam exercent, communem cum publicanis habent in Asia pecuniam.* Quare videte, *Complexio primæ partis confirmationis per repetitionem quatuor argumentorum.*

Elocutio.

GEnus *elocutionis quod proprium est generis deliberatiui, est simplex: non enim est periuolicon hoc*

est circumductum dilatatione verborũm, & assumptione earum rerum quæ copiæ atq; densitati sunt accommodatæ, præterea magis est sententijs ornatum quàm verbis: magis enim hic veritas, quam elegantia apparet, nihil tamen est inconcinnum, abiectum, & male collocatum. Affectus in istis quatuor argumentis maximè miscet, cupiditatem, spem, & metum, qui sunt propriꝫ generis deliberatiui, atq; huiusmodi sententijs vtitur, quæ ad explendas cupiditates, ad vlciscendas iniurias, ad metuendum de publicis & priuatis bonis pertinent.

Periodi & figuræ.

ACneillud *periodus tricolos exornata præparatione, compellatione, incipit à spondeo & cretico clauditur dichoreo.* Nam & pub. *periodus dicolos exornata epitetis, incipit à spondeo & bachio, clauditur spondeo præcedente choreo* & enim *æthiologia* nerui *metaphora* partim, partim *distributio* Erit igitur adhortatio & enim *occupatio* neque iisdẽ *Aethiologia* non enim *sententia* à quo periculo *adhortatio* mihi credite *asseueratio* quod videtis *suppositio* ruere *translatio* videte *Adhortatio, enumeratio, assyndeton, est & Anakephaleosis.*

Secunda pars confirmationis.

De magnitudine belli, Quoniam de genere belli.

Gramma-

Grammatica expositio.

Ostenderat iam bellum illud esse necessarium, hic in altera parte confirmationis, non solum necessarium bellum, verum etiam magnum, & difficile & propterea esse suscipiendum probat. Cuius partes sunt duæ; in prima exponit per occupationem, summisq; laudibus prædicat res gestas Luculli: in secunda magnitudinem belli ostendit. Mithridatis copias *habuit in armis Mithridates peditum centum viginti Millia, decem & sex equitum Millia,* Cyzicenorum *Cyzicum vrbs Asiæ clarissima, omnibus modis terra, mariq; obsessa atq; oppugnata à Mithridate fuit. Is vero omni commeatu à Lucullo intercluſus, mouere castra coactus est, ea vrbs dotalis esse dicitur, & ab Ioue Palladi attributa. Vnde Appianus in Mithridatico scribit, vbi itidem dicit Cyzicenos Lucullo festa instituisse, quæ Lucullea appellauerunt* virtute animi *magnitudine* assiduitate *perseuerentia, quæ fortitudinis species est, cui contraria ignauia* Classem magnam *Mithridatis classem quinquaginta nauium, cui præerat Varus quem ad Mithridatem Sertorius miserat, & Alexander Paphlagonius, & Dionysius eunuchus Lucullus ad Lemnum superauit atq; depressit vt ait Appianus* studio inflammato *maximo odio* Raperetur, *id est raptim & celeriter duceretur, id dicit, vt maius odium ostendat Mithridatis in Romanos, & maiorem Luculli laudem, qui deuicta hac classe Italiam seruauerit* depressam *submersam & obrutam* Regno patrio, *Mithridates primus ex regis*

Persarum genere fuit, is cum Antigono rege Syriæ se coniunxit, Antigonus per quietem sibi visus est, agrũ se auro ferere, idq; aurum Mithridatem metentem in pontum asportare. Hac de causa Antigonus Mithridatem interficere conatus est; Mithridates cum aliquot equitibus fugiens, locũ quendã Cappadociæ occupatum muniuit; postremo imperiũ, maximè auctũ liberis tradidit, id à parentibus filij acceperunt usq; ad hunc Mithridatem, qui à Mithridate primo sextus fuit Ad alios reges *vt ad Tygranem, & postquam cum Tygrane victus est, ad regem Parthorum legatos misit, auxilia postulantes,* patefactum pontum *fuga Mithridatis. Tum enim præsidia à rege imposita, ad Lucullum maxima ex parte confugerunt, omnesq; ponti vrbes paucis exceptis in potestatem suam Lucullus accepit. Sinope autem Romanis acriter obsistebat nauali prælio haud ignauiter pugnans.* Salus pop. Rom. socijs *Authore tamen Appiano quum Cyzicum Mithridates obsideret. Dux eius Eunuchus Phrygiam ingressus, ingentem ciuium Romanorum numerum cum vxoribus & liberis necauit.* Huic legi *Catullum & Hortensium intelligit,* Medea illa, *De Medea Aethæ Colchorũ regis filia quod patrẽ prodiderit, quod iasonem ad rapiendum vellus aureum adiuuerit, quod eundem secuta sit, ex poetis atq; ex grammaticorum commentarijs satis cognitum est. Ea autem ex Colchide nauigans, in pontum applicuit. Speculator ex alto tumulo prospiciens dixit se prospicere nauem ex Colchide venientem. Medea patrem esse, vt erat suspicans, qui eam persequeretur Aegialeum fratrem, quem secum adduceret, ignarum, nec quicquam tale timentem occidit;*

atque ita deuellit, diuulsaq; membra per agros dissipat, in multis inuenienda locis: ne pater ignoret scopulo proponit ab alto, pallentesq; manus sanguineumq; caput, vt genitor tardetur luctu nouo, & dum legit artus extinctos, retardet triste iter. Author est Ouidius lib. 3. Tristiū Eleg. 9. & 7. Methamorph. parens Aetha mœror patrius dolor ortus ex conspectu filij dilaniati. Nostri colligunt Plutarhus scribit Mithridatem militibus Romanis iam eum in fuga comprehensuris de industria obiecisse mulum auro onustum, & dum milites se ad diripiendum aurum conuerterunt, regem elapsum esse in regnum Armeniam Barbararum barbarus dicitur qui nullis studiis, nullis artibus est excultus, huic opponitur humanus peruaserat iniustè peruenerat, id enim verbum quod est vado, cum compositis dici solet in re iniusta, aut difficili. Virgil. vadimus immixti danais haud numine nostro. Vrbem ex Tigranis regno, Tigranes accepto regno Armeniæ, vrbem maximam condidit, cuius muros quinquaginta cubita altos fecit, in quam viros optimos & locupletissimos commigrare, eamq; ex suo nomine Tigrano certam, quasi Tigranis ciuitatem appellari iussit. Ad hanc vrbem Mithridatis & Tigranis exercitum, in quo erant ducenta quinquaginta peditum, & equitum quinquaginta millia, Lucullus paruo exercitu deuicit. Luculli paucitatem militum Tigranes deridens, eos dicebat nimis esse multos, si venissent vt legati: si vero vt hostes, nimis paucos. Post hanc victoriam Lucullus Tigrano certa potitus est, post hanc cladem acceptam duo reges exercitum alium parare properauerunt, in quo pedi-

quo peditũ septuaginta millia, equitum triginta quinq; essent. Hi rursus victi Lucullum fugiunt. Itaq; Tigranes in Armeniæ interiora, Mithridates in pontum se contulerunt nimia longinquitate locorum. *Artificiosum est, vt si quem laudes, cuius in vita aliquid turpe videatur, ita tractes, vt ea turpitudo non appareat. Mithridatem & Tigranem victos, Lucullus ideo persequi non potuit, quod à suo exercitu desertus sit. Ab exercitu deseri turpe est. Turpitudinem Cic. occultat, quum nullo id Luculli vitio, sed nimia locorum lõginquitate, & suorum desiderio, factum esse ostendit.* Sanctum nomen *de regio nomine. Et in oratione pro Deiotaro: Semper regium nomen in hac ciuitate sanctum fuit, sociorum verò regum & amicorum sanctissimum: putantur enim reges in tabella Deorum haberi. Dicitur autem sanctum, quod est sanctione firmatum, vel etiam quod est ab omni iniuria immune.* in exercitum vestrum, *Mithridates postquam in suum regnum se recepit, coacto exercitu, primum Fabium, quem in Ponto Lucullus reliquerat profligauit, deinde cum G. Triario Luculli legato ita fortiter pugnauit, vt ad septem millia Romanorum, centum quinquaginta Centuriones, viginti quatuor tribunos, militum occiderit. Id autẽ Triarij ambitione & temeritate factum est, qui vt solus gloriam deuicti Mithridatis aucuparetur, cum eo prius pugnare voluit, quam aduenerit Lucullus, qui non longe aberat.* Pœtæ solent, *Neuius qui primum punicum bellum, Ennius qui secundum versibus est prosecutus. Præterire autem aliquid ex historia, est contrà legem historiæ, quam Cic. in lib. de orat.*

2. primam esse ait, ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ in scribendo, ne qua simultatis. Nominat autem hic poetas Cic. ex amore potius quam ex sententia Aristotelis, qui poetam negat esse, qui non fingit. Itaq; nec Empedocles qui Phisica scripsit, Aristoteli poeta videtur; vnō nuncio genus loquendi de prælijs & cædibus funestis, vsus eius est, cum tantum prælium fuisse dicimus, vt ex eo nemo omnino superfuerit, Belli offensione vulgo dicitur amissio victoriæ vestro iussu abrogata à vobis imperio: Maiestas enim pop. Rom. in hisce tribus versabatur, in dando adimendoq; imperio, iubendis abrogandisq; legibus, bellis inferendis aut dissoluēdis Diuturnitati Lucullus enim totos annos septem in imperio permansit veteri exemplo Roma exactis regibus duo consules creabantur, quorum imperium annuū erat, eo finito, noui semper consules fiebant. Ideo Lucullus finito tempore sui consulatus ab imperio auocatur glabrioni qui Lucullo successerat iam stipendijs confectis qui stipendia impleuerant. Hi autem milites erant Fimbriani, quos T. Liuius lib. 98. Valerianos appellat, eam ob causam, quod L. Valerius Flaccus consul, missus in Asiam, vt Syllæ succederet propter auaritiam exercitui suo inuisus à Gaio Fimbrio legato ipsius occisus est, & imperium ad Fimbriam translatum vt idem ait lib. 83. Hi autem confectis stipendijs Lucullum sequi noluerunt Ætas autem militaris est ab anno decimo septimo ad 46. annum: illo autem tempore si respub. postulabat, iuuenes cogi poterant, vt annos decem militarent vt scribit Plutarchus in

chus in vita Grachorum integrę *nihil bello imminutæ* vetere exercitu *veteranus exercitus melior est atq; commodior, & ad parendum & ad pugnandum.*

Rhetorica explicatio, inuentio & dispositio.

SEcunda pars confirmationis, *quæ est deliberatiui generis qua probat hoc bellum esse magnum & periculosum, & propterea suscipiendum. Hoc autem quinque argumentis efficit. Quoniam autem finis est deliberatiui generis vtile hoc autem est duplex, tutum, & honestum: Omnia argumenta huius partis referuntur ad hunc finem, nimirum ad vtilitatem tutam quæ conficit instantis aut consequentis periculi vitationẽ qualibet oratione,* Quoniam, *transitio ad aliam partem confirmationis,* Potest enim, *propositio huius partis. Bellum Mithridaticum est magnum,* Atq; vt omnes, *Antequam probet bellum esse magnum insigni vtitur digressione, cum res gestas Luculli, oratione extollit, qui Mithridatis exercitum deleuit, ipsumq; regem ad fugam compulit, est igitur sensus. Quamuis Lucullus Mithridatem pene prostrauit, ille tamen nondum plane victus est: hunc sensum partitione amplificat,* Satis opinor. *concludit laudes Luculli sensus est. Tantum de Lucullo dixi quantum nec ab eius patronis dici potuit,* Requiretur fortasse, *per occupationem ad argumenta dilabitur. Sensus. Quamuis fractus Mithridates, tamen est pertimescendus.*

Argumen-

Argumenti primi disposítio.

Mithridates ad auxilia quærenda profugit. Ergo hoc bellum est magnum: Hoc argumentum Enthimemate tractat.

Antecedens exemplo fabuloso per similitudinem illustrauit. Tractatur autem hoc exemplum quatuor partibus.

1. *Propositione.* 2. *Expositione propositionis.* 3. *Applicatione seu aptatione.* 4. *Conclusione*, Primum, *Antecedens*, Ex eodem, *propositio exempli*, quam prædicat, *expositio*, Ita illum, *complexio exempli per Epiphonema.*

Argumenti 2. disposítio.

Quo magnitudinem belli ostendit ex causis efficientibus, Hunc in illo timore, *Plures etiam gentes contra L. Lucullum, Romanosq; sunt concitatæ. Ergo extimescendæ sunt.*

Antecedens probat duabus rationibus.

1. *Quia eas nunquam populus Romanus lacessiuit.*
2. *Quia phani templi quod religiose colunt direptionem extimescunt.*

Plures etiam, *Antecedens*, erat etiam, *secunda ratio antecedentis*, erat enim, *prima ratio antecedentis.* Ita nationes, *Epiphonemate per comparationem concludit. Sensus est illæ gentes metu percussæ à nostris relictæ sunt integræ. Ergo extimescendæ*, noster

dæ, noſter autem, *Hic occurrit obiectioni*: *Ergo Lucullus magis concitauit, quam fregit vires Mithridatis*, *Reſpondet Cic*: *Quia noſtri longinquitate locè commoti ab eo bello diſceſſerunt*.

Argumenti 3. diſpoſitio.

MIthridates autem *Mithridates potentiſſimorum regum auxilia collegit.*

Ergo hoc bellum eſt extimeſcendum. Ratio antecedentis: *Quia regum afflictafortuna omnes commouentur.*

Argumenti 4. diſpoſitio.

ITaq; tantum, *Si victus, in victorem exercitum impetum facit*: *Ergo extimeſcendum eſt*, nam cum ſe, *ratio antecedentis.*

Quinti argumenti diſpoſitio ab effectis.

SInite hoc loco, *quatuor partibus tractatum*: *Antecedente, ratione, antecedentis, confirmatione rationis, & complexione Antecedens Quia noſtrum exercitum Mithridates profligauit.*

Ratio, Quia ex iſto prælio nec nuntius extitit.

Confirmatio rationis, Quia Lucullus ab eo bello reuocatus erat.

Ergo magnum eſt bellum.

Sinite hoc *Antecedens præteritione figuratum & ſimili* quæ tanta *ratio antecedẽtis* Lucij Luculli *confirmatio rationis* Multa prætereo *concluſio per repetitionem quinque partium iſtarum.*

Elocutio.

QVoniam de *Tranſitio* poteſt enim *occupatio* contemnenda *anthiteta* atque vt omnes *digreſſio*

greſſio, præparatio, & epitheta, Quantum *partitio,* Dico *congeries & enumeratio,* patefactum *coacervatio, antitheta,* ſatis opinor *præteritio,* Requiretur *occupatio,* vt ex eodem Ponto *exemplum fabuloſum ſiue paradigma,* ita illum *epiphonema & cõparatio,* excepit, confirmauit *auxeſis, anthiteta, adiectio,* erat enim *ethiologia,* plura non dicam *præciſio,* fani locupletiſſimi *epitheta cauſa laudandi adhibita,* plura non dicam *præciſio,* & ſuam & eorum *meriſmos latinè diſtributio,* Regum afflictæ fortunæ *gnomi ſeu ſententia,* aut reges aut viuunt *meriſmos,* ſinite hoc loco *præteritio ſimulata & comparatio,* quod coniungunt *congeries ad reficiendam memoriam conueniens.*

Tertia pars confirmationis.

De Imperatore deligendo, ſatis mihi multa.

Grammatica explicatio.

Prædicat Pompeium, quem Imperatorem ad id bellum deligendum eſſe ſuadet.

G Pompeius, *cui à victoria redeunti, quam obtinuerat ſuperato ingenti prælio Domitiano, Sylla ipſe magni cognomen primus detulit,* antiquitatis memoriam, *antiquos Imperatores quorum memoria extat, Plinius lib. 7. cap. 20. ſummam pulcherrimarum laudum gloriam Pompeio magno attribuit, eiusq; titulos, ac triumphos, non modò cum Alexandri magni rerum fulgore, ſed etiam Herculis prope, ac liberi patris conferre audet.*

Rhetorica explicatio.

AD tertiam partem confirmationis, facit ciuilem ingressum, ne videatur cupide cæteros contemnere, eisq; vnum anteponere Pompeium, vt hac occasione, in consultantium animos admittatur. Potest autem hæc orationis pars, ob popularem Pompeij laudem omnibus locis amplificatam, ad genus demonstratiuum referri. Suadet enim Cic. Pompeium ad hoc tam graue bellum imperatorem esse deligendũ, cum eum ex quatuor summis virtutibus imperatoriis laudat.

Dispositio huius partis.

CIcer. in partitionibus dispositionis in exornatione, ponit quinq; modos. Primus modus est, qui dicitur naturæ, cùm ea, quæ prius gesta sunt aut acta, priore loco exponuntur: eo genere collocationis historici maximè vtuntur. Secundus modus est, cùm diuidimus bona, vel mala in certa genera: nam in demonstratiuis causis, aut laudantur bona, aut vituperantur mala. Tertius modus est, quando à minoribus ad maiora ascendimus, veluti à minus diuturnis bonis, ad diuturniora; ab illis, quæ propter aliud expetuntur, ad illa, quæ per se: vt pro Marcello comparat aliqua facta Cæsaris cum misericordia. Quartus huic contrarius, quando à maioribus ad minora delabimur, vt pro Roscio. Quintus modus constat in æquabili varietate, cum parua magnis, simplicia coniunctis, læta tristibus, incredibilia probabilibus, inteximus. Hæc dispositio refertur ad secundum modum. Bonorum enim cùm

multa

multa sint genera, hæc in suas formas diduci oportet, vt sunt externæ corporis, & animi. Laudat in hac orationis parte Cic. Pompeium à rebus externis, cùm de ipsius fælicitate & educatione gloriosa sub patre cõmemorat. Laudat eum à virtutibus animi, à quibus Pompeium extollit, non vt hominem, sed vt Deum. laudat enim mirabiliter eum à scientia rei militaris, laudat à virtute, laudat ab authoritate, quæ quoniam ex virtute comparatur, ad animum pertinet. Conficitur ergo hæc pars quatuor argumentis. Primum est scientia rei militaris. 2. Virtus. 3. Authoritas. 4. Fælicitas. Eius autem vis hæc est. Quisquis has res habet scientiam, videlicet, rei militaris, virtutem, authoritatem, & fælicitatem, ad hoc bellum deligendus est, imperator. Pompeius præcipuè has res habet: Ad hoc igitur bellum deligendus imperator.

Satis mihi multa verba, *propositio tertiæ partis per transitionem*, vtinam Quirites, *Antequam commendet Pompeium, ipsam proponit propositionem, scilicet, Pompeius est præficiendus, quam syllogismo quadripartito tractat, propositione, assumptione, Ratione assumptionis, & complexione.*

Propositio, si magna copia imperatorum esset: difficile eligendus esset imperator.

Assumptio, sed vnus est Pompeius imperator.

Ratio, quia omnes gloria superauit.

Complexio. Ergo iste bello est præficiendus.

Scientia rei militaris ineſt Pompeio.

GRAMMATICA EXPLICATIO.

HOc homine *Pompeio obſerua appellatiuum nomen eleganter poni pro proprio per emphaſim*, èludo, *è ſchola, omnium enim ſcholam ludum dixêre Romani, & magiſtri ludi dicuntur, qui primas literas docent, author eſt Aſconius, qui tamen Pompeius multa in ſchola præter illas primas literas didicit; nam cauſas in foro egit, Milonem defendit, vt ait Cic. pro Milone cuius etiam illa verba ſunt ex libro de claris oratoribus. Meus æqualis Gn. Pompeius, vir ad omnia ſumma natus, maiorem dicendi gloriam habuiſſet, niſi eum maioris gloriæ cupiditas, ad bellicas laudes abſtraxiſſet. Erat oratione ſatis amplus, rem prudenter videbat, actio vero eius habebat, & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem.* Bello maximo, *quod erat aduerſus Cinnam. Imperatore Gn. Pompeio Strabone huius patre ſuſceptum, ſub quo Pompeius ætatis ſuæ anno decimo ſeptimo ſtipendia fecit, ac poſtea extrema pueritia L. Syllæ miles fuit.* Extrema pueritia, *Seruius Tullius Romanorum rex ætatem hominis in tres partes diuiſit, vt pueri eſſent ad annum 17. inde ad annum 46. iuuenes, & ætate reliqua ſenes, vt ſcribit Aulus Gellius lib. 10.* Summi Imperatoris *L. Syllæ, inde Sertorius appellabat Pompeium Syllæ diſcipulum, vt in eiusdem Sertorij vita Plutarchus ſcribit,* ineunte adoleſcentia, *adoleſcentiam pro iuuenili ætate dicit, nam adoleſcentes &*

tes & iuuenes Seruij diuisione non distinguuntur. Maximi exercitus, *L. Cinna cõsule occiso Gn. Papirius Carbo eius collega, magis seditiosus, exercitum parauit Con. Syllam à bello Mithridatico redeuntem. Sylla igitur cum victore exercitu in Italiã reuerso Gn. Pompeius ãnos tres & viginti natus in agro Piceno tres legiones comparauit, multos vt à Carbone deficerent sollicitauit. Lucij scipionis inimici milites ad se allexit, multaq; egregia in Italia fecit facinora: ad Syllam ventens, equo desiliens, Syllam Imperatorem salutauit: Pompeium & ipse Sylla Imperatorem contra salutauit: idq; mirum omnibus fuit, quod inueni viro, in senatum nondum admisso, id nomen Sylla communicauerit. Illud quoque honoris Pompeio Sylla præstabat, vt aduenienti assurgeret, eiq; caput aperiret, quod nulli alij Sylla faciebat, quamuis multo, viros clarissimos se cum haberet,* confecit, *bello subiugauit easque pop. Romano prouincias fecit,* Suis imperijs, *Nam ferè omnibus in prælijs quibus adfuit, ipse Imperator fuit ideoq; rei militaris disciplinã vsu non præceptis assecutus est, vsum autẽ magistrũ esse optimũ Cic. ipse non semel dixit,* fortuna reipub: *cui contingit vt multa bella, multis in regionibus gererentur,* Ciuile, *cum Cinna & Carbone,* Africanum, *cum Gneio Domitio, aliisq; proscriptis, & Hierica rege Numidiæ, quod intra dies quadraginta confecit, natus annos quatuor & viginti. Ex hoc bello reuertentem Sylla obuiam profectus, magna voce magnum eum salutauit, quod ei cognomen factum est, isq; ea ætate adhuc eques Romanus triumphauit, quod ante hanc ætatem nemini contigerat,*

tigerat, authores Tit. Liuius lib. 89. & Plutarchus in vita Pompeij C. Transalpinũ quod cum Gallis gesſit, qui Romanis legionibus in Hiſpaniã iter includebant, Hiſpanienſe, cum Sertorio, Miſtum ex ciuitatibus, quo tempore Lucullus in Aſia cum Mithridate bellum gerebat, in Italia exortum bellum ſeruile eſt. Nam capuæ ex ludo Lentuli 74. gladiatores profugerunt, & ſeruulorum & ergaſtulorum tantam multitudinem coëgerunt, vt ad ſexaginta millia armarentur. Eorum duces Chryſus, Granicus, & Spartacus fuerunt. Hi Romanos imperatores ſæpè vicerunt, ſed anno tertio, quam bellum exortum eſt, cum à Q. Ario, tum maximè à Marco Craſſo deuicti ſunt. Ex bellicoſiſſimis, ideſt, ex Gallis & Germanis. In hoc enim fugitiuorum exercitu Gallos Germanoſq; fuiſſe, quorũ dux erat Granicus, Tit. Liuius lib. 97. ſcribit. Nota Gallos, vt ſcribit Tit. Liuius lib. 10. inter ferrum & arma, iratos, feroces, quum ſuopte ingento tum aduerſus pop. Rom. quondam fuiſſe D. Brutus in epiſtola quadam apud Cic. quæ in libro epiſtolarum familiariũ vndecimo Gallos eſſe dicit omnium bellicoſiſſimos. Apud Romanos maiorum more, nulli ciui bello Gallico immunitas erat, vt ait Cic. pro M. Fonteio authore Appiano lib. de bellis ciuilibus ſecundo, in ſacerdotũ & ſeniorum lege, quæ de immunitate lata eſt exceptum fuit, niſi Celticum bellum inſtaret. Eo enim inſtante ſacerdotes, ſenioresq; eſſe in armis oportebat: nam Gallica gente, nulla Romanis fuit formidabilior, nauale bellum, quod cum pyratis geſsit, varia & diuerſa genera, quia alia terreſtria alia maritima fuerunt.

Hoſtium,

Hostium, *quia alij reges, alij exules, alij proscripti, alij pyratæ, alij serui fuerunt*, confecta, *expleta, & ad finem perducta.*

Rethorica explicatio.

Dispositio argumenti primi.

Quatuor partibus hoc argumentum tractatum est, Propositione, Assumptione, Expollitione, & Complexione.

Propositio, Cui ineſt rei militaris scientia, hic est præficiendus huic bello, Assumptio: sed Pompeio ineſt.

Expollitio per rationem: Quia omnem ætatem in eo studio contriuit.

Item per comparationem: Quia multa bella geſsit.

Et per exemplum: Quia ciuile Asiaticum, & cætera bella confecit.

Complexio: Ergo est præficiendus, ego enim, *propositio Syllogiſmi*, Quis igitur, *assumptio*, qui èlu do *Ratio assumptionis*, qui sępius cum, *Assumptionẽ comparatione dilatat quæ loco exornationis est posita*, Quod deniq; genus, *enumerat bella à Pompeio confecta*, nullam rem esse, *conclusio argumenti*

Figuræ.

SAtis mihi multa, *transitio*, vtinam, *optatio*, (Quirites) anakinoſis seu cõmunicatio, antiquitatis memoriam, *denominatio seu methony-*

mia, scientiam rei militaris, *articulus*, *nam hic dictiones plures sine copula proferuntur*, Qui è ludo qui, *repetitio ex pronomine qui*. Qui sepius cũ hoste *dissolutũ nã orationes plures sine coniunctione proferuntur*, Ciuile, *articulus propter nonnullas dictiones ẽcopulatas*, plura bella, *Syperbole*, nõ sed, *ablatio*.

Virtus ineſt Pompeio.

IAm vero, *Hac particula commodè ex vna re in aliam transimus*, tortitudo, *quæ est mortis, doloris q̃ contemptus*, Industria, *perseuerantia quam assiduitatem animi Cic: apellauit*, celeritas *quæ in imperatore valet plurimum*, Huius virtute, *in bello quod gesßit cum Cinna & Carbone*, Sicilia, *Gn. Papirius Carbo, à Sylla sæpe in Italia victus, in Syciliam profugit. Pompeius in Siciliam, cùm imperio à Senatu missus, Carbonem tribus Cõsularibus insignem vicit capitq̃: is cùm ad supplicium duceretur, flebat muliebriter, vbi vero strictum gladium imminere ceruicibus suis conspexit, locum & horam perbreuem orauit, quod ventris onere molestari se dicebat, Author Liuius lib: 89. & Plutarchus in vita Pompeij*. Africa, *oppressa viginti millibus hostium, quorum tria millia, è manibus Pompeij effugerunt, cæteri omnes vna cum duce suo Domitio interempti sunt, hoc bellum confecit Pompeius 40. diebus*. Gallia, *Citerior, vbi Brutus Mutinæ ob sessus per proditionem militum, venit in Pompeij potestatem, à quo occisus est*, Hiſpania, *quam Pompeius superato & occiſo Perpenna, recepit decimo ferè anno postquam cæptum erat bellum*. Teſtes omnes oræ,

id dicit

id dicit propter bellum, quod cùm Pyratis Pompeius gesſit. Mithridates initio belli cum populo Rom: ſuſcepti, aliquot homines in naues impoſuit, ne tam libera eſſet Romanorum in Aſiam nauigatio. Quum vero bellum exarſiſſet. hi aucto numero prædonum more, vt mare, ita inſulas, & vrbes Maritimas, ipſam denique Italiam infeſtabant, cui annonæ commercia includerant. Hi Cilices appellati ſunt, vel quia in Cilicíam ſe receptabant, vel quia primi Cilices fuerant. In horum ſocietatem, accepti ſunt prædones, exules fugitiui, ſerui: Eorum numerus ita creuit, vt naues amplius mille haberent, tam multa præda locupletati ſunt, vt inauratis rudentibus, velis purpureis, remis ſubargentatis vterentur Gn. Pompeius lege Gabinia factus imperator, bellum incredibili celeritate confecit, de quo Florus, Appianus, & Plutarchus in vita Pompeij ſcripſerunt, Maria omnia, *Tyrreneum, Libicum, Sardoum, Cyrenæum, Siculum, quæ omnia expurgauit Pompeius pyratis diebus quadraginta,* Mare clauſum, *quia in eo nauigare metu prædonum non auderent,* Brunduſio, *Brunduſium ciuitas, Italiæ portunabilis, vnde in Græciam, atq; in Aſiam tranſmittitur,* Tranſmiſerunt, *mare tranſierunt Duodecim ſecures, prætori Romano, præter regia inſignia conſulares ferme apparatus, non dabantur, niſi ſex numero lictores, Et quod hic dicit duodecim ſecures, intelligendum eſt de duobus prætoribus Sextilio, & Belino, quoſ cum lictoribus & inſignibus captos ſcribit Plutarchus,* venirent, *imploratum auxilium aduerſus pyratas,* Colophonem, *colophon & Samus,*

Ioniæ vrbes Herodotus lib. 2. innumerabiles, *quadringentas enim captas, tenuêre pyratæ*, caietæ, *Caieta portus maris Campani, dictus à muliere Troiana ibi sepulta ab Aenea Virgil. lib. 7.* vitam & spiritum ducitis, *à quibus annona frumentaria vobis præcipuè aduehitur.* Miseno, *Misenus mons Campaniæ*, Hostiense, *Hostia vrbs condita ab Anco Martio rege in ostio Tyberis, vt ait Titus Luiui. lib. 1. Tanta audacia fuit pyratarum, vt ad vrbem venientes, prædam egerint, non sine ignominia Romanorum. Iniuria quæ fit inspectantibus nobis, grauior esse videtur, vt Virgil: lib. 2. Aeneid: de morte Politæ, qui Priami filius fuit: vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum, concidit, ac vitam multo cum sanguine fudit. Ea res quantù Priamũ cõmouerit illic dicitur. Interdũ tamen gloriosũ censetur ante ora parentũ, pro patria fortiter cadere, vnde Aeneid. 1. ô terq; quaterq; beati, quîs ante ora parentũ sub manibus altis, cõtigit oppetere &c. Sed huius modi iniuriæ ad diuersa referũtur, & diuersis fiũt modis. Nam Politæ cades fugientis, turpis fuit Priamo, nec Politæ gloriosa, Hectoris & Troili, fuit occisis gloriosa, & ideo spectantibus minus tristis, licet parentibus,* ostium, *ãte ostiæ portũ, qui in hostio Tyberino est,* Oceani ostium, *in toto mari interno,* obeundi negotij, *obserua duas res, quibus incitentur homines ad iter faciendum, celeritas, negotij conficiendi, & consequendi quæstus cupiditas,* cursus nauigationis, Belli impetus, *Pompeij classis, in qua belli impetus consistebat,* frumentaria, subsidia, *quæ frumentum submini strant, vt Tit. Liuius Siciliam & Sardiniam, in secundo bello Punico appellat duo Reipub: horrea,* recepis-

set G. Pompeius, *accepto in pyratas Gabinia lege, imperio, internum mare, in multas regiones diuisit, ac vnicuiq; parti classem ducemq; præfecit. His ducibus dispositis Romam rediit, quia Piso Consul apparatum nauale soluere t, militesq; stipendijs liberaret,* Duabus Hispanijs, *vlteriore & citeriore,* Duo maria *Thyrennum & Adriaticum,* cisalpina, *citerior de hac Strabo initio lib.* 5. idem cretensibus. *Post ciliciam pyratarum receptaculum alterum Creta erat. Quinto Metello Proconsuli, bellum aduersus Cretenses ante mandatum est, quam pyratas persequi Pompeius iussus esset. Pyratas multos ibi Metellus morte mulctauit, eandem pœnam metuentes reliqui prædones à Metello obsessi Pompeium in Cretam suppliciter inuitabant, vt ei seipsi dederent, quod Creta sub eius imperio esset. Itaq; Pompeius Metello scripsit, vt ab eorum oppugnatione desisteret, mandauitq; insulæ ciuitatibus, ne Metello parerent, eoq; legatum L. Octauiũ misit. Is in vrbem obsessam cum præsidio ingressus pyratis contra Metellum auxilium tulit, non tamen cessit Metellus, obsessos ad deditionem compulit, de hisq; supplicium sumpsit, Octauium traductum, & per contumeliam in castris habitum dimisit, authores sunt Tit: Liuius lib: 99 & Plutarchus. Obserua Ciceronem id quod Pompeio turpe fuit contexisse, inq; laudem conuertisse. Metello enim gloriam verum suarum gestarum tollere turpe fuit, turpius autem Pompeium gloriam suam cum prædonũ causa coniungere.* Depræcatores, *qui pro se Pompeium præcarentur Terent: precatores, vulgus intercessores appellat, vbi quid offensa admissum est.* Obsides, *imperauit vt darent obsides. Est autẽ obses pignus dan-*

gnus dantis fidem alteri: qui si dator fallit fidem, est in potestate eius qui accipit. Dicitur autem ab obsidendo, quia dabatur hostibus ab obsessis pro gratia pacis recõciliandæ, extrema hieme, *extrema parte hiemis, vt ante dixit extrema pueritia. Hic attendere licet partiũ anni diuisionem, vt dicamus ineunte vere, & extremo vere; Itidem de aliis anni partibus dicere licet. Significat autem amplius quatuor menses hoc bellum' apparatum, susceptum & confectum fuisse. Pyrates intra quadragesimum diem expulsos esse Liuius scribit lib: 99. Plutarchus hoc bellum tribus mensibus, Appianus centum viginti diebus confectum dicit.* Artes, *virtutes: ars enim à virtute appellata est*, facilitate, *non fælicitate legendum est*, ingenio, *quanto consilio quanta dicendi Copia & grauitate*, contentione, *comparatione*, aliquo innumero, *aliquo in ordine Imperatorum*, innocentia, *innocentia vt ait Cic: lib. 3. Tuscu. Affectio talis animi vt nemini noceat, idem in lib. 5. innocentem dici eum, qui non noceat scribit*, væneant centuriatus, *vendentur verbum vnum est ex iis quæ appellantur antopatetica. Male se rem habere Cic. scribit in libro de officijs, vbi quod virtute effici debet, id tentatur pecunia.* Centurio, *qui præest Centũ militibus. Centuriatus, munus est Centurionis*, prouinciæ, *prorogandæ*, Quæstu, *in lucro in vsura. Apud Romanos veteres postquã designati consules & prætores erant, decernebat senatus, qua prouinciæ consulares quæq; prætoriæ essẽt: postea sortiebãtur consules vter vtrã prouinciã haberet, itemq. prætores prætorias prouincias sortiebantur. Aliquando tamen senatorum*

iudicio

iudicio potius quam sortitioni rem magistratus permittebant. Id Gn. Lælium maiorem & L. Scipionem consules fecisse T. Liuius lib. 38. scribit. Postea Gn. Grachus decreta lege sanxit, vt necesse esset prouincias consulares per senatum quotannis constitui, vt ait Cic. in oratione pro domo sua. Nonnunquam tamen furiosi Tribuni pleb: contra hanc legem Semproniam, quas volebant prouincias, sine vlla senatus authoritate dabant, vt Vatinium Trib. pleb. eripuisse senatui prouinciæ decernendæ potestatem Cic. in oratione contra eum dicit. Idem in oratione pro domo sua pub. Clodium Trib: pleb: à Gabinio & L. Pisone consulibus, amplificato precio nominatim dedisse prouincias scribit. Quamuis ante vtriusq; tribunatum hæc lex Manilia lata sit, tamen coniicere licet, alios quoq; Trib: pleb: antea idem fecisse, vestra admurmuratio, populus enim Romanus admurmuratione & acclamatione solitus erat probare, quod publice aut fieret, aut diceretur. Itaq; significabat pop. Rom. vera esse quæ Cic. diceret. Ad hunc admurmurationis morem alludit Vergil. Aeneid. Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant Dardanidæ, nec de Troianorum indignatione intelligi debet, Quocunque ventum sit, siue in nostras prouincias, siue in sociorum & amicorum popu. Rom. agros, & ciuitates, oppida, per colonias & municipia, an hybernis, Roman Imperatores quas vrbes hostium æstate ceperant, eas instante hyeme firmis præsidiis muniebant, exercitumq; in vrbes propinquorum sociorum in hyberna deducebant, neque enim potest, sententia est quales enim Cic. in libro epistolarum familiar.

miliar. in repub. principes sunt, tales etiam reliqui solent esse ciues, non continet, ab alienis diuitiis manus non abstinet, Seuerus, Seuerus in iudicando est is, qui nihil reo ignoscit, nihil de pœna legibus constituta remittit: qui in iudicando, nec gratiam, nec odium, nec preces, sed verum sequitur, inde seuerum appellatum putant. Iudicem oportere esse sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, immisericordem, inexorabilem, est apud Agellium lib. 14. in Asiam, in Ciliciam, & in Pamphiliam, pacato, qui hostis non esset, sumptum faciat, vt pecunia, vel vestis, vel commeatus detur militibus, cupienti, facere, tantã celeritatem, in pyratis persequendis, non auaritia, vt Luculli milites, Libido, vt G. Verrem Lampsaci detinuit, vt Selapsia Annibalis robur molliuit, Plutarchus ea continentia fuisse Pompeium refert, vt fugatis Mithridate ac Tygrane regibus ex omnibus pellicibus Mithridatis, quotquot captæ fuerant, nullam stupri commercio exceperit, sed saluas ac integras suis restituit parentibus ac necessariis, Nobilitas vrbis ad cognitionem, Pompeius postquam soluit Brunduſio, denegotio suscepto sollicitus, quum vrbes cæteras prætermitteret, Athenas tamen aduenit, rem sacram fecit, sed habita contione populi, ex templo discessit, vt in eius vita Plutarchus scribit, Labor ad quietem, solent imperatores militibus, labore aut via fatigatis, concedere, vt curent corpora, seq; reficiant: signa & tabulas, signa dicuntur sculptilia, siue fusilia ad effigiem animalium fabricata, tabulæ vero, opera pictorum. Si quidem in tabulis antiqui pingebant, non

in parte-

in parietibus, cæteri, *imperatores*, viſenda, *illi enim apertè mirabantur, furtim verò domos ſuas remittebant*, nunc denique, *nunc primum, idenim, tũ dicitur, quum aliquid ante fieri, aut dici oportuiſſe ſignificamus*, Homines Romanos, *vt Curium Dentatum, & Fabricium, qui tanta fuerunt abſtinentia, vt etiam oblata vltro munera repudiarint*, dicendi grauitate & copia, *Quod patet ex oratione Ciceronis poſt reditum ad Quirites, in qua laudat maximè tripartitam illam orationem, quam Gn. Pompeius ad populum habuit*, hoſtes, *pyratæ quos indeditionem accepit, iis q, fidem ſeruauit*. Tranſmittendum, *tranſmittere bellum, eſt belli onus alij decernere*.

Rethorica explicatio inuentio & diſpoſitio.

SEcundam rem quæ ſpectanda eſt, *in ſummo imperatore nimirum virtutẽ, elucere probat in pompeio per diſtributionem: primum autẽ aſſumptionem ponit, deinde rationẽ aſſumptionis per partitionem 3. approbationem, per conglobationem. 4. complexionem. Porro ſi recte volumus intelligere argumenta, & rationes quibus Cic: nititur oſtendere in Pompeio reperiri virtutem, diuidamus virtutes in certas ſpecies, quarum aliæ ſunt principales, aliæ harum adminiſtræ, atq, comites. Principales ſunt 4. Labor, fortitudo, cõſilium, celeritas. Harum adminiſtræ, Innocentia, temperantia, facilitas, prudentia, fides, humanitas. Sed videamus primo in Pompeio principales quatuor virtutes, cuius argumenti diſpoſitio talis ſit.*

Propoſitio, cui in eſt virtus, is virtutem habet, ſed maiorem omiſit, vt veram. Minor,

Minor, Pompeio ineſt virtus.

Ratio, Quia & labor & fortitudo, & conſilium & celeritas, quæ ſunt virtutes militares in eo reperiuntur.

Approbatio pro omnibus partibus. { *Conſilium: Quia Italiam, & Siciliam conſilio ſuo multis periculis explicauit.* *Celeritas: quia multa bella celeriter conſecit.* *Fortitudo: quod exemplis illuſtrat.*

Iam vero, *Aſſumptio*, Non enim, *Ratio aſſumptionis per partitionem, quæ vel per affirmationẽ, vel per negationem ab oratoribus ponitur*, teſtis eſt Italia, *Approbatio ſingularum partium per exempla. Ac primum probat ſummo conſilio eſſe Pompeium, quia Italiam, & Siciliam, conſilij celeritate, pacatam fecit*, Teſtis eſt Africa, *Hic probat ineſſe fortitudinem Pompeio, cùm bellum cùm Domitio geſſit*, Teſtis vero iam, *probat Pompeium fortitudine & celeritate, magnum illud bellum Maritimum ſeu Pyraticum ſuſtuliſſe: Primum autem ponit Aſſumptionem, deinde rationem aſſumptionis, in qua enumerat calamitatis belli Pyratici: Iterum ſequitur approbatio aſſumptionis, deinceps reppetit aſſumptionem affectatam. Demum rationẽ aſſumptionis per commodorum enumerationẽ. Vltimo eſt concluſio argumenti*, Teſtis, *Aſſumptio, id eſt bellum Pyraticum Pompeius ſuſtulit*, Quis enim toto, *Ratio aſſumptionis, qua probat illud bellum eſſe magnum ab in commodis ſuſceptum: Quia in eo bello nemo tutus, nec prouinciæ liberæ, nec ſocij defenſi, vrbes direptæ, mare clauſum, & reliqua in-*

liqua incommoda erant, Quis enim, *prima pars*, Quam prouinciam, *secundum probat*.

Dispositio huius argumentationis.

Assumptio Bellum maximum & turpe Pompeius confecit.

Ratio, Quia in eo nemo tutus esse potuit.

Approbatio triplex. 1. *Quia non tantum alienos, sed etiam nostros Piratæ hoc tempore vexauerunt.* 2. *Quia multas vrbes & insulas caperũt.* 3. *Quia classes multas confecerunt.*

Iterum assumptio, *Sed pompeius hoc bellum confecit*

Ratio assumptionis per partitionem. *Quia Pompeius omnes prouincias eo bello liberauit.*

Fuit hoc quondam, *Hic communem propositionem ad exaggerandas calamitates, ex Piratico bello susceptas posuit, sensus est. Maiores vestri longe à domo socios defendebant, vos autem non tantum socios sed nequidem vos ipsos tueri potestis*, socijs vestris, *Hic iam probat socios nõ esse defensos, quod nemini tutum mare fuerit*, Quod ad nos, *probat multos ciues fuisse à prædonibus captos*, Quid aut Colophonem *probat vrbes & portus à Piratis esse captas*, Nam quid ego, *Hoc loci captus. Hoc loci est partitio*: Pro dij immortales.

Hucusq; enumerauit calamitatem belli Piratici, nunc iterum adfert commoda, quæ sua virtute Pompeius fecit.

Propositio.

Pompeius Mithridaticum bellum sustulit.

Ratio, per partitionem, quia tot provincias bello Mithridatico liberauit.

Complexio, Ergo in hoc est virtus.

Prô Dij, *assumptio*, Atq; hæc qua, *Amplificat argumentationem præteritione*, Quis enim, *hic est ratio assumptionis per partitionem*. Ita tantum, *concludit in Pompeio virtutes esse militares*..

Põpeio nõ solũ insũt principales bellicę virtutes, *scilicet, labor, fortitudo, consilium, celeritas*, *sed etiam harum administræ, hoc est innocentia, temperantia, facilitas, prudentia, fides, humanitas*. Est hæc diuina, atq;

Est autem talis Syllogismus.

PRopositio: *In sũmo imperatore non solum bellicæ virtutes, sed etiam aliæ requiruntur.*

Assumptio, Sed in Pompeio istæ reperiuntur, vtpote innocentia, temperantia, facilitas, prudentia, fides, humanitas.

Complexio. Ergo est summus imperator.

Propositionem simpliciter tractat; Assumptionis singulas partes suo ordine probat.

Postea conclusionem ponit, Et est hæc diuina, *transitione vtitur per partitionem*, non enim solũ, *propositio syllogismi*, Ac primum quanta, *Assumptio per enumerationem virtutum.*

In Pom-

In Pompeio reperitur innocentia.

Quem enim possumus, *hoc probat quinque partito argumento per comparationem.*

Dispositio argumenti.

Propositio, *Qui sunt auari, non sunt innocentes.*

Assumptio, *Sed alij erant auari, & non continentes: Pompeius autem continentissimus.*

Ratio, *Quia multas vrbes depraedati sunt. Pompeius autem innocenter sese gessit.*

Complexio, *Ergo est innocens*, vestra admurmuratio, *Assumptio*, Itaque propter, *assumptionis primam partem probat, per conglobationem calamitatum, quas multae prouinciae acceperunt. Estq; pathetica oratio.* Hic miramur, *Secunda pars assumptionis Pompeium innocentem fuisse*, cuius legiones, *Ratio assumptionis per enumerationem superiori oppositam*, Iam vero, *Alias enumerat commoditates*, Hyemis enim, *Conclusio de innocentia per locum communem.*

Temperantia Pompeio inest.

Age verò cæteris in rebus, *quod trium partium argumento probat.*

Assumptio, *Pompeius est temperans.*

Ratio assumptionis per partitionem. Quia bellum piraticum celeritèr quod signum est temperantiæ confecit.

Quia non auaritia, non libido, non signa eum in bello retardare potuerunt.

Complexio omnium sententia temperans est habitus.

AGe verò, *Assumptio*, vnde illam tantam? *Ratio assumptionis*, Non enim illum, *observa hic dilatandi rationem per negatiuam interpositionem*, Itaque omnes, *Complexio à communi omniũ sententia. Ergo est temperantissimus, eaq; virtute nomen pop. Rom. illustrauit.*

Facilitas, prudentia, fides, humanitas Pompeio insunt, iam verò ita faciles, *hoc probat per tractationem enthimematis, ac primum illi inesse facilitatem ostendit, per facilitatis definitionem cùm dicit*, Iam verò ita faciles: *prudentiam cùm dicit*, iam quantum: *fidem probat inesse cùm dicit*, fidem verò: *Humanitatem cùm dicit*, humanitate iam. *His omnibus absolutis sequitur conclusio, quæ suadet Pompeium præficiendum esse tanto bello cùm dicit*, & quisquam.

Figuræ.

IAm verò, *interrogatio*, labor, *partitio*, tanta quanta, *redditio*, testis est Italia, *partitio, amplificatio, anaphora*, cincta periculis, *metaphora*, quod bellum, *adiunctio*, Imminutum, *sublatum, synonimia*, Quis vnquam, *commutatio: nam hîc sententiæ ex transitione efferuntur, vt à priori, posterior contraria priori*

via priori proficiscatur, & conuenit cum tropo qui antimetabole nominatur. Sed quid, *præcisio*, fuit quõdam fuit, *conduplicatio ratione amplificationis est, & epiphonema*, Quid ad nos, *subiectio vsq; ad eum locum.* Atq; hęc qua celeritate, *quærit enim quid dici posśit, deinde subijcit, quod sibi adiumento futurum sit*, Quid aut Colophonẽ, *partitio*, portus portus, *geminatio*, pro Dij immortales, *exclamatio*, vt vos, *comparatio*, Siciliam adijt, *breuitas, & similiter cadens, dissolutum*, Ita tantum, *Epiphonema*, extrema hyeme, *similiter desinens, & dissolutum*, est hæc diuina, *transitio*, Ac primum, *partitio*, *Admurmuratio* præmunitio remouendæ calumniãdi, *suspicionis gratia*, Quare, *Aethiologia*, Recordamini, *patopœia: mouet enim commiserationem ab afflicta pop. Roman. sociorumq; fortuna*, neque enim, *sententia*, Iam verò, *transitio*, non auaritia, *articulus & similiter cadens*, nunc denique, *repetitio aduerbij nunc.*

Authoritas inest Pompeio.

Grammatica Expositio.

ET quoniam authoritas, *Authoritas est pondus & eminentia quædam, vitæ probitate, scientia, ætate, meritis, potentia, vel honoribus parta, cuius gratia, dictis, factisq; cuiuspiam plurimum deferimus.* Quod igitur nomen. *Gn. Pompeius magnam nominis gloriam, admirationemq; sibi, apud cunctas gentes ex rerum præclarè gestarum magnitudine conciliauit.*

Nam in Sicilia recuperanda, egregiam operam adolescens nauasse dicitur: & Syllæ partes secutus Domitio ingenti clade expugnato, ac Iarba rege capto, totam subegit Africam. Et quoniam de ea adolescens pubertatis annos, neq; dum egressus, id quod ante nemo, triumphaßet, lætis omnium acclamationibus, ab vniuerso Syllæ exercitu magnus est salutatus. Inde maiore animo, in Hispaniam profectus, communi Metelli consilio auxilioq; Sertorium cum vniuersa factione sustulit. Post lege Gabinia imperator creatus, ac bello præfectus piratico, furiosos prædones, ac animalium in morem graßantes, toto mari intra quadragesimum subegit diem. Reuocato deinde L. Lucullo successit, atq; de Mithridate triumphauit. Tigranem regem deuictum, & inter miserandas lachrimas ad genua procumbentem, in regnum misit, ita vnus homo insignis fama, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Siria, Scythis, Iudæis, capto eorum rege Aristobulo, Albanis, Iberia, Creta, Basternis triumphauit, indignus qui post cladem Pharsaliçam tam fædè interimeretur, Illius dici, *quo prolata lex Gabinia est,* Referto foro, *Comitium foro ita propinquum erat, vt pro eo forũ sæpe dicatur. Circum forum multa templa fuiße Asconius significat, quum pro templis omnibus circum forũ præsidia in causa Milonis, à Pompeio disposita scribit,* omnium gentium, *bellum piraticum,* vilitas annonæ, *id diuino numine comprobatum significat, vt de suo reditu dicit in oratione pro domo sua. Quum de mea, inquit, dignitate in templo Iouis Maximi, Senatus frequentißimus vno isto dißentiente decreuißet, subito illo*

to illo ipso die carissimam annonam, nec opinata vilitas consecuta est. Erant, qui Deos immortales, id quod ego sentio, numine suo reditum meum dicerent comprobasse, Rei frumenti, *frumenti*, accepta calamitate, *quum à Mithridate Gaius Triarius deuictus est*, inuitus admonui, *Quũ dixit finite hoc loco Quirites sicut poëtæ solent, qui res Romanas scribunt*, Eas regiones, *in Asiam minorem ad bellum piraticum*. Insolita, *magna aut non solita, sæpissime enim Mithridates victus, fuerat, rarissime victor*. Inflammatum victoria, *est enim victoria insolens natura, & superba, vt pro Marco Marcello Cic. dicit*, Magnis, *Copiis Tigranes enim magnis copiis Mithridatem ex Armenia in pontum redeuntem secutus est, aduersus quem, quum duceret exercitum Lucullus, ne se cum Mithridate coniungeret, ab Senatu, vt Plutarchus ait, reuocatus est*, Quid virtute, *Nam si absens Pompeius authoritate tantum proficit, proficiet facilius præsens virtute*, Ex locis tam longinquis, *de piratis intelligit*, noster imperator, *Quintus Metellus cui proconsuli bellum aduersus Cretenses mandatũ erat. Vltimas terras in Pamphiliam*, omnes ciuitates, *non solum piratas, qui ab Metello obsidebantur, sed reliquos quoque Cretenses optasse venire in deditionem Pompeij dicit*, Erat molestum, *Ex inuidia quod ad se quoque missus non fuisset. Metellum autem & Perpennam significare videtur, quibus exercitus quoque in Hispania cõmissi erant, contra Sertorium, quo tempore Gn. Pompeius quæstor adhuc cum imperio consulari aduersus Sertorium missus est*, Speculatorem,

exploratorem vero autem simile magis est eũ speculatorẽ quã legatum fuisse, Magnis vestris iudiciis, *quæ de Pompeio feciſtis, quũ ei Sertorianũ bellũ, itemq; mariti mũ contra piratas cũ imperio consulari mandauiſtis.*

Rhetorica explicatio inuentio & dispositio.

Transit orator à cæteris animi virtutibus ad Pompeij authoritatem, cuius vim in bellis administrandis plurimum valere hac ratiocinatione rhetorica ex quinq; partibus constituta probat.

Propositio, Qui in bellicis rebus authoritate valet, illi bellum est committendum.

Ratio propositionis: Quia multum interest quid hostis de imperatore sentiat.

Aſſumptio.

Sed Pompeius authoritate valet.

Ratio duplex.

1. *Quia vniuersus pop: Rom. ita de Pompeio sentit.*
2. *Quia in bello Piratico & Mithridatico plurimum illius valuit authoritas.*

Complexio.

Ergo bellum Pompeio est commitendum, Et quoniam, *Propositio assumptionis,* vehementer autem *ratio propositionis partitione dilatata,* An verò vllam, *ratio assumptionis,* itaq; vt, *secunda ratio per exemplum sensus est. Quia Pompeij nomen in suscepto bello Piratico summam copiam annonæ effecit. Quod exemplum tractat duabus partibus propositione & expositione,* Itaq;, *propositio exempli.* Qui quo die,

expositio

expositio exempli, iam verò accepta. *Secundo exemplo assumptionem amplificat sensus est. Bellum Mithridaticum authoritate Pompeius compressit. Ergo in eo summa est authoritas, quod exemplum tractat expositione, comparatione, perfectione, & enthimemate*, iam verò, *expositio*, amisistis Asiam, *comparatio*, Et quisquam, *Enthimema. Tertium exemplum*, age verò illa, *Ad Pompeium vniuersus propè orbis legatos misit. Ergo Pompeius authoritate valet. Antecedens conglobatione argumentorum dilatat.*

Potestis igitur iam, *Complexio argumentationis de authoritate.*

Elocutio.

ET quoniam, *transitio*, ille idem *periphrasis* cùm sciamus, *ratio*, aut contemnant, *partitio Synonimia, interrogatio*, tanta, *deffinitio authoritatis*, An verò, *approbatio*, cùm vniuersus, *subiectio*, itaq; *transitio*. Quantam vix, *comparatio*, &, & *diuisio*: Quod ex locis, *conglobatio*, *partitio*, *anaphora*, speculatorem quam legatum, *antiphrasis*, potestis igitur, *Eroteſis seu interrogatio per apostrophen.*

Fælicitas inest Pompeio.

RElíquum est, vt de fælicitate, *istius modi fælicitas perpetua non est, eam enim qui nacti sunt, ad extremum misere, aut victi, aut mortui sunt. Alexander magnus*, venêno *necatus*, & *Scipio Africanus maior*

nus maior, à suis eiectus in exilio periit. Profugus Annibal veneno sibi mortem consciuit. Scipioni Africano minori in ædibus quiescenti vis allata est. Quis autem ex Romanis victoriarum atq; triumphorum gloria G. Pompeio clarior atq; felicior? is miserè victus à Cæsare, miserius obtruncatus est: Iam Cæsarem victorem in capitolio necatum nemo nescit. Adde etiam si lubet vrbis Romæ fælicitatẽ, cuius tantũ fuit imperiũ, quantũ nullius ciuitatis, quæ miserè amisso imperio cæpè capta est, illud verũ est quod in Agamemnone Seneca scribit: Nulla longi temporis fælicitas, præstare, *prædicare Cic: 1. de Officijs: Deforme est de seipso falsa præsertim prædicare,* maximo, *Fabio qui cunctando Annibalem superauit,* Marcello, *qui Siciliam recuperauit, Florus de eo lib. 2.* Scipioni, *Africano qui Africam vicit, Flor: lib: 2. cap. 15.* Mario, *à quo Cymbricùm bellum confectum est, Flor: lib: 3.* præterita meminisse, *more dicendi Græcorum. Sic vsum Ciceronem arbitror, ij enim progerundijs quibus carent vtuntur infinitiuo, memini autem nullum habet gerundium. Hæc igitur sententia est, vt præterita recordando; reliqua sperare videamur, nam futurorum spes ex præteritorum memoria persæpe nascitur,* inuisa, *si dicerem fortunam esse in potestate Pompeij,* aut ingrata, *Acceptorum enim beneficiorum commemoratio, animi gratitudinem ostendit,* assenserint, *assentior fere omnes dicunt: Sisenna vnus assentio in Senatu dicebat, & eum postea multi secuti, neq; tamen vincere consuetudinem potuerunt, author est Marcus Varro, vt ait Aulus Gellius lib: 2. vt autem impertio &*

impertior

impertior, reuerto & reuertor, munero & muneror, aliaq; eiusdem generis per multa, ita assentio, & assentior authores grauissimi dixerunt, venti tempestatisque, *quum Piratas Pompeius persequeretur, eos tam breui tempore è mari non eiecisset, nisi ventos secundos, & serenitatẽ habuisset.* Tempestatesq;: *Tempestatem medium esse vocabulum Seruius dicit, in vtramq; enim partem accipitur,* obsecundarent, *Secundæ & prosperæ fuerint,* propriũ, *pro perpetuo dici Nonius Marcellus testis est,* cum communis salutis, *Hic attendas particulam, cùm adiungi cum dictione maioris momenti: & tam minoris, quod est contra grammaticorum præcepta,* Tantum boni, *Pompeium imperatorem diuinum,* In his locis, *vbi bellum cum Mithridate gerendum sit.* Ab ijs qui habent, *ab ijs Romanis qui in prouincijs propinquis cum imperio sunt.* Ab ijs, *à Glabrione cui Lucullus partem militum tradiderat,* Regium, *Mithridatis & Tygranis regum.*

Rhetorica explicatio.

PRobaturus *in Pompeio fælicitatem, vtitur quadam præmunitione, ne interrupta acceßio videatur. Sic igitur constituit argumentationem quinq; partitam.*

Propoßitio, Omnibus ferè imperatoribus ob fælicitatem bella committebantur.

Ratio: Quia fælicitas in summis imperatoribus requiritur.

Assumptio: Sed Pompeius est fælicißimus.

Ratio: Quia & domi & militiæ omnia fæliciter geßit.

Complexio

Complexio: Ergo illi bellum est transmittendum.

Ego enim sic, *propositio Syllogismi*, fuit enim profecto, *Ratio propositionis*. De suis autem, *Assumptio per occupationem*, Itaq; non sum, *Ratio assumptionis*. Quare cum, *conclusio totius argumentationis per repetitionem.*

Quod si Romæ, *superiori argumentationi adiunxit expollitionem velut ex abundanti fiduciæ causa vt ab ipsa loci exercitusq; opportunitate ostendat nemini rectius, præterq; vni Pompeio Asiaticum bellum mandari posse. Cuius est sensus.*

Propositio.

Si domi ac priuatus viueret Pompeius, vtiq; illi bellum esset commitendum.

Assumptio.

Sed cùm in loco opportuno sit.

Complexio.

Ergo illi bellum est committendum

Elocutio.

RElíquum, *transitio*, de potestate Deorum, *Gnomi seu sententia*, Ego enim sic existimo, *partitio & epitasis*, non solum, *Complexio negans.* De huius autem hominis, *occupatio ad deuitandam hominis insolentiám*, Quantas, *anaphora partitio*, ciues, *Comparatio*, *& adiunctio*, *socolon*, *dissolutum seu assindeton*, Quare cum, *frequentatiores, enim dispersæ superius, breuiter hic coguntur.* Quod si, *Comparatio per fictionem*, Quid expectamus, *Epilogus*, *erotisis.*

Quinta

Quinta pars orationis Refutatio.

IN qua Hortensii & catuli sententias confutando, suam corroborat: & enim qui aliena euertit, sua valdè confirmat, vnde fit, vt sæpè confirmemus & confutemus simul.

Grammatica expositio.

AT enim vir clarissimus, *hic in foro Romano cautarum rex ob eloquentiam dictus est, licet eius scripta infra famam fuerint. De quo Cic: in Bruto sic refert. Primum memoria tanta quantam in viro cognouisse me arbitror, vt quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdē redderiderit quibus cogitasset. De quo etiam fertur, quod sedens olim totum diem in auctione, omnes res venales, & precia, & emptores, ordine suo recensuit, argentarijs recognoscentibus, ita vt in nullo falleretur.* Beneficijs affectus, *id est suffragijs vestris factus consul. Quintus enim catulus cum M. Lepido fuit consul: vt enim consulatus magistratus est amplissimus, ita suffragia pro consulatu, beneficia sunt amplissima.* Summis ornamentis honori, *consulari dignitate. Hortensius enim consul designatus erat, quum Verris causa agebatur.* Ingenij, *Nam eloquentissimus erat Hortensius, in oratione iudiciali sit, vt contra aduersarium dicatur. Quā uis id Quintilianus lib. 4. vetet. In deliberatiua autem, si qua sunt authoritate, qui contra sentiunt, hi vituperandi non sunt, vt hoc loco Cic: omnia alia, quæ vel ad nominis*

ad nominis existimationem, vel eloquentiæ laudem, vel authoritatis pertinent amplitudinem illis concedit, in hoc solum, non sine animi moderatione, & molli velut articulo summos alioqui viros taxat, quod priuatis sententijs publicam postponant vtilitatem, quod in Pompeio quicquam noui fieri prohibeant, in quo tam multa sint, publico omnium bono, præter exempla facta, obsoleuit. *Destruit inprimis Hortensij sententiam, & ab exemplo docet, priuatam sententiam, populi vel voluntati, vel saluti condonandam, esse. Estq; hic locus vehemens, vel ad suadendum, vel ad dissuadendum quod volumus: quod exempla sunt, quasi quædam experimenta, & certa humanæ rationis documenta, & ita quisq; ad consentiendum permouetur, vt ipso rerum vsu atq; euentu, qui sæpè plus quam consilium in rebus gerendis valet, est ante exercitus atq; instructus,* singulari facultate, *Cic: in Bruto scribit, Hortensium magnæ eloquentiæ laude efflo ruisse, atq; Asiaticæ dictionis studio inprimis fuisse delectatum. eoq; factum vt adolescens in causis agendis, magis quàm senior floruerit,* Refutata. *Refutare potius à Cic. & Quintiliano, quam confutare dicitur,* A. Gabinium, *lege Gabinia, quod Gn. Pompeio concessum sit, est apud Plutarchum in vita Pompeij. De hac lege in Senatu actum est. Senatus promisit moriturum se potius, quam lex illa referatur. Ei legi Lucius Trebellius A. Gabinij Trib. Pleb. Collega intercessit. Eo perseuerante Gabinius tribus introuocare cœpit, vt Trebellio magistratum abrogarent, sicut quondam Gn. Grachus Tribunus M. Octauio Collega suo*

Magistra-

Magistratum abroganit. Aliquandiu Trebellius, ea re perterritus non aderat, persistebatq; in intercessione, quòd damnari magis, quàm perseueraturũ iste Gabinium arbitrabatur. Sed postea huàm septem & decẽ tribus legem acceperunt, & vna mens esset, vt populi iussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius; atq; item legem Gabinius de Pyratis persequendis pertulit, Author est Asconius in commentariis in orationem Cic: pro Cornelio de maiestate. In qua oratione A. Gabinium virum fortẽ appellat, quem cùm salute pop: Rom: atq; omnibus gentibus, finem diuturnæ timiditatis, turpitudinis, & seruitutis afferet, passum esse negat, plus vnius Collegæ sui, quam vniuersæ ciuitatis vocem valere, & voluntatẽ, fortem igitur appellat, quia contra Senatus voluntatem & collegæ intercessionem, hanc legem ferre perseuerauerit. Aulus Gabinius is est vt arbitror, qui cùm L. Pisone consul fuit eo anno quo Cic: in exilium abijt. Ex hoc ipso loco, dicit Hortensium habuisse duas orationes, quibus Gabiniam legem dissuaderet: vnam in Senatu, alteram in foro. Quid tum per Deos immortales, Per locum cõmiserationis ostendit, quantum detrimenti Respub: acceptura fuerat, si Hortensii authoritas contra legem Gabiniam valuisset, quantum item salutis communi patriæ, Pompeii prouidentia sit partum, vera causa, bona, vt lib: de officiis 3. Tantum dabit amicitiæ, vt veram amici causam esse malit: populi causam ideo veram esse docet, quod Pompeius iudicio populi aduersus Piratas, dux factus, victoria potitus est, Legati, Legatos populi Rom. & duos prætores cum lictoribus à prædonibus captos fuisse antea dixit. Quod

autem hîc adiungat quæstores, intelligi fortasse liceat. Quæstores qui cùm illis prætoribus in prouinciam profiscebantur. commeatu, commeatus nomine hic intelliguntur cibaria ad alimoniam exercitus ciuitatis, multitudinis alicuius. Etiam priuatum commeatum dici hic locus documento est, clausa maria, clausum cuiquam mare est, quum aut propter sæuientem tempestatem, aut prædonum pericula, nauigare non audet. Aliquot annos, aliquot enim annos prædones mari incubuerunt. Antiochum regem, Antiochi reges præfectos nauali certamine à Romanis victos esse postquam Antiochus ad Termopylas victus, ex Græcia expulsus est, Tit. Liu. lib. 36. scribit: Persemque, Hunc Plutarchus & Suetonius ferunt fuisse Philippi filium regem Macedonum, hunc Paulus Aemilius apud Samotracas cæpit, quem victum fleuit, assidere, sibi iussit: tamen in triumphum duxit, ij nullo in loco, Pronomen is, ea, id, primam referri personam hic attende, vt paulo post, idem id aliquando T. Liuius imitatus est, vt lib: 6. Vidistis in vincula duci vniuersi eum, qui à singulis vobis pericula depuleram, vt lib. 30. De pace agitur, agimusq; ij, quorum & maximè interest pacem esse, & qui quodcunq; egerimus, ratum ciuitates nostræ, habituræ sint, Delos tam procul, Cyclades Aegæo Creticoq; mari adiacent: quarum prima & omnium clarissima, mercibus item refertissima est Delos, ob phœbi numen, cum cæteræ mouerentur, sola stabilitate donata, vt scribit Pindarus Poëta. Est autem Delos apellata, à manifestatione sua, quod submersa in maris

mari, statim apparuerit. Plinius Orthigiam dicit, à Latonæ sorore, & Asteriam, ab astri similitudine Delum appellatam, posita, *collocata, vt cum vulgo dicam situata. Nam ad fabulam alludere videtur. Quum Teriam iureiurando Iuno astrinxisset, ne parientem Latonam susciperet, Latona parturiente Iupiter irim ad Neptunum misit, vt insulam ab Sicilia auulsam in mari natantem apparere faceret, eamque firmam in Aegeo mari sisteret, vt Latonam exciperet. Lucianus author est, inde appellata est. Nam Delos manifestus dicitur,* oris Italiæ maritimis &c. *vt Caieta, Misseno, & Hostia,* Appia via, *Appia via à porta Capena vsque ad vrbem Capuam est.* His temporibus, *ante legem Gabiniam tempora inre mala dicit,* in hunc locum, *in forum; in foro enim contiones ad populum haberi solebant. forum Romanum situm erat inter Capitolium & Palatium, vbi Rostra ædes Saturni, Castoris, & Pollucis, delubra fuêre, ad illud frequens populus de Reipub: negotiis consulturus veniebat, quemadmodum Senatores ad comitium. Eundem in locum Romani Magistratus finito honoris tempore imperii insignia deponebant: spolia item ac trophæa, fractarum nauiũ rostra & illiusmodi, alia affigebantur. Erat præterea forum olitorium, pistorum, piscarium, cupedinis, Augusti cæsaris.* Exuuijs nauticis *Antiatibus deuictis, eorum naues, partim in naualia Romam subductæ, partim incensæ, rostrisq; earũ suggestum in foro extructum adornari placuit, Rostraq; id templum appellatum, author est Liui. lib. 8.* Cæteros, *vt Catulum alios q; senatores,* Dolori suo, *dolebat pop:*

Rom.mare, oraſq; maritimas à prædonibus occupatas eſſe, cum alijs multis nominibus, tum maximè, quod intercluſi commeatus eſſent, vnde maxima annonæ caritas Romæ eſſet. Turpitudine, *nam turpe erat pop. Rom. etiam portus pop. Rom. qui ſunt in Italia, à piratis occupatos eſſe,* Quo mihi indignius, *Aulum Gabinium poſtquam abeſſet tribunatu, legatum ſibi Pompeius poſtulauit: id impetrare non potuit. Eſt autem legatus is quem imperatoris vicarium & loco tenentem vulgo dicunt.* Ad expilandos, *tales ſunt qui pecuniam magiſtratui diuidunt, aut pecuniam Romæ in quæſtu relinquunt,* Quos volueruut, *eos enim à ſenatu impetrauerunt: niſi fortaſſe intelligat eos, qui contra ſenatus voluntatem legati ſint, qualem vatinium dicit fuiſſe Cic.* Honoris cauſa nomino, *id perſæpè dicit Cic. quum virum aliquem nominat, in quo aliqua ſuſpicio contumeliæ latere poſſit vt actione in Verr. 2.* Cum Trib. pleb. *Significare videtur hos Trib. pleb. leges tuliſſe de mittendis imperatoribus, eoſdem poſtquam tribunatu abiuerunt legatos fuiſſe,* tam diligentes, *vt eum ab vrbe nolint amittere,* hoc bello, *maritimo ſcilicet,* conſules ad ſenatum, *Sylla: rerum potitus trecentos legis ſenatores qui de creandis magiſtratibus, prouincijs adminiſtrandis, de bellis, triumphis, prouinciarum præſidibus decernendis, exercitu ſcribendo, ſubmittendiſq; auxilijs & totius deniq; reipub. negotijs liberam ſententiam dicerent, ſanxitq; lege, ne quicquam niſi ex ſenatus conſulto ad populum ferretur. Sed ſenatus conſultumq; faciendi ius atq; poteſtas his ſolum dabatur,*

qui vo-

qui vocationem prehensionemq; habebant, vt dictatori, consuli, prætori, Tribuno plebis, vel etiam vrbis præfecto aut interregi. In quo & illud obseruabatur vt habendi senatus potestas ad illum primum deferetur, qui dignitate cæteris antecelleret: neq; enim digniores præstantioresq; quorum maior erat autoritas præterire licebat, nec senatum nisi aliquo augusto & sacro in loco ac Deorum religione celebri conuocare fas erat, dubitabunt, *non audebunt*, grauabuntur, *non libenter sed molestè facient*, inimicum edictum, *Hic coniectare licet, edicto cautum fuisse, ne quis prætor senatum haberet, quo tempore consules, eorumue alter Romæ esset, vti ne quis tribunus plebis quum prætores adessent.* Vestrum ius beneficiumque, *Quia tribuni plebis, qui de imperio alicui committendo legem suffragio vestro tulerunt, postquam abierunt magistratu, solent decerni legati ei, qui vestro beneficio imperator constitutus est: contra quod edictũ, qui fecisset, is sibi inimicos pararet, ideoq; inimicum edictum appellari*, qui id liceat, *vt referam ad senatum, si consules referre, aut dubitabunt, aut grauabuntur*, Gn. Pompeio, *legendum est. Rerumq; gestarum gloria G. Pompeio adscribitur.*

Rhetorica explicatio.

Hortensii inprimis postea Catulli sententias expugnat, qui vni Pompeio bellum Mithridaticum non esse transmittendum suadebant. Duo autem Hortensii refutat argumenta, alterum de Pompeio, alterum de Gabinio Pompeij legato. Tractatur autem hæc refuta-

tio partibus quatuor, primo Protasi cum dicit. At enim vir, *Secundo Antiprotasi cum dicit,* Quorum ego, *Tertio Hypophora cum dicit,* quorum ego, *Quarto Antiprotasi, cum dicit,* obsoleuit iam.

Obiectio prima Hortensii, Quid igitur, *vnt omnia tribuenda non sunt.*

Ergo hoc bellum Pompeio committendũ non est.

Refutatio obiectionis.

SEntentiam *Hortensii vno refutat argumento, ducto ex antecedentibus per enthimema: estq; eiusmodi.*

Tua Hortensi oratio nihil valuit, contra legem Gabiniam factam.

Ergo & nunc nihil valitura. Antecedens probat tali syllogismo, nam tu, *propositio. Si tuæ voluntati obtemperasset senatus, multis malis affecisset Rempub. quam probat dilatatque enumeratione consequentium & comparatione cum dicit,* Quid tum per Deos, *vbi primum incommodum recenset, Estque oratio acris: Aliud incommodum recenset per comparationem cum dicit,* Quæ ciuitas antea, *Omnes ciuitates tenues etiam antea seipsas tuebantur, ante bellum piraticum, nos eas defendere non potuimus. Est hic prima pars comparationis. Altera pars comparationis dum dicit,* At hercle aliquot, *in qua calamitates acceptas ante bellum piraticum recenset, quas non nisi vnus Pompeius sustulit,* Nos, *cõparatio altera,* omnibus naualibus pugnis, *tertia comparatio à maiore ad minus,* nos quoque qui, *Quarta comparatio,* ijdem non modo, *Altera pars comparationis.*

Assumptio.

Assumptio.

Sed non obtemperauit. Quam apostrophi mitigat.

Conclusio primæ obiectionis. } *Ergo consulto senatus Pompeio bellum Mithridaticum commisit.*

Secunda Hortensij obiectio.
Quo mihi etiam.

Non licet dare Gabinium Pompeio legatum.

Refutatio secundæ obiectionis. Cicero hanc obiectionem duplici argumento refutat. Primum argumentū à persona Pompeij. Si alijs imperatoribus concedebantur legati. Ergo & Pompeio concedi debent. Primo conclusionem, postea antecedens ponit.

Secundum argumentum duxit à persona Gabinij.

Primo Consilio Gabinij bellum piraticum Pompeius confecit:

Ergo eundem legatum habere debet.

Secundo alij Tribuni plebis, deposito tribunatu legari potuerunt.

Ergo & Gabinius esse potest legatus.

An ipse cuius, *primi argumenti antecedens*, Qui in hoc bello, *Conclusio*, De quo legando, *ad stabiliendam suam refutationem pollicetur se relaturum ad senatum, vt Gabinius fieri possit Pompeij legatus: cum enim nemini liceat præsentibus consulibus, nisi consuli senatum conuocare, in absentia autem consulum prætoribus ea facultas erat concessa. Volebant itaq; aduersarij conuocationem senatus impedire, ideo Cic. du-*

as occupationes soluit prima est cum dicit, neque me impediet, *Secunda est cum dicit*, neque præter, *Conclusio post hac sequitur vbi concludit Cic. refutationem sententiæ Hortensii per repetitionem cum dicit*, Mea quidem sententia.

Refutatio Catuli sententiæ.

RElíquum est, *Tres aduersas sententias refutat, quibus Catulus vni Pompeio bellum Mithridaticum non esse transmittendum persuadere nitebatur.* Deco factum esset, *si contingeret eum mori*, dixistis, *roganti Catulo respondistis*, in hoc ipso, *quod dicat Pompeio parcendum*, minus diuturna, *nam breue & irreparabile tempus*, frui hominis vita, *id est fructum & commoditatem ex hominis vita capere: frui enim pro eo quod est fructum capere sæpè dicitur vt frui vectigalibus, fundis, agris &c.* At enim nihil noui fiat, *quod Catulus in legis dissuasione dixit, id Cicero repetit vt refutet*, consuetudini paruisse, *nihil noui fecisse*, cum Iugurta, *quem postea victum in triumpho ante currum suum duxit, posthac Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante fecerat, vt scribit Tit. Liui. lib. 67.* Idem cum cimbris *à quibus Romani exercitus sæpe victi fuerant. Nam Papirius Carbo consul, cum exercitu fusus est M. Iunius Syllanus cum his pugnauit infeliciter, Aurelius Scaurus consulis legatus amisso exercitu captus est G. Manlius & Q. Hemilius Capio proconsules misere victi, binis castris spoliati sunt vt ait, T. Liuius*, cum Theutonis, *quibus Cymbri post tam multas victorias se con-*

as se coniunxerunt Teutones & Teutonos dicimus, in ipso G. Pompeio, quæ in Pompeio noua constituta sint dicit. Adolescentulum, natus erat tum Pompeius annos tres & viginti, quum in agro Piceno, tres comparauit legiones, quem Sylla imperatorem appellauit, Difficili reipub. tempore, Quo tempore bella erant ciuilia Syllæ cum Carbone, exercitum confecit, exercitum conficere est cogere, & colligere, vt conficere pecuniam dicit Cic. Rem optimè, nam in Sicilia vicit capitq; Carbonem, A senatu senatum à senum ætate appellatum esse Cic. in lib. de senect. scribit, Contra Domitium Hiericam, natus Pompeius quatuor & viginti annos, adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat, ex Africa triumphauit, deportauit, in Italiam conduxit Deportare exercitū pro eo quod est classem in patriā reducere. Tit. Liui sæpè dicit, Ad bellum maximum, quod in Hispania cum Q. Sertorio gestum est, cuius in vita Plutarchus scribit, à paruo exercitu eius, magnas pop. Rom. copias, magnosq; duces deuictos, Cottam nauali prælio superatum, Phidiam prætorem profligatum, Domitium proconsulem protritum, Toranium Metelli legatum cum exercitu deletum, ipsum quoque Metellum virum ætatis suæ amplissimum in eam necessitatem adductum, vt L. Lollius ex Narbonensi Gallia ei auxilium ferre coactus sit, & G. Pompeius cum summa festinatione missus sit, vt Sertorio resisteret. Metellum Sertorius, magna celeritate vrgebat, Metellus cunctatione resistebat, legibus solutus, vt vulgo dicunt dispensatus, Quam vllum magistratum,

G.enim Pompeius quũ adhuc quæstor esset,cũ imperio consulari aduersus Sertorium missus est,vt dicit T.Liu. lib. 91. iterum triumpharet, *de Sertorio. Prius enim de Domitio & Hierica in Africa victis triumphauit.* Quæ in omnibus hominibus noua, *sententia est quæ in G.Pompeio noua constituta sunt,ea multo sunt plura,quam quæ vnquam in vllo ciue Romano constituta sint,* post hominum memoriam, *ab omni antiquitate,* eiusdem dignitatis, *senatorum aut virorum consularium,amplissimi homines sunt senatores vel consulares,* istis reclamantibus, *inuito senatu prolata lex Gabinia, imperiumq; in prædones Pompeio mandatum,* suis consiliis, *suffragii ius non habebant senatores,sed quum aliqua de re ferendum erat suffragium,vt si de lege ferenda agebatur, licebat senatoribus orationes ad pop.habere,quibus suaderent populo,quod agendum foret. Itaq; populi Rom.studia suis consiliis regebant,* Attulistis, *quum Pompeium prædonum bello præstitistis,* De hoste & laude, *de hoste vincendo,ac laude ex innocentia, temperantia, continentia, fide, facilitate,aliisq; virtutibus mitioribus,apud socios, amicosq; pop.Rom. & apud exteras nationes quæsita,* Hoc anno, *prætores intelligit, qui ad prouincias prætorias missi sunt, simul consules ad consulares prouincias missos intelligere liceat,* iniurias, *furta & rapinas,* copiosæ locupletes, *copias enim diuitias appellamus,* spem capere, *continere & satiare,* Auro gazaque regia, *Mithridatis & Tigranis pecuniis,quam enim pecuniam hostibus imperatores detraxerant eam in ærarium Romam referendam*

curabant,

curabant, ideo cum imperatoribus mittebantur quæstores, ad pecuniariam rem administrandam ac prædam, ac manubias in publicas rationes referendas. Cic. lib. de officiis 2. Pacatam, *quæ bello careret: pacatus homo dicitur qui hostis non est*, requisiuit, *studiosè quæsiuit vt bello piratico præferretur*, animi continentiam, *quia sociorum compilator ac prædator non esset*, pecunia publica, *vectigalibus, quæ ipsi soluerent*, præter paucos, *eos scilicet qui cum imperio in prouincias mittuntur*, classium nomine, *quod classi præfecti sunt*, alienis vitiis, *magna laus Pompeij est, in aliorum imperatorum, tanta auaricia, tanta incontinentia, ipsum esse tam innocentem, tam continentem*, inter annos tot, *à tam multis annis, intra autem potius dicatur, vt intra decem annos, hoc est, antequam decem anni sint, quod decennio quoq; dici posset*, P. Seruilius, *qui ante Pompeium cum piratis victoria non in cruenta conflixit*, summis vestris beneficiis, *vir consularis*, amplissimis honoribus, *consulatu*, horum authoritatibus, *per horum authoritates*.

Rhetorica explicatio.

Refutando tres aduersas Catuli sententias, vtitur tribus partibus, propositione, cùm dicit: Reliquum est vt de Q. Catuli, *Obiectione, cùm dicit*. Si in vno G. Pompeio, *& Refutatione cùm dicit*, sed in hoc ipso.

Dispositio Primæ obiectionis.

OMnem spem ponimus in Pompeij virtute. Non igitur mittendus est ad tam periculosum bellum.

Ratio consequentiæ si enim interiret: in quo alio spes reponeretur.

Antecedens probat commendando Pompeium iudicio populi Romani dum dicit, cæpit magnum.

SOlutio primæ obiectionis per inuersionem.

SPem omnem habemus in Pompeij virtute. Ergo ad bellum mittendus est. Consequentia valet. Vtendum est enim hominis virtute dum licet. Quod si breuis & incerta est Pompeij vita. Ergo ea fruendum est quo ad licebit.

Dispositio secundæ obiectionis Catuli,

At enim nihil noui.

Propositio: *Non decet quidquam fieri contra consuetudinem maiorum.*

Assumptio: *Si Pompeius bis imperator deligeretur, consuetudo maiorum violaretur, dum moribus antiquis Res Romana stat caditq.*

Complexio: *Ergo Pompeius belli Mithridatici imperator esse non potest. Omittit autem Cicero minorem & complexionem tanquam manifestas & solum maiorem propositionem ponit.*

Refutatio

Refutatio secundæ obiectionis.

HAnc obiectionem Cic: tripliciter refutat: Primo ab authoritate maiorum, hoc argumento.

Maiores nostri, nouis casibus, noua consilia accommodabant.

Ergo & hoc tempore licet accõmodare: Antecedens probat duobus exemplis per præteritionem, cùm dicit, non dico.

Scipionis cui bellum punicum & Hispaniense demandatum fuit. Deinde Marij qui contra Cymbros erat destinatus dum dicit, non commemorabor.

Secundo hanc obiectionem refutat à persona Catuli: dum dicit, in ipso G. Pompeio.

Ipse Catulus antea Pompeio bellum commiserat.

Ergo & hoc bellum impedire non debet.

Antecedens probat partitione dum dicit: Quid tam nouum.

Tertio, eandem obiectionem refutat à persona Pompeij dum dicit, quid verò tam inauditum, *vbi multa alia noua in Pompeio demonstrat per partitionem.*

Si Pompeius eques triumphauit, & loco consulis in bellum missus fuit, quod certe nouum est.

Ergo & hoc nouum bellum est illi concedendum, dum dicit, Quare videte, *Hanc conclusionem duabus rationibus exaggerat.*

Prima ratio: Si semper tantorum hominum de Pompeio facta iudicia comprobastis. Ergo & hoc com-

probate

probate imperatoremq; decernite. 2. ratio, Si male ante consuleretis, cum Pompeium contra prædones miseratis, illorum consilio vobis parendum esset, Sed bene consuluistis: illi autem inique reclamabant; Ergo vestrum sequantur aduersarij sententiam. Obserua quomodo orator Epicrisi orationem extollit, quam sæpius argumentatione perfecta conclusione proponere solet vt hoc loco: Tanta in eo Reipub:

Dispositio tertiæ Catuli obiectionis, Atq; in hoc bello Asiatico.

Catulus virtuti Pompeij detrahebat dicens: Præter militarem scientiam, requiruntur aliæ etiam in imperatore virtutes, quæ in Pompeio non reperiuntur;

Ergo non est Pompeius perfectus imperator: Et proinde hoc bellum illi commitendum non est.

Refutatio obiectionis tertiæ catuli.

Cicero primo per comparationem aliorum imperatorum, soluit obiectionem catuli, Pompeiumq; esse continentissimum probat.

Dispositio refutationis.

Propositio: Difficile est in Asia continentem esse:
Ratio ex effectu: Quia multi imperatores incontinenter in Asia vixerunt.
Approbatio: Quia omnia templa & vrbes in Asia diripuerunt.

Ratio:

Ratio: Quia tu Hortensi & Catule calamitates Asiæ audiuisti.

Assumptio: Pompeius autem fuit continentissimus;

Complexio: Ergo Pompeio in bello Asiatico omnia concedenda.

Secundò ab authoritate clarissimorum virorum; & confirmationem probat, & aduersariorum authoritatem infringit hoc modo.

Seruilius, Curius, Lentullus, Cassius, hoc bellum Pompeio deferunt;

Ergo aduersariorum authoritas nihil valet. Atque in hoc bello *obiectio est*, difficile est in Asia *propositio refutationis*, difficile dictu, *ratio propositionis*. Quod enim fanum, *approbatio*, Libenter hæc coram, *Ratio approbationis ab authoritate aduersariorum*, pro socijs vos, *hic est amplificatio, quâ cupiditatem imperatorum quorundam perstringit. Estq; ex contrarijs, cuius est sensus. Pro socijs an contra socios in Asiam mittetis imperatores.* Quæ ciuitas, *commemoratur in eadem exaggeratione; nulla ciuitas nostrorum imperatorum perferre potest rapinas.* Quare etiam, *Hæc est veluti quædam conclusio maioris propositionis; Sensus est: Ergo non tantũ fortis sed etiam continentissimus imperator in Asiam mittendus.* Ecquam putatis, *Sensus est: Nulla ciuitas à nostris tuta esse potest*, ora maritima: *Hic est assumptio, qua ostendit maritimos ob continentiam Pompeium imperatorem expetiuisse*, videbat enim, *Epitrisi assumptionem probat*, nunc qua cupiditate;

Conclusio

Conclusio tertiæ obiectionis per repetitionem. Quare videte. *conclusio refutationis.*

Elocutio.

ORatio est *concitatior, ad perturbandos affectus audientium apta.*

Figuræ.

Quid igitur ait Hortensius, *Hipophora*, obsoleuit iam, *antipophora*, Quæ ciuitas, *expolitio per contentionem*, Gabinio dicam Pompeio, *dubitatio*, An G. falcidius, *paradigma*, Quos honoris causa *præcastigatio*, Neque me impedit, *prokatalipsis* sed in hoc, *antiprotasis*, Quo minus certa, *lisis*, Et consilio regere, *polysindeton*, regere, tueri, *auxesis in verbis & similiter desinens*, At nihil noui, *ipophora*, Non dico hoc loco, *paralipsis & repetitio in aduerbio non. Est & dissolutum, propter rationes sine coniunctione oblatas.* Idem cum Iugurtha, *repetitio*, singulari innocentia grauitate &c. *articulus & dissolutum*, Quid tam nouum, *subiectio*, Nouum, præter consuetudinem, inauditum, *Synonima.* non modo, sed, *Auxesis*, Mitteretur missus, *traductio*, Hoc si vos temere, *hipotesis*, Atq; in hoc bello, *hipophora*, Difficile est, *antipophora*, pro socijs vos, *Erotema*, Quare si quam, *fictio*, Ecquam putatis, *expolitio*, ora maritima, *metonimia*, videlicet isti, *ironia.*

Sexta

Sexta Pars orationis, Peroratio.

QVæ cùm ita sint. *Hæc peroratio tribus partibus absoluitur, Prima est exhortatio Manilij, cuius legem ac sententiam de G. Pompeio Asiatico bello præficiendo laudat, eumq; hortatur, in eadem vt maneat sententia: Secunda est pollicitatio sui studij, dum dicitur,* Ego autem. *Tertia est occupatio qua ostendit hæc omnia se non in gratiã Pompeij, sed in Rempub: præstitisse dum dicit,* testorq; omnes, *Hic autem nulla est repetitio argumentorum, quia satis perspicuè & in propositione, & in confirmatione illis vsus est orator. Amplificatio est mediocris, præsertim vbi suum studium deferet Manilio, genus quoq; dicendi huius partis est temperatum.*

Huic loco, *Tres Sybillarum statuas iuxta rostra constitutas fuisse Plin: 39. lib. narrat,* Quirites Romani dicuntur *à Quirino, id est, à Romulo primo rege vrbis conditore. Ante etiam Sabini appellabantur:*

PRO

PRO SEXTO ROSCIO AMERINO,

Oratio.

CREDO ego vos iudices mirari, quid sit, quòd, cùm tot summi oratores, hominesq; nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, is, qui neq; ætate, neq; ingenio, neq; auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus. omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa, iniuriam nouo scelere conflatam putant oportere defendi, defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, vt adsint, propterea quòd officium sequuntur: taceant autem iccirco, quia periculum metuunt. quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minimè. at tanto officiosior, quam cæteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, vt alijs eam præreptam velim. quæ me igitur res præter cæteros impulit, vt causam Sex. Roscij reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atq; amplitudo, si verbum de repub. fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est, multo plura dixisse, quàm dixisset, putaretur: ego etiam si omnia, quæ dicenda sunt, liberè dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus

emanare

emanare poterit: deinde, quòd cæterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem: neque temerè dicto concedi propter ætatem & prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea, quòd nondum ad remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit tametsi non modò ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo iam de ciuitate sublata est. accedit illa quoque causa, quòd à cæteris forsitã ita petitum sit, vt dicerent, vt vtrumuis saluo officio se facere posse arbitrarentur: à me autem ij contenderunt, qui apud me & amicitia, & beneficijs & dignitate plurimũ possunt: quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam his de causis ego huic causæ patronus extiti: non electus vnus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neq; vti satis firmo præsidio defensus Sex. Roscius, verum vti ne omnino desertus esset forsitan quæratis, qui iste terror sit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac taleis viros impediat, quo minus pro capite & fortunis alterius, quemadmodum consueuerunt, causam velint dicere. quod adhuc vos ignorare non mirum est: propterea quòd consulto ab accusatoribus eius rei, quæ conflauit hoc iudicium, mentio facta non est. quæ res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscij, quæ

sunt sexagies, quæ de viro fortissimo, & clarissimo L. Sylla, quem honoris caussa nomino, duobus millibus nummûm sese dicit emisse adolescens, vel potentissimus hoc tempore nostræ ciuitatis L. Cornelius Chrysogonus is à vobis iud. hoc postulat, vt, quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atque præclaram, nullo iure inuaserit: quoniamque ei pecuniæ vita Sex. Roscij obstare, atque officere videatur, deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis sese, hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum, & copiosum posse obtinere: damnato, & eiecto sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere, atque consumere. hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat, ac pungit, vt euellatis, postulat: & ad hanc suam prædam tam nefariam adiutores vos profiteamini. si vobis æqua, & honesta postulatio videtur iudices: ego contrà breuem postulationem affero, &, quomodo mihi persuadeo, aliquanto æquiorem. Primùm à Chrysogono peto, vt pecunia, fortunisque nostris contentus sit, sanguinem & vitam ne petat, deinde à vobis iudices, vt audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem leuetis, & in caussa Sex. Roscij periculum, quod in omnes, intenditur, propulsetis quòd si aut caussa criminis aut facti suspicio, aut quælibet denique

vel mini-

vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti: postremò si præter eam prædam, quam dixi, quicquam aliud causæ inueneritis: non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij vita dedatur. sin aliud, agitur nihil, nisi vt ijs ne quid desit, quibus satis nihil est, si hoc solum hoc tempore pugnatur, vt ad illam opimam præclaramque prædam damnatio Sext. Roscij, velut cumulus accedat. nonné cùm multa indigna, tum vel indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias, iusque iurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consuerunt? qui ex ciuitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter seueritatem: ab his hoc postulare homines sicarios, atque gladiatores, non modò vt supplicia vitent, quæ à vobis pro maleficijs suis metuere atque horrere debent, verum etiam vt spolijs Sex. Roscij hoc iudicio ornati auctique discedant? his de rebus tantis, tamque atrocibus neque satis me commodè dicere, neque satis grauiter conqueri, neque satis liberè vociferari posse intelligo: nam commoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora sunt impedimento: huc accedit summus timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit, & vestra dignitas, & vis aduersariorum, & Sex. Roscij pericula. quapropter

vos oro atque obsecro iudices, vt attentè bonaque cum venia verba mea audiatis. fide sapientiaq; vestra fretus, plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo. hoc onus si vos aliqua ex parte alleuabitis, feram, vt potero, studio & industria iudices. sin à vobis, id quod non spero, deserar, tamen animo non deficiam, & id, quod suscepi, quoad potero, perferam. quòd si perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quàm id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. Te quoque magnopere M. Fanni quæso, vt, qualem te iam antea populo R. præbuisti, cum huic eidem quæstioni iudex præesses, talem te & nobis, & P. R. hoc tempore impertias. quanta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, vides: quæ sit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas, vt acria ac seuera iudicia fiant, intelligis. longo interuallo iudicium iuter sicarios hoc primum committitur, cùm interea cædes indignissimæ maximæque factæ sint. omnes hanc quæstionem te prætore de manifestis maleficijs antè admisis, quotidianoque sanguine sperant futuram. qua vociferatione in cæteris iudicijs accusatores vti consueuerunt, ea nos hoc tempore vtimur, qui causlam dicimus: petimus abs te M. Fanni, à vobisq; iud. vt quàm acerrimè maleficia vindicetis, vt quàm fortissimè hominibus audacis-

simis

simis resistatis, vt hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem, & scelus, & audaciam, vt non modò clàm, verum etiam hicin foro, ante tribunal tuum M. Fanni: ante pedes vestros, iudices, inter ipsa sub sellia cedes futuræ sint. etenim quid aliud hoc iudicio tentatur, nisi vt id fieri liceat? accusant ij, qui in fortunas huius inuaserunt: causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. accusant ij, quibus occidi patrem Sex. Roscij bono fuit: causam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem accusant ij, qui hunc ipsum iugulare summè cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. denique. Accusant ij, quos populus poscit: causam dicit is, qui vnus relictus ex illorum nefaria cæde restat. atq; vt facilius intelligere possitis iudices, ea quæ facta sunt, indigniora esse, quam hæc sunt, quæ dicimus: ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus. quo facilius & huius hominis innocentissimi miserias, & illorum audaciam cognoscere possitis, & reipublicæ calamitatem. Sex. Roscius pater huiusce, municeps Amerinus, fuit cum genere, & nobilitate, & pecunia non modò sui municipij, verum etiam eius vicinitatis facilè primus, tum gratia atque hospitijs florens hominum nobilissimorum.

Nam cum Metellis, Seruilijs, Scipionibus erat ei non modò hospitium, verum etiam domesticus vsus, & consuetudo: quas, vt æquum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nomino. itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit: nam patrimonium domestici prædones vi ereptum possident: fama & vita innocentis ab hospibus, amicisque paternis defenditur. hic cùm omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, cùm omnium nobilium dignitas, & salus in discrimen veniret, præter cæteros in ea vicinitate eam partem, caussamque opera, studio, auctoritate defendit. etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. posteaquam victoria constituta est, ab armisque recessimus: cùm proscriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ij, qui aduersarij fuisse putabantur, erat ille Romæ frequens, atque in foro, & in ore omnium quotidie versabatur, magis vt exultare victoria nobilitatis videretur, quàm timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roscijs Amerinis: quorum alterum sedere in accusatorum subsellijs video, alterum tria huiusce prædia possidere audio. quas inimicitias si tam cauere potuisset, quam metuere solebat, viueret: neque enim iudices, iniuria metuebat: nam

duo isti

duo isti sunt Titi Roscij, quorum alteri Capitoni cognomen est: iste, qui adest, Magnus vocatur: homines eiusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper se ad eum lanistam contulit, qui, cùm ante hanc pugnam tyro esset scientia, facilè ipsum magistrum scelere, audaciaque superauit. nam cùm hic Sex. Roscius esset Ameriæ, T. autem iste Roscius Romæ: cùm hic filius assiduus in prælijs esset, cumque se voluntate patris rei familiari, vitæque rusticæ dedisset, iste autem frequens Romæ esset: occiditur ad balneas Palatinas, rediens à cæna Sex. Roscius. spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficij pertineat. verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit. hunc affinem culpæ iudicatote. Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij: & nunciat domum, non filij, Sed T. Capitonis inimici. & cùm post horam primam noctis occisus esset. primo diluculo nuncius hic Ameriam venit. decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisijs peruolauit: non modò vt exoptatum inimico nuncium primus afferret, sed etiam cruorem inimici quàm recentissimum, telumque paulo antè è corpore extractum ostenderet. quatriduo, quo hæc gesta sunt, res ad Chry-

sogonum in castra L. Syllæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demonstratur: bonitas prædiorum, (nam fundos decem & tres reliquit, qui Tyberim ferè omnes tangunt) huius inopia & solitudo commemoratur, demonstrant, cùm pater huiusce Sex. Roscius, homo tam splendidus & gratiosus, nullo negocio sit occisus, perfacile hunc, hominem incautum, & rusticum, & Romæ ignotum, de medio tolli posse. ad eam rem operam suam pollicentur. ne diutius vos teneam iudices, societas coitur. cùm iam proscriptionis mentio nulla fieret: & cùm, etiam qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur: hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus: tria prædia vel nobilissima Capitoni propria traduntur, quæ hodie possidet: in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, quemadmodum ipse dicit, impetum facit. hæc bona sexagies H. S. emuntur duobus millibus nummûm. hæc omnia iudices imprudente L. Sylla facta esse certò scio. neque enim mirum, cùm eodem tempore & ea quæ præterita sunt, reparet, & ea, quæ videntur instare, præparet: cùm & pacis constituendæ rationem, & belli gerendi potestatem solus habeat: cùm omnes in vnum spectent, vnus omnia gubernet: cùm tot tantisq; negocijs distẽtus sit, vt respirare liberè non possit: si aliquid non

animad-

animaduertat, cum præsertim tam multi occupationem eius obseruent, tempusq; aucupentur, vt, simul atq; ille despexerit, aliquid huiuscemodi moliantur. huc accedit, quod quam uis ille felix sit, sicut est, tamen in tanta felicitate nemo potest esse in magna familia, qui neminem neq; seruum, neq; libertum improbum habeat. interea iste T. Roscius vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit, in prædia huius inuadit, hunc miserum, luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri iusta soluisset, nudum eijcit domo, atq; focis patrijs dijsq; penatibus præcipitem iudices exturbat: ipse amplissimæ, pecuniæ fit dominus. qui in sua re fuisset egentissimus, erat, vt fit, insolens in aliena: multa palàm domum suam auferebat, plura clam de medio remouebat: non pauca suis adiutoribus large effuseq; donabat, reliqua constituta auctione vendebat. quod Amerinis vsque eò visum est indignum, vt vrbe tota fletus gemitusq; fieret: etenim multa simul ante oculos versabantur, mors hominis florentissimi Sex. Roscii crudelissima, filij autē eius egestas indignissima, cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne inter quidem sepulchrum patrium reliquisset bonorum emptio, flagitiosa possessio, furta, rapinæ, donationes. nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex. Roscij viri optimi, atq; honestissimi bonis iactantem se, ac dominantem T. Roscium. itaq;

decurionum decretum statim sit, vt Decem primi proficiscantur ad L. Syllam, doceantq; eum qui vir Sex Roscius fuerit, conquerantur de istorum scelere, & iniurijs, orent, vt & illius mortui famam, & filij innocentis fortunas conseruatas velit. atq; ipsum decretum quæso cognoscite. DECRETVM DECVRIONVM. Legati in castra veniunt: intelligitur iud. id quod iam ante dixi, imprudente L. Sylla scelera hæc & flagitia fieri: nam statim Chrysogonus & ipse ad eos accedit, & homines nobiles allegat, ab ijs, qui peterent, ne ad Syllã adirent, & omnia Chrysogonum, quæ vellent, esse facturum pollicerentur. vsq; adeo autem ille pertimuerat, vt mori mallet, quam de his rebus Syllam doceri. homines antiqui, qui ex sua natura cæteros fingerent, cum ille confirmaret se nomen Sex. Roscij de tabulis exempturum, prædia vacua filio traditurum, cumq; id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X. legatis erat, adpromitteret, crediderunt, Ameriam re ignorata reuerterũt. ac primo rem differre quotidie ac procrastinare isti cœperunt, deinde aliquanto lentius, nihil agere atq; deludere, postremo, id quod facile intellectum est, insidias vitæ huiusce Sex. Roscij parare, neq; sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam domino incolumi obtinere. quod is simul atq; sensit de amicorum cognatorumq; sententia Romam confugit, & sese ad Cæciliam Nepotis sororem,

quam

quam honoris causa nomino, contulit, qua pater vsus erat plurimum. in qua muliere iud. etiam nunc, id quod omnes semper existimauerunt, quasi exempli causa vestigia antiqui officij remanent. ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo, atq; expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela & minas, recepit domum, hospitiq; oppresso iam, desperatoq; ab omnibus opitulata est eius virtute, fide, diligentia factum est, vt hic potius viuus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscij custodiri, neq; sibi vllam cædis faciunde potestatem dari: consilium dederunt plenum sceleris, & audaciæ, vt nomen huius de paricidio deferrent, vt ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio, deniq;, vt, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent: ita loqui homines, quod iudicia tam diu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset: huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, & de ista societate verbum esse facturum neminem: ipso nomine parricidij, & atrocitate criminis, fore, vt hic nullo negotio tolleretur, cum ab nullo defensus esset. hoc consilio atq; adeo hac amantia impulsi, quem ipsi cum cuperent, non potuerunt occidere eum

dere, cum iugulandum vobis tradiderunt. quid primum quarar? aut vnde potissimum exordiar iud: aut quod, aut à quibus auxilium petam? deorum ne immortalium? populi ne Romani? vestram ne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidē implorem? pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta: filij vita infesta, sæpe ferro atq; insidijs appetita, quid ab his tot maleficijs sceleris abesse videtur? tamen hæc alijs nefarijs cumulant, atq; adaugent: crimen incredibile confingunt testes in hunc & accusatores huiusce pecunia comparant: hanc conditionem misero ferunt, vt optet vtrum malit, ceruices Roscio dare, an insutus in culeum supplicium parricidarum, per summum dedecus vitam amittere. patronos huic defuturos putauerunt: desunt qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto iudices. & forsitan insuscipienda causa temere impulsus adolescentia fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet hercules vndiq; omnes terrores, minæ periculaq; impendeant omnia, succuram, atq; subibo. certum est, deliberatumq;, quæ ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereq; dicere nulla res tanta existat iudices, vt possit vim mihi maiorem adhibere metus, quam fides. etiam quis tam dissoluto animo est, qui, hæc cum

videat,

videat, tacere, ac negligere possit? patrem meum cum proscriptus non esset, iugulastis: occisum in proscriptorum numerum retulistis: me domo mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis: quid vultis amplius? etiam ne ad subsellia cum ferro atq; telis veniatis, vt hic aut iuguletis, aut condemnetis Sex. Roscium? hominem longe audacissimum nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriam, &, quod inter omnes constat, nisi inter eos qui ipsi quoq; insaniunt, insanissimum. is cum curasset in funere C. Marci, vt Q. Scæuola vulneraretur, vir sanctissimus atq; ornatissimus nostræ ciuitatis, de cuius laude neq; hic locus est vt multa dicantur, neq; plura tamen dici possunt, quam populus R. memoria retinet: diem Scæuolæ dixit, posteaquam comperit eum posse viuere. cùm ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset: aiunt hominem, vt erat furiosus, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset. quo populus R. nihil vidit indignius, nisi eiusdem viri mortem: quæ tantum potuit, vt omnes ciues suos perdiderit, & afflixerit: quos quia seruare per compositionem volebat, ipse ab ijs interemptus est. est ne hoc illi dicto atq; facto Fimbriæ non simillimum? accusatis Sex. Roscium: quid ita? quia de manibus vestris effugit; quia se occidi passus non est. illud, quia in Scæuola

factum

factum est; magis indignum videtur: hoc quia fit à Chrysogono; non est ferendum, nam per deos immortales, quid est in hac causa, quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? totam causam iud. explicemus, atq; ante oculos expositam consideremus. ita facillime, quæ res totum iudiciũ contineat, & quibus de rebus nos dicere oporteat, & quid vos sequi conueniat, intelligetis. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstent hoc tempore Sex. Roscio, crimen aduersariorum, & audacia, & potentia. criminis confictionem accusator Erucius suscepit: audaciæ partes Roscij sibi poposcerunt: Chrysogonus autem, is, qui plurimum potest, potentia pugnat. de hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo: quid igitur est? non eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet, duas autem reliquas vobis populus R. imposuit. ego crimen oportet diluam: vos & audaciæ resistere, & hominum eiusmodi pernicioſam atq; in tolerandam potentiam primo quoq; tempore extinguere, atq; opprimere debetis. occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. scelestum dij immortales ac nefarium facinus, atq; eiusmodi, quo vno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. etenim si, id quod præclare à sapientibus dicitur, vultu sæpe læditur pietas: quod supplicium satis acre

reperietur

reperietur in eum; qui mortem obtulerit parenti? pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina atq; humana cogebant, in hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro extitit, vt, si quando auditum sit, portenti ac prodigij simile numeretur, quibus tandem te C. Eruci argumentis accusatorem censes vti oportere? non ne & audaciam eius, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feros, immanemq; naturam & vitam vitijs flagitijsq; omnibus deditam, & deniq; omnia ad perniciem profligata atq; perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne objciendi quidem causa, contulisti. patrem occidit Sex. Roscius: qui homo? adolescentulus corruptus & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta vetus videlicet sicarius, homo audax & sæpe in cæde versatus? ad hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & in domitæ animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. de luxuria purgauit Erucius, cum dixit hunc ne in conuiuio quidem vllo fere interfuisse. nihil autem vnquam debuit. cupiditates porro quæ possunt esse in eo, qui, vt ipse accusator obiecit, ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maxime disiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta. quæ res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? patri inquit, non placebat. patri non placebat?

cebat? quam ob causam? necesse est enim eam quoq; iustam, & magnam, & perspicuam fuisse, nam vt illud incredibile est, mortem oblatam esse patria filio sine plurimis & maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, & magnis, & necessarijs. rursus igitur eodem reuertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri displiceret. at perspicuum est, nullum fuisse. pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quē procrearat. at is quidem fuit omnium constantissimus. ergo illud iam perspicuum profecto est, si neq; amens pater, neq; perditus filius fuerit neq; odij causam patri, neq; sceleris filio fuisse. nescio, inquit, quæ causa odij fuerit: fuisse odium intelligo, quia antea, cum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse, hunc in prędia rustica relegarat: quod Erucio accidebat in mala nugatoriaq; accusatione, idem mihi vsu venit in causa optima. illa, quo modo crimē commentitium confirmaret, non inueniebat: ego, res tam leues qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. quid ais Eruci? tot prædia, tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo relegationis ac supplicij gratia colenda ac tuenda tradiderat? quid hoc? patres familias, qui liberos habent, præsertim homines illius ordinis, ex municipijs rusticanis, non ne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari

familiari maximè seruire, & in prædijs colendis operæ plurimum studijque consumere? at amandarat hunc sic, vt esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam, vt commodis omnibus careret; quid, si constat, hunc non modo colendis prædijs præfuisse, sed certis fundis patre viuo frui solitum esse? tamen ne hæc attenta vita & rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur? vides Eruci, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque à veritate, quod consuetudine patres faciunt, id quasi nouum reprehendis: quod beneuolentia fit, id odio factum criminaris. quod honoris causa pater filio suo concessit, id cum supplicij causa fecisse dicis. neque hæc tu non intelligis, sed vsque eò, quid arguas, non habes, vt non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium. at enim cum duos filios haberet, alterum à se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. quæso Eruci, vt hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi causa, sed commouendi gratia dicam. si tibi fortuna non dedit, vt patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset: at natura certè dedit, vt humanitatis non parum haberes. eò accessit studium doctrinæ, vt ne à literis quidem alienus esses. ecquid tandem, tibi videtur (vt ad fabulas veniamus)

senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychũ filium rusticum, quam illum alterũ Chereſtratum? (nam, vt opinor, hoc nomine eſt) alterum in vrbe ſecum honoris cauſa habere, alterum rus ſupplicij cauſa relegaſſe? quid ad iſtas ineptias abis, inquies? quaſi vero mihi difficile ſit quamuis multos nominatim proferre (ne longius abeam) vel tribules, vel vicinos meos, qui ſuos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas aſſiduos eſſe cupiunt. verum homines notos ſumere odioſum eſt: cum & illud incertum ſit, velint ne hi ſeſe nominari, & nemo vobis magis notus futurus ſit, quam eſt hic Eurychus, & certè ad rem nihil interſit, vtrum hunc ego comicum adoleſcentem, an aliquẽ ex agro Veiente nominem: etenim hæc conficta arbitror à poëtis eſſe, vt effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus. age nunc, refer animum, ſis, ad veritatem, & conſidera, non modo in Vmbria atque in ea vicinitate, ſed in his veteribus municipijs quæ ſtudia à patribus familias maximè laudentur: iam profecto te intelliges inopia criminũ ſummam laudem Sex. Roſcio vitio & culpæ dediſſe. at non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt, ſed permultos & ego noui, &, niſi me fallit animus, vnuſquiſque veſtrũ, qui & ipſi incenſi ſunt ſtudio, quod ad agrum colendum attinet, vitamque hanc ruſticam, quam tu probro & crimini putas eſſe oportere,

portere, & honestissimam & suauissimam esse arbitrantur. quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, & qua intelligentia esse in rusticis rebus? vt ex his propinquis eius, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo. verum vt opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit, & artificiū obliuiscatur, & studium deponat, licebit. quod tametsi miserum, & indignum est, feret tamen æquo animo iudices, si per vos vitam & sanam potest obtinere. hoc vero est, quod fieri non potest, si & in hanc calamitatem venit propter prędiorum bonitatem & multitudinē, &, quod ea studiosè colui, id erit ei maximè fraudi: vt parum miseriæ sit, quod alijs colui, nō sibi, nisi etiam, quod omnino colui, crimini fuerit. næ tu Eruti accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab Aratro arcessebantur, qui Consules fierent: etenim, qui præesse agro colendo flagitium putes, profectò illum Atilium, quem sua manu spargentē semen, qui missi erant, conuenerunt, hominem turpissimū, atq; inhonestissimum iudicares. at hercule maiores nostri longe aliter & de illo, & de cæteris talibus viris existimabant: itaq; ex minima tenuissimaque Rep. maximam & florentissimā nobis reliquerunt: suos enim agros studiosè colebant, non alienos cupidè appetebant: quibus rebus, & agris, & vrbibus, & nationibus Remp. atque

hoc imperium, & populi R. nomen auxerunt: neq; ego hæc eo profero, quod conferenda sint cum hisce, de quib. nunc quærimus, sed vt illud intelligatur, cum apud maiores nostros summi viri, clarissimiq; homines, qui omni tempore ad gubernacula Reip. sedere debebant, tamen in agris quoq; colendis aliquantū operæ, temporisq; consumpserint, ignoscī oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum ruri assiduus semper vixerit, cū præsertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucūdius, aut reuera honestius facere posset. odium igitur acerrimū patris in filium ex hoc opinor ostenditur Erūci, quod hunc ruri esse patiebatur. nunquid est aliud? immo vero, inquit, est: nam istum exhæredare in animo habebat. audio. nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. nam illā opinor tu quoq; concedis leuia esse atq; inepta. conuiuia cum patre non inibat: quippe qui ne in oppidum quidem nisi perraro veniret. domum suam istum nō ferè quisquam vocabat: nec mirū, quem neq; in vrbe videret, neq; ruri vocaturus esset. verū hæc quoq; tu intelligis esse nugatoria, illud quod cœpimus, videamus, quo certius argumentum odij reperiri nullo modo potest. exhæredare pater filium cogitabat. mitto quærere, qua de causa: quæro, qui scias? tametsi te dicere atq; enumerare causas omnes oportebat: & id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia, atque

peccata

peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipsam vinceret, ut amorem illũ penitus insitum eijceret ex animo, vt deniq; patrem sese obliuisceretur: quæ sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse non arbitror. verũ concedo tibi, vt ea prætereas, quæ cum taces, nulla esse cõcedis. illum quidem voluisse exhæredare, certe tu planũ facere debes. quid ergo affers, quare id factum putemus? vere nihil potes dicere. finge aliquid saltẽ commodè, vt ne planè videaris id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. exhæredare filium voluit: quam ob causam? nescio. exhæredauit ne? non. quis prohibuit? cogitabat, cogitabat? cui dixit? nemini. quid est aliud, iudicio, ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quæstũ, atq; ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atq; id obijcere, quod planum facere non modo nõ possis, verum ne coneris quidem? nemo nostrũ est Eruci, quin sciat tibi inimicitias cũ Sex: Roscio nullas esse: vident omnes, qua de causa huic inimicus venias: sciunt huiusce pecunia te adductum esse. quid ergo est? ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere. accusatores multos esse in ciuitate vtile est, vt metu contineatur audacia, veruntamẽ hoc ita est vtile, vt ne planè illudamur ab accusatoribus, innocens est quispiam:

veruntamen, quanquam abest à culpa, suspicione tamen non caret. tametsi miserum est, tamē ei, qui hunc accusat, possim aliquo modo ignoscere: cum enim aliquid habeat, quod possit criminose ac suspicioſe dicere, aperte ludificari, & calumniari sciens non videatur. quare facile omnes patimur esse quamplurimos accusatores, quod innocens, si accusatus sit, absolui potest, nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. vtilius est autem absolui innocentem, quam nocentem causam non dicere. anseribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt significent, si fures venerint. at fures internoscere nō possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint; & quia id est suspicioſum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior, quod si luce quoq; canes latrent, cum deos salutatum aliqui venerint: opinor, ijs crura suffringantur, quòd acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. simillima est accusatorum ratio. alij vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt: alij canes, qui & latrare, & mordere possunt. cibaria vobis præberi videmus: vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo grauissimum est. deinde si voletis, etiam tum, cum verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratote id quoque concedi potest. sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse,

cidisse, neque dicere possitis aut quare, aut quo modo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet, sed, si ego hos bene noui, literam illam, cui vos usque eò inimici estis, ut etiam eos omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis, quid mihi ad defendendum dedisti bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? ne exhæredaretur, veritus est, audio: sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. habebat pater in animo: planum fac. nihil est, non, qui cum deliberarit, quem certiorem fecerit, vnde istud vobis suspicari in mentem venerit. cum hoc modo accusas Eruti, nonne hoc palam dicis? ego, quid acceperim, scio: quid dicam, nescio. unum illud spectaui, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum: de bonorum emptione, deque ea societate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet. hæc te opinio falsa in istam fraudem impulit. non me hercule verbum fecisses, si tibi quenquam responsurum putasses. operæ pretium erat, si animaduertistis iudices, negligentiam eius in accusando considerare. credo, cum vidisset, qui homines in hisce subsellijs sederent, quæsisse, num ille, aut ille defensurus esset, de me ne suspicatum quidem, quod antea causam publicam nullam dixerim, postea quam inuenit, neminem eorum, qui

posſunt, & ſolent : ita negligens eſſe cœpit, vt, cum in mentem veniret ei, reſideret, deinde ſpatiaretur, nonnunquam etiam puerum vocaret, credo cui cœnam imperaret, prorſus vt veſtro confeſſu, & hoc conuentu pro ſumma ſolitudine abuteretur, perorauit aliquando, aſſedit. ſurrexi ego, reſpirare viſus eſt, quòd non alius potius diceret. cœpi dicere. uſque eò animaduerti iudices eum iocari, atque alias res agere, antequam Chryſogonum nominaui. quem ſimulatque attigi, ſtatim homo ſe erexit, mirari viſus eſt. intellexi, quid eum pupugiſſet. iterum, ac tertio nominaui. poſtea homines curſare vltrò & citrò non deſtiterunt. credo, qui Chryſogono nunciarent, eſſe aliquem in ciuitate, qui contra voluntatem eius dicere auderet, aliter cauſam agi, atq; illud exiſtimaret, aperiri bonorum emptionē, vexari peſſime ſocietatem, gratiam potētiamq; eius negligi, iudices diligenter attendere, populo rem indignam videri. quæ quoniam te fefellerunt Eruci, quoniamque vides verſa eſſe omnia, cauſam pro Sex. Roſcio ſi non commode, at libere dici, quem dedi putabas, defendi intelligis, quos tradituros ſperabas, vides iudicare: reſtitue nobis aliquando veterem tuam illam callidꝛtatē, atq; prudentiā: aut confitere huc ea ſpe veniſſe, quod putares hic latrocinium, non iudicium futurū. de parricidio cauſa dicitur. ratio ab accuſatore reddita non eſt,

quam

quam ob causam patrem filius occiderit. quod in minus noxis, & in his leuioribus paccatis, quæ magis crebra, & iam propè quotidiana sunt, maximè, & primum quæritur, quæ causa maleficij fuerit: id Erutius in parricidio quæ rinon putat oportere- in quo scelere iudices, etiam cùm multæ causæ conueniſſe vnum in locum, atq; inter se congruere videntur, tamen non temerè creditur: neq; leui coniectura res penditur: neq; testis incertus auditur: neq; accusatoris ingenio res iudicatur: cum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tum singularis audacia ostendatur, necesse est: neq; audacia solùm, sed summus furor, atq; amentia. hæc cùm sint omnia tamen extent oportet expressa sceleris vestigia, vbi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. quæ nisi multa, & manifesta sunt, profectò res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest: magna est enim vis humanitatis: multum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atq; monstrum certissimũ est, esse aliquem humana specie, & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt, propter quos hanc suauissimã lucem aspexerit, eos indignissimè luce priuarit: cù etiam feras inter se partus, atq; educatio, & natura ipsa conciliet. non ita multis ante annis aiunt T. Cœlium quendam Tarracinensem, hominem non

obscurum, cum cœnatus cubitum in idem conclaue cum duobus adolescentibus filijs isset, inuentum esset mane iugulatum. cum neq; seruus quisquam reperiretur, neq; liber, ad quem ea suspicio pertineret: id ætatis autem duo filij propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt. quid postea? erat sanè suspicioſum neutrum sensisse? ausum autem esse quenquam se in id conclaue committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filij, qui & sentire & defendere facile possent? erat porro nemo, in quem ea suspicio conueniret. tamen, cùm planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse: iudicio absoluti adolescentes, & suspicione omni liberati sunt. nemo enim putabat quenquam esse, qui, cùm omnia diuina atq; humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quòd qui tantum facinus commiserunt, non modò sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt. videtis ne quos nobis poëtæ tradiderunt patris vlciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, cùm præsertim deorum immortalium iussis, atq; oraculis id feciſse dicantur: tamen vt eos agitent furiæ, neq; consistere vsquam patiantur? quòd ne pij quidem sine scelere esse potuerunt sic se res habet iudices: magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem pater

nus,

nus, maternusq; sanguis: ex quo, si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum vsq; eò permanat ad animum, vt summus furor, atque amentia consequatur, nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos, qui aliquid impiè scelerateque commiserint, agitari, & perterreri furiarum tedis ardentibus. sua quenq; fraus, & suus terror maxime vexat: suum quemq; scelus agitat amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæq; animi terrent. hæ sunt impijs assiduæ domesticæq; furiæ, quæ dies noctesq; parentū pœnas à conscelerati ssimis filijs repetant, hæc magnitudo maleficij facit, vt, nisi pene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit: nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitijs vita inquinata, nisi sumptus effusi cum probro atq; dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas. vt non procul abhorreat ab insania. accedat huc oportet odium parentis, animaduersionis paternæ metus, amici improbi, serui conscij, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: pene dicam, respersas manus sanguine paterno iudices videant, oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum arecturi sunt. quare hoc, quo minus est credibile, nisi ostenditur, eo magis est, si conuincitur, vindicandum. itaq; cum multis ex rebus intelligi potest, maiores nostros non modo armis plus, quam ceteras nationes, verum

sapientia

sapientiaq; potuisse: tum ex hac re vel maxime, quod in impios singulare supplicium inuenerunt: qua in re quantū prudentia præstiterint ijs qui apud cæteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerate. Prudentissima ciuitas Athenienſium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. eius porro ciuitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque vtuntur, scripserit. is cùm interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse: sapienter fecisse dicitur, cùm de eo nihil sanxerit, quod antea commissum nō erat: ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius, qui, cùm intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt: vt, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ij magnitudine pœnæ maleficio summouerentur. insui voluerunt in culeum viuos, atque ita in flumen deijci. ô singularem sapientiam iudices, nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui repente cœlum, solem, aquam, terramq; ademerunt? vt, qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata esset dicuntur. noluerunt feris corpus obijcere, ne bestijs quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur: non sic nudos in

dos in flumen deijcere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur: deniq; nihil tam vile, neq; vulgare est, cuius partem vllam reliquerint. etenim, quid tam est commune, quam spiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis? ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, vt eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt nunquam alluantur: ita postremò eijciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquiescant. tanti maleficij crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te Eruti censes posse talibus viris, sine causam quidem maleficij protuleris? si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares, eique iudicio Chrysogonus præesset: tamen diligentius paraiusq; venisses. vtrum, quid agatur, non vides? an, apud quos agatur? agitur de parricidio: sine multis causis suscipi non potest. apud homines autem prudentissimos agitur: qui intelligunt neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere. esto: causam proferre non potes. tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam, & tibi quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. non quæro abs te, quare patrem Sex. Rolcius occiderit: quæro, quo modo occiderit. ita quæro abs te C. Eruti, quo modo, & sic tecum agam, vt in loco vel respondendi

spondendi, vel interpellandi tibi potestatem faciam, vel etiam, si quid voles, interrogandi quo modo occidit? ipse percussit, an alijs occidendum dedit? si ipsum arguis: Romæ non fuit: si per alios feciſſe dicis, quæro, ſeruos nè an liberos? quos homines? indidemnè Ameria, an hoſce ex vrbe ſicarios? ſi Ameria, qui ſunt hi? cur non nominantur? ſi Roma, vnde eos nouerat Roſcius? qui Romam multis annis non venit, neq; vnquam plus triduo fuit, vbi eos conuenit? qui cum locutus eſt? quo modo perſuaſit? precium dedit? cui dedit? per quem dedit? vnde, aut quantum dedit, nonne his veſtigijs ad caput maleficij peruenirj ſolet? & ſimul tibi in mentem veniat facito, quemadmodum vitam huiuſce depinxeris: hunc hominem ferum atq; agreſtem fuiſſe, nunquam cum homine quoquam collocutum eſſe: nunquam in oppido conſtitiſſe. qua in re præterea illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat eſſe: in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultaq; vita, iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere. vt non omnem frugem neq; arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. in vrbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt. ex auaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur. vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ diligentiæ, iuſticiæ magiſtra

gistrà est. verum hæc missa facio : illud quæro, his homo, qui, vt tute dicis, nunquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens præsertim, conficere potuerit. multa sunt falsa iudices, quæ tamen argui suspicioſe possunt : in his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romæ Sex. Roscius occiditur, cum in agro Amerino esset filius, literas, credo, misit alicui sicario, qui Romæ nouerat neminem. arcessiuit aliquem: at quando? nuncium misit: quem? aut ad quem? pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem : nihil horum ne confingi quidem potest : & tamen causa de parricidio dicitur. reliquum est: vt per seruos id admiserit. ô dij immortales, rem miserã & calamitosã. quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, vt seruos in quæstionem polliceatur : id Sex. Roscio facere non licet : vos qui hunc accusatis, omnes eius seruos habetis : vnus puer victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc appello P. Scipio, te Metelle vobis aduocatis, vobis agentibus, aliquoties duos seruos paternos in quæstionẽ ab aduersarijs Sex. Roscius postulauit. meministisne T. Roscium recusare? quid? ij serui vbi sunt? Chrysogonum iudices sectantur, apud eum sunt in honore, & in pretio etiam nunc, vt ex his quæratur, ego postulo, hic orat, atq; obsecrat. quid facitis? cur recusatis? dubitate

etiam

etiam nunc iudices, si potestis, à quo sit Sex. Rocciſus: ab eóne, qui propter illius mortem in egestate & insidijs versatur, cui ne querendi quidem de morte patris potestas permittitur: an ab ijs, qui quæstionem fugitant, bona possident, in cæde, atq; ex cæde viuunt. omnia iudices in hac causa sunt misera atq; indigna: tamẽ hoc nihil neq; acerbius, neq; iniquius proferri potest. mortis paternæ de seruis paternis quæstionẽ habere filio non licet. ne tandiu quidem dominus erit in suos, dum, ex ijs de patris morte quæratur. veniam neq; ita multo pòst, ad huc locum. iam hoc totum ad Roscios pertinet: de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum, cum Erutij crimina diluissem: Nunc Eruti ad te venio, cõueniat mihi tecum, necesse est: si ad hunc maleficium istud pertinet aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas: aut per aliquos liberos, aut seruos. liberosné quos neq; vt conuenire putuerit, neq; qua ratione inducere, neq; vbi, neq; per quos, neq; qua spe, aut pretio, potes ostendere. ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere: quod neq; Romæ multis annis fuerit, neq; de prædijs vnquam temerè discesserit. Restare tibi videbatur seruorum nomen, quò quasi in portum reiectus, à ceteris suspicionibus, consurgere posses: vbi scopulum offendis eiusmodi, vt non modo ab hoc crimen resilere videas, verùm o-

mnem

mnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. quid est ergo, quò tandem accusator inopia argumentorum confugerit? eiusmodi tempus erat, inquit, vt homines vulgò impunè occiderentur. quare tu hoc, propter multitudinem sicariorum, nullo negocio facere potuisti. interim mihi videris Eruti vna mercede duas res assequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos, à quibus mercedem accepisti: quid ais? vulgò occidebantur? per quos? & à quibus? nonné cogitas te à sectoribus huc adductum esse? quid postea? nescimus, per ista tempora eosdem ferè sectores fuisse collorum, & bonorum? ij denique qui tum armati dies noctesque concursabant, qui Romæ erant assidui, qui omni tempore in præda & sanguine versabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbitatem iniquitatemq; obijcient? & illam sicariorũ multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modò Romæ non fuit, sed omninò, quid Romæ ageretur, nesciret: propterea quòd ruri assiduus, quemadmodũ tutè confiteris, fuit. Vereor, ne aut molestus sim vobis iudices, aut ne ingenijs vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Erutij criminatio tota, vt arbitror, dissoluta est. nisi forte expectatis, vt illa diluam, quæ de peculatu, ac de eiusmodi reb. commentitijs, inaudita nobis ante hoc tempus ac noua, obiecit. quæ mihi iste

visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neq; ad crimen parricidij, neq; ad eum, qui causam dicit, pertinebant. de quib. quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. si quid est, quod ad testes reseruet, ibi nos quoq;, vt in ipsa causa, paratiores reperiet, quàm putabat. Venio nũc eò quò me non cupiditas ducit, sed fides: nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere, dum vtrumuis licebit: is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum peruenit, nõ qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quæ sunt inania: quæramus, vbi maleficium & est, & inueniri potest. iam intelliges Eruti, certum crimen quàm multis suspicionibus coarguatur. tametsi neq; omnia dicam, & leuiter vnumquodq; tangam: neq; enim id facerem, nisi necesse esset. & id erit signum me inutũ facere, quòd non persequar longius, quàm salus huius, & mea fides postulabit. Causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio. at ego in T. Roscio reperio: tecum enim mihi res est T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palàm aduersarium esse profiteris. de Capitone pòst viderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit. tum alias quoq; suas palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cassius ille, quem populus R. verissimum

simum & sapientissimũ iudicem putabat, identidem in caussis quærere solebat, cui bono fuisset sic vita hominum est, vt ad maleficium nemo conetur sine spe, atq; emolumento accedere. hunc quæstorem, ac iudicem fugiebant, atque horrebant ij, quibus periculum creabatur: ideo quòd, tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quàm inclinatus ad seueritatem videbatur. ego, quanquam præest huic quæstioni vir & contra audaciam fortissimus, & ab innocentia clementissimus, tamen facilè me paterer, vel illo ipso acerrimo iudice quærente, vel apud Cassianos iudices, quorum etiam nunc ij, quibus caussa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere: in hac enim caussa cum viderent illos ampliſſimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse, illud quidem non quærerent, cui bono fuisset: sed & perspicuum crimen & suspicionem potius ad prædam adiungeret, quàm ad egestatem. quid, si accedit eodem, vt tenuis antea fueris? quid, si, vt auarus? quid, si, vt audax? quid, si, vt illius, qui occisus est, inimicissimus? num quærenda caussa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari potest? tenuitas hominis eiusmodi est, vt dissimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. auaritiam præfers, qui societatem coieris de municipis, cognatique fortunis cum

alieniſſimo. quàm ſis audax (vt alia obliuiſcar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota ſocietate, hoc eſt, ex tot ſicarijs, ſolus tu inuentus es, qui cum accuſatoribus ſederes, atque os tuum non modò oſtenderes, ſed etiam offerres. inimicitias tibi fuiſſe cum Sex. Roſcio, & magnas rei familiaris controuerſias, concedas, neceſſe eſt. Reſtat iudices, vt hoc dubitemus, vter potius Sex. Roſcium occiderit: is, ad quem morte eius diuitiæ venerint: an is, ad quem mendicitas. îs qui antea tenuis fuerit: an is, qui poſtea factus ſit egentiſſimus. is, qui ardens auaritia feratur infeſtus in ſuos: an is, qui ſemper ita vixerit, vt quæſtum noſſet nullum, fructum autem cum ſolum, quem labore perperiſſet. is, qui omnium ſectarum audaciſſimus ſit: an is, qui propter fori iudiciorumque inſolentiam non modò ſubſellia, verùm etiam vrbem ipſam reformidat. poſtremò iudices, id quod ad rem mea ſententia maximè pertinet, vtrum inimicus potius, an filius. hæc tu Eruti tot & tanta ſi nactus eſſes in reo quàm diu diceres? quo te modo iactares? tempus hercule te citius, quam oratio deficeret: etenim in ſingulis rebus eiuſmodi materies eſt, vt dies ſingulos poſſis conſumere: neque ego non poſſum: non enim mihi tantum derogo, tametſi nihil arrogo, vt te copioſiùs, quàm me, putem poſſe dicere. verum ego forſitan propter multitudinem patronorum

tronorum in grege annumerer: te pugna Cannensis accusatorem sat bonum facit. multos cæsos non ad Trasimenum lacum, sed ad Seruilium vidimus. quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos, quos iam ætas à prælijs auocabat: postremò Priamum ipsum senem Antistium, quem non modò ætas, sed etiam leges pugnare prohibebant. iam quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios, & de veneficijs accusabant. qui omnes, quod ad me attinet, vellem viuerent: nihil enim mali est, canes ibi quamplurimos esse, vbi permulti obseruandi, multaque seruanda sunt. verùm, vt fit, multa sæpe imprudentibus imperatoribus vis belli, ac turba molitur, dum is in alijs rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat: erant interea, qui suis vulneribus mederentur, qui tanquam si offusa reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant, à quibus miror, ne quod iudiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta: nam & accusatores, & iudices sustulerunt. hoc commodi est, quòd ita vixerunt, vt testes omnes, si cuperent, interficere non possent: nam, dum hominum genus erit, qui accuset eos non deerit: dum ciuitas erit, iudicia fient. verùm, vt cœpi dicere, & Erutius, hæc si haberet in causa, quæ com-

memoraui, posset ea quamuis diu dicere, & ego iudices possũ: sed in animo est, quẽadmodũ an te dixi leuiter trãsire, ac tãtũmodo perstringere vnãquãq; rem: vt omnes intelligãt, me non stu dio accusare, sed officio defendere. Video igitur causas esse permultas, quæ istũ impellerent. vi deamus nunc, ecqua facultas suscipiendi male ficij fuerit. Vbi occisus est Sex. Roscius? Rome quid tu Rosci, vbi tũc eras? Romæ. verũ quid ad rem? & alij multi. quasi nunc id agatur, qui ex tãta multitudine occiderit: ac nõ hoc quæra tur, cum, qui Romæ sit occisus, vtrum verisi milius sit ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romæ fuerit: an ab eo qui multis an nis Romam omnino non accesserit. age nunc, cæteras facultates quoque consideremus, erat tum multitudo sicariorum, id quod comme morauit Erutius: & homines impunè occide bantur. quid? ea multitudo quæ erat? opi nor aut eorum, qui in bonis erant occupati: aut eorum qui ab ijs conducebantur. vt ali quem occiderent si eos putas, qui alienum ap petebant: tu es in eo numero, qui nostra pe cunia diues es: sin eos, qui leuiore nomine ap pellant, percussores vocant, quære in cuius fide sint, & clientela. mihi crede, aliquem de societate tua reperies. & quicquid tu contrà dixeris, id cum defensione nostra contendito ita facillimè causa Sex. Roscij cum tua confe retur. Dices, quod postea, si Romæ assidu us fui?

us fui? respondebo: at ego omninò non fui. fateor me sectorem esse: verum & alij multi: at ego, vt tute arguis, agricola & rusticus. non continuo si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius: at ego profecto, qui ne noui quidem quenquam sicarium, longè absum ab eiusmodi crimine. permulta sunt quæ dici possunt, intelligatur summam tibi facultatem fuisse maleficij suscipiendi: quæ non modò iccirco prætereo, quòd teipsum non libenter accuso: verùm eo magis etiam, quòd si de illis cædibus velim commemorare, quæ tum factæ sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor ne ad plures oratio mea pertinere videatur videamus nunc strictim, sicut cætera, quæ post mortem Sex. Roscij abs te T. Roscij facta sunt: quæ ita aperta & manifesta sunt, vt medius fidius iudices, inuitus ea dicam: vereor enim, cuiusmodi es Roscij, ne ita hunc videar voluisse seruare, vt tibi omninò non pepercerim. cùm hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte, quod salua fide possim, parcere, rursus immuto voluntatem meam: venit enim mihi in mentem oris tui, te, ne cùm cæteri socij tui fugerent, ac se occultarent, vt hoc iudicium non de illorum præda, sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, vt in iudicio versarere, & sederes cum accusatore: qua in re nihil aliud assequeris, nisi vt ab omnibus mor-

talibus audacia tua cognoscatur, & impudentia. Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nunciat? Manlius Glaucia quem iam antea nominaui, tuus cliens, & familiaris: quid attinuit eum potissimum nunciare? quod, si nullum iam antea consilium de morte, ac de bonis eius inieras, nullamque societatem neque sceleris, neque premijs, cum homine vllo coieras ad te minimè omnium pertinebat? sua sponte Manlius nunciat? quid quæso, eius intererat? an cùm Ameriam non huiusce rei causa venisset, casu accidit, vt id, quod Romæ audierat, primus nunciaret? cuius rei causa venerat Ameriam? non possum, inquit, diuinare. eò re iam adducam, vt nihil diuinatione opus sit. qua ratione Roscio Capitoni primum nunciauit? cùm Ameriæ Sext. Roscij domus, vxor, liberique essent, cum tot propinqui cognatique optimè conuenientes: qua ratione factum est, vt iste tuus cliens, sceleris tui nuncius T. Roscio Capitoni potissimum nunciaret? occisus est à cœna rediens. nondum lucebat, cùm Ameriæ scitum est. quid hic incredibilis cursus? quid hæc tanta celeritas, festinatioque significat? non quæro quis percusserit, nihil est Glaucia, quod metuas: non excutio te, si quid fortè ferri habuisti, non scrutor: nihil ad me arbitror pertinere. quoniam, cuius consilio occisus sit, inuenio: cuius manu sit percus-

sus, non

sus, non laboro. vnū hoc sumo, quod mihi aper tū tuū scelus, resq; manifesta dat: vbi, aut vnde audiuit Glaucia, qui tam cito sciuit? fac audisse statim. quæ res eū nocte vna tantū itineris con tedere coègit? quæ necessitas eū tanta preme bat, vt, si sua spōte iter Ameriā faceret, id tēporis Roma proficisceretur? nullāpartē noctis re quiesceret? etiā ne in tam perspicuis rebus argu mentatio quærenda, aut coniectura capienda sit; nonne vobis hæc, quæ audistis, cernere o culis videmini iudices? non illum miserum, i gnarum casus sui, redeuntem à cœna videtis? non positas insidias? non impetum repentinū? non versatur ante oculos vobis in cæde Glau cia? non adest iste T. Roscius? non suis mani bus in curro collocat Autumedontem illum, sui sceleris acerbissimi, nefariæq; victoriæ nun cium? non orat, vt eam noctem peruigilet? vt honoris sui causa laboret? vt Capitoni quam primum nuntiet: Quid erat quod Capitonem primum scire voluerit? nescio: nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium: de tribus & decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere, audio præterea, non hanc suspi cionem nunc primum in Capitonem conferri, multas esse infames palmas, hanc primam esse tamen lemniscatam; quæ Romæ deferatur: nul lum modum esse hominis occidendi, quo iste non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno. habeo etiam dicere, quem, contra mo

rem miniorum, minorem annis LX, de ponte in Tyberim deiecerit. quæ, si prodierit, atq; adeò eum prodierit, scio enim proditurum esse, audiet. veniat modò, explicet suum volumen illud: quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse: quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse, & minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. ô preclarum testem iudices: ô grauitatem dignã expectatione: ô vitam honestam, atq; eiusmodi, vt libentibus annis ad eius testimonium vestrum iusiurandum accomodetis. profectò non tam perspicue istorum maleficia videremus, nisi ipsos cæcos redderet cupiditas & auaritia & audacia. alter ex ipsa cæde volucrem nuncium Ameriam ad socium, atq; ad magistrum suum misit, vt, si dissimulare omnes cuperent se scire ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. alter (si dijs immortalibus placet) testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est: quasi verò id nunc agatur, vtrum id, quod dixerit, credendum, an quod fecerit, vindicandum sit. itaque more maiorum comparatum est, vt in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Atricanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. vide te,

nunc,

nunc, quam versa & mutata in peiorem partem sunt omnia. cùm de bonis, & de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui & sector est, & sicarius, hoc est, qui & illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atq; possessor est, & eum hominem occidendum curauit, de cuius morte quæritur. qui tu vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta, vide ne tibi desis: tua quoque res permagna agitur. multa scelerate, multa audacter, multa improbe feci sti, vnum stultissime, profecto tua sponte, non de Erutij sententia. nihil opus fuit te isti credere: neq; enim accusatore muto, neq; teste quisquam vtitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. huc accedit, quòd paulo tamen occultor, atq; tectior vestra ista cupiditas esset. nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret? cum, quæ facitis, eiusmodi sint, vt ea dedita opera à nobis contra vosmetipsos facere videamini. Age, nunc illa videamus iudices, quæ statim consecuta sunt. ad Volaterras in castra L. Syllæ mors Sex. Roscij quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nunciatur. quæritur etiam nunc, quis eum nuncium miserit: non ne perspicuum est eundem, qui Ameriam? curat Chrysogonus, vt eius bona venant statim. qui non norat hominem, aut rem? atqui ei venit in mentem prædia concupiscere hominis ignoti, quem omninò nunquam viderat. soletis, cum aliquid huiusmodi auditis iudices,

continuo

continuo dicere, necesse est aliquem dixisse municipem, aut vicinum. ij plerunq; indicant, per eos pleriq; produntur. hic nihil est, quòd suspicionem hanc putetis. non enim ego ita disputabo: verisimile est Roscium istam rem ad Chrysogonum detulisse: erat enim eis cum Chrysogono iam antea amicitia: nam cum multos veteres à maioribus Roscij patronos, hospitesq; haberent: omnes eos colere atq; obseruare destiterunt. ac se in Chrysogoni fidem & clientelam contulerunt. hæc possum omnia vere dicere: sed in hac causa coniectura nihil opus est: ipsos certo scio non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse in pulso suo. si eum, qui indicij partē acceperat, oculis cernetis: poteritis ne dubitare iudices, qui indicarit? qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? duo Roscij. num quisquam præterea? nemo est iudices. num ergo dubium est, quin ij obtulerint hanc prædam Chrysogono, qui ab eo partem prædæ tulerunt? Age, nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. si nihil in ista pugna Roscij, quod operepretium esset, fecerant, quam ob causam à Chrysogono tantis præmijs donabantur? si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? deniq; vt perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? cur tria prædia, tantæ pecuniæ statim Capitoni dantur? cur, quæ reliqua sunt, iste Roscius omnia

mnia cum Chrysogono communiter possidet? nonne perspicuum est iudices, has manubias Roscij Chrysogonum re cognita concessisse? venit in Decemprimis Legatus in castra Capito totam vitam, naturam, moresq; hominis ex ipsa legatione cognoscite. nisi intellexeritis iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum, atq; integrum, quod non eius scelus, atq; perfidia violârit, & imminuerit: virum optimum esse eum iudicatote. impedimento est, quo minus de his rebus Sylla doceatur: cæterorum Legatorum consilia, & voluntatem Chrysogono enunciat: monet vt prouideat, ne palàm res agatur: ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum: illum acuere, hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem monere, vt caueret, hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos infra consilia, horum consilia illi enunciare; cum illo partem suam depaciscì, hisce, aliqua fretus hora semper, omnes aditus ad Syllam intercludere. postremo isto hortatore, auctore, interceflore ad Syllam Legati non adierunt: istius fide, ac potius perfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium eis denunciare: pro re certa spem falsam domum retulerunt. in priuatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosus gessisset sui quæstus, aut commodi causa, ve

rum

rum etiam negligentius, eum maiores summũ admisisse dedecus existimabant: itaq; mandati constitutum est iudicium, non minus turpe quam furti, credo propterea, quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, &, quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem: non enim possumus omnia per nos agere: alius in alia est re magis vtilis: idcirco amicitiæ comparantur, vt commune commodum mutuis officijs gubernetur. quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis, & obstas? recede de medio, per alium transigam. suscipis onus offici, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur graue ijs, qui minime ipsi leues sunt. ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam, & fidem. nam neq; mandat quisquã ferè, nisi amico: neq; credit, nisi ei, quem fidelem putat. perditissimi est igitur hominis simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. ita ne est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est: in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunæ viui commendatæ sunt, atq; concreditæ, ignominia mortuum affecerit, is inter honestos homines,

atq;

atq; adeo inter viuos numerabitur? in minimis priuatisq; rebus etiam negligentia in crimen mandati iudicijq; infamia reuocaretur, propterea quód si recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandârit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quæ publicè gesta, atq; commissa sit, qui non negligentia priuatum aliquod cõmodũ læserit, sed perfidia, legationis ipsius cerimoniam polluerit, maculaq; effecerit qua is tandem pœna afficietur? aut quo iudicio damnabitur? si hanc ei rem priuatim Sex. Roscius mandauisset, vt cum Chrysogono transigeret, atq; decideret, inq; eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret: ille, qui se facturum recepisset, nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam conuertisset, damnatus per arbitrum, & rem restitueret, & honestatem omnem amitteret? nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandauit: sed, id quod multò grauius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisq; omnibus à decurionibus publice Roscio mandatus est: & ex eo T. Roscius non paululũ nescio quid in rem suam conuertit, sed hũc funditus euertit bonis: ipse tria prædia sibi depactus est, voluntatem decurionum ac municipũ omniũ tantidẽ, quanti fidẽ suã fecit. videte, iam porrò cætera iudices, vt intelligatis fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non cõtaminârit. in rebus minoribus socium fallere turpissimum est, æquecq; turpe, atq; illud, de

quo an-

quo ante dixi: neq; iniuria, propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicauit. ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem læditur, cui se commiserit? atqui ea sunt animaduertenda peccata maxime, quæ difficillime præcauentur. tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est: socium vero cauere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officij lædimus. rectè igitur maiores eum, qui socium fefelliset, in virorum bonorum numero, non putârunt haberi oportere at vero T. Roscium non vnum rei pecuniariæ socium fefellit (quod tametsi graue est, tamen aliquo modo posse ferri videtur) verum nouem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officij, mandatorumq; socios induxit, decepit, destituit, aduersarijs tradidit, omni fraude & perfidia fefellit: qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officij metuere non debuerunt: eius malitiam non viderunt, orationi vanæ crediderunt. itaq; nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parum putantur cauti, prouidiq; fuisse, iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primo sociorum consilio aduersarijs enunciauit, deinde societatem cum ipsis aduersarijs coijt, terret etiam nos ac minatur, tribus prædijs, hoc est præmijs sceleris, ornatus. in ciusmodi vita iudices, in his tot tantisq; flagitijs hoc quoq; maleficium. de

quo

quo iudicium est, reperietis. etenim quærere ita debetis: vbi multa auarè, multa audacter, multa improbè, multa perfidiosè facta videtis, ibi scelus quoq; latere inter illa tot flagitia putatote. tametsi hoc quidē minime latet, quod ita promptum, & propositum est, vt non ex illis maleficijs, quæ in illo constat esse, hoc intelligatur, verum ex hoc, etiam si quod illorū forte dubitabitur, conuincatur. quid tandem quæso iudices? num aut ille lanista omnino iam à gladijs recessisse videtur, aut is discipulus magistro tantulum de arte concedere? par est auaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia: etenim quoniam fidem magistri cognostis, cognoscite nunc discipuli æquitatē. dixi iam antea, sæpenumero postulatos esse ab istis duos seruos in quæstionem: tu semper T. Rosci recusasti. quæro abs te, ij ne, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent, an iste non commouebat, pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua videbatur? postulabant homines nobilissimi, atque integerrimi nostræ ciuitatis, quos iam antea nominaui: qui ita vixerunt, talesq; à populo R. putantur, vt, quidquid dicerent, nemo esset, qui non æquum putaret: postulabant autem pro homine miserrimo, atq; infelicissimo, qui vel ipse sese incruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. res porrò abs te ciusmodi postulatur, vt nihil interesset, vtrum eam rem recusares, an de ma-

leficio confiterere. quæ cum ita sint, quæro abs te, quam ob causam recusaris. cum occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. seruos ipsos; quod ad me attinet, neq; arguo, neque purgo. quòd à vobis hoc pugnari video, ne in quæstionem dentur, suspicioſum est: quòd vero apud vos ipsos in honore tanto sunt, profecto necesse est, sciant aliquid, quòd si dixerint, perniciosum vobis futurum sit. in dominos quæri de seruis, iniquum est. an ne quæritur? Sex. enim Roscius reus est: neque enim cum de hoc quæritur, vos dominos esse dicitis. cum Chrysogono sunt. ita credo: literis eorum, & vrbanitate Chrysogonus ducitur, vt inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos, ex tot elegantissimis familijs lectos, velit hos versari, homines penè operarios ex Amerina disciplina patrisfamiliæ rusticani. non est ita profecto iudices, non est verisimile, vt Chrysogonus horum literas adamarit, aut humanitatem, non, vt rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum, & fidem. est quiddam, quod occultatur: quod quo studioſius ab ipsis opprimitur, & absconditur, eo magis eminet, & apparet. quid igitur? Chrysogonus sui maleficij occultandi causa quæstionem de his haberi non vult? minime iudices. non in omnes arbitror omnia conuenire. ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor, neq; hoc mihi nunc primum in mentem venit

dicere,

dicere. meministis me ita distribuisse initio causam, in crimen, cuius tota argumentatio permissa Erucio est, & in audaciam, cuius partes Roscijs impositæ sunt. quidquid maleficij, sceleris, cædis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. nimiam gratiam potentiamq; Chrysogoni dicimus & nobis obstare, & perferri nullo modo posse, & a vobis, quoniam potestas data est, non modo infirmari, verum etiam vindicari oportere. ego sic existimo, qui quæri velit ex ijs, quos constat, cum cædes facta sit, affuisse, eum cupere verum inuenire: qui recusat, eum profecto, tametsi verbo non audet, tamen reipsa de maleficio suo confiteri. dixi initio iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam causa postularet, ac necessitas ipsa cogeret: nam & multæ res afferri possunt, & vnaquæq; earum multis cum argumentis dici potest. verum ego, quod inuitus ac necessariò facio, neq; diu, neq; diligenter facere possum. quæ præteriri nullo modo poterant, ea leuiter iudices attigi. quæ posita sunt in suspicionibus, de quibus si cœpero dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea vestris ingenijs cõiecturæq; committo. Venio nunc ad illud nomen aureũ Chrysogoni, sub quo nomine tota societas statuitur: de quo iudices neq; quo modo dicã, neq; quo modo taceam reperire possum: si enim taceo, vel maximam partem relinquo: si autem dico, vereor ne non ille solus, id quod ad me nihil

attinet, sed alij quoque plures læsosse esse putent. tametsi ita res se habet, vt mihi in communem causã sectorũ dicendũ nihil magnopere: videatur hęc enim causa noua profecto & singularis est. bonorũ Sex. Roscij emptor est Chrysogonus. primum hoc videamus, eius hominis bona qua ratione venierunt, aut quomodo venire potuerunt. atque hoc non ita quæram iudices, vt id dicam esse indignum hominis innocentis bona venisse: si enim hæc audientur, ac liberè dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roscius in ciuitate, vt de eo potissimum conqueramur. verum ego hoc quæro: qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, siue Valeria est, siue Cornelia (non enim noui, nec scio) verum est ipsa lege bona Sex. Roscij venire qui potuerunt? scriptum enim ita dicunt esse, vt eorum bona veneant, qui proscripti sunt: quo in numero Sex. Roscius non est: aut eorum, qui in aduersariorum præsidijs occisi sunt. dum præsidia vlla fuerunt, in Syllæ præsidijs fuit. posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio rediens à cœna Romæ occisus est. si lege, bona quoque lege venisse fateor. sin autem constat contra omnes non modo veteres leges, verum etiam nouas occisum esse: bona quo iure, aut quomodo, aut qua lege venierint, quæro. in quem hoc dicam, quæris Eruci? non in eum, quem vis, & putas: nam Syllam & oratio mea ab initio, & ipsius eximia

virtus

virtus omni tempore purgauit. ego hæc omnia Chrysogonum fecisse dico, vt ementiretur, vt malum ciuem Roscium fuisse fingeret, vt eum apud aduersarios occisum esse diceret, vt his de rebus à legatis Amerinorum doceri L. Syllam passus non sit. denique etiam illud suspicor omnino hæc bona non venisse: id quod postea, si per vos iudices licitum erit, aperietur: opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones, venditionesque fiant, nimirum ad Cal. Iun. aliquot post menses & homo occisus est, & bona venisse dicuntur. profecto aut hæc bona in tabulas publicas nullas redierunt, nosque ab isto nebulone facetius eludimur, quàm putamus: aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt: nam lege quidem bona venire non potuisse constat. intelligo, me ante tempus iudices hæc scrutari, & propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscij mederi debeam, reduuiam curem: non enim laborat de pecunia, non vllius rationem sui commodi ducit: facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione, & facto crimine liberatus sit. verum quæso à vobis iudices, vt hæc pauca, quæ restant, ita audiatis, vt partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro S. Roscio. quæ enim mihi ipsi indigna & intolerabilia videntur, quæque ad omnes, nisi prouidemus, arbitror pertinere, ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore

pronuncio: quæ ad huius vitæ casum, causamque pertineat, & quid hic pro se dici velit, & qua conditione contentus sit, iam in extrema oratione nostra iudices audietis. Ego hæc à Chrysogono mea sponte remoto Sex. Roscio quæro: primum, quare ciuis optimi bona venierint: deinde, quare hominis eius, qui neq; apud aduersarios occisus neq; proscriptus est, bona venierint, cum in eos solos lex scripta sit: deinde, quare aliquãdo post eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita est: deinde, cur tantulo venierint. quæ omnia si, quemadmodum solent liberti nequam, & improbi facere, in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit: nemo est enim qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos partim conniuente, partim imprudente L. Sylla commisisse. placet igitur in his rebus aliquid imprudentia præteriri? non placet iudices, sed necesse est. etenim si Iupiter optimus Maximus, cuius nutu & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, sæpt ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit, quorum nihil pernicie causa diuino consilio, sed vi ipsa, & magnitudine rerum factum putamus; at contra, commoda, quibus vtimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus: quid miramur,

ramur, L. Syllam, cum solus Remp. regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperijque maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animaduertere non potuisse? nisi hoc mirum est, quod vis diuina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. verum vt hæc missa faciam, quæ iam facta sunt: ex ijs, quæ nunc maximè fiunt, nonne quiuis potest intelligere, omnium architectum, & machinatorem vnum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscij nomen deferendum curauit? hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius.

desunt non pauca.

aptam, & ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis aut in Brutijs habent, vnde vix ter in anno audire nuncium possint. alter tibi descendit de Palatio, & ædibus suis: habet animi relaxandi causa rus amœnum & suburbanum, plura præterea prædia, neque tamen vllum nisi præclarum & propinquum: domus referta vasis Corinthijs & Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, vt, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. quid præterea cælati argenti? quid stragulæ vestis? quid pictarum tabularum?

quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum è multis splendidisque familijs, in turba & rapinis coaceruari vna in domo potuit. familiam vero quantam, & quam varijs cum artificijs habeat, quid ego dicam? mitto hasce artes vulgare, coquos, pistores, lecticarios: animi & aurium causa tot homines habent, vt quotidiano cantu vocum, & neruorum, & tibiarum, nocturnisque conuiuijs tota vicinitas personet. in hac vita iudices quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quæ vero conuiuia? honesta, credo, in eiusmodi domo. si domus hæc habenda est potius, quam officina nequitiæ, & diuersorium flagitiorum omnium. ipse verò quemadmodum composito & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterua togatorum, videtis iudices, vt omnes despiciat, vt hominem præ se neminem putet, vt se solum beatum, solum potentem putet. quæ verò efficiat, & quæ conetur, si velim commemorare, vereor iudices, ne quis imperitior existimet me causam nobilitatis victoriamque voluisse lædere. tametsi meo iure possum, si quid in hac parte mihi non placeat, vituperare: non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse à causa nobilitatis existimet. sciunt ij, qui me norunt, me pro illa tenui infirmaque parte, posteaquam id, quod maximè volui,

fieri

fieri non potuit, vt componeretur, id maxime defendisse, vt ij vincerent, qui vicerunt: quis enim erat, qui non videres humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi ciuis erat, non se ad eos adiungere, quibus incolumibus, & domi dignitas, & foris auctoritas, retineretur. quę perfecta esse, & suũ cuiq; honorẽ, & gradũ redditum, gaudeo iudices, vehementerq; lætor, eaq; omnia deorum voluntate, studio populi R. cõsilio, & imperio, & felicitate L. Syllæ gesta esse intelligo. quoniã animaduersũ est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt: non debeo reprehẽdere. quod viris fortibus, quorũ opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus est: laudo, quæ vt fierent, idcirco pugnatum esse arbitror: meq; in eo studio partium fuisse confiteor. sin autem id actum est, & iccirco arma sumpta sunt, vt homines postremi pecunijs alienis locupletarentur, & in fortunas vniuscuiusq; impetum facerent: & id non modò re prohibere non licet, sed ne verbis quidẽ vituperare: tũ vero in isto bello non recreatus, neq; restitutus, sed subactus oppressusq; populus Ro. est. verum longè aliter est. nihil horũ est iudices: non modò non lædetur causa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiã ornabitur. etenim qui hæc vituperare volunt, Chrysogonũ tantũ posse querũtur: qui laudare volunt, concessum ei non esse cummemorant.

ac iam nihil est, quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat: vellem quidem liceret, hoc dixissem: dicas licet. hoc feciſſem: facias licet, nemo prohibet. hoc decreuiſſem: decerne, modo rectè, omnes approbabunt. hoc iudicaſſem: laudabunt omnes, si rectè & ordine iudicaris. dum necesse erat, resq; ipsa cogebat, vnus omnia poterat. qui posteaquam magistratus creauit, legesq; constituit, sua cuiq; procuratio auctoritasq; est restituta. quam si retinere volunt ij, qui receperunt: in perpetuum poterunt obtinere. sin has cædes, & rapinas, & hos tantos, tamq; profusos sumptus aut facient, aut approbabunt: nolo in eos grauius quicquam ne omnis quidem causa dicere: vnum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi vigilantes, & boni, & fortes & misericordes erunt, ijs hominibus, in quibus hæc erunt ornamenta, sua concedant necesse est. qua propter desinant aliquando dicere, malè aliquem locutum esse, si quis verè ac liberè locutus sit: desinant suam causam cum Chrysogono communicare: desinant, si ille læsus sit, de se aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe miserumq; sit, eos qui equestrem splendorem pati non potuerunt, serui nequissimi dominationē ferre posse. quæ quidem dominatio iudices in alijs rebus antea versabatur: nunc verò quam viam muniret, quò iter afficeret, videtis: ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia vestra, ad id

quod

quod solum propè in ciuitate sincerum, sanctumq; restat. hic ne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? ô rem miseram, atq; acerbam. neq; mehercules hoc indignè fero, quòd verear, ne quid possit: verum quòd ausus est, quod sperauit sese apud tales viros aliquid ad perniciem posse innocentis, id ipsum queror: iccirco ne experrecta nobilitas, armis atq; ferro Remp. recuperauit vt ab libidinem suam liberti seruuliq; nobilium, bona, fortunas vestras, nostrasq; vexare possent? si id actum est fateor me erraſſe, qui hoc maluerim: fateor insaniſſe, qui cum illis senserim: tametsi inermis iudices sensi sin autem victoria nobilium ornamento, atq; emolumẽto Reip. populoq; R. debet esse: tum verò optimo, & nobiliſſimo cuiq; meam orationem gratiſſimam esse oportet. quod si quis est, qui & sẽ, & causam lædi putet, cùm Chrysogonus vituperetur: is causam ignorat, se ipsum propè non nouit: causa enim splendidior fiet, si nequiſſimo cuiq; resistetur: ille improbiſſimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, læditur, cùm ab hoc splendore causæ separatur. verum hæc omnis oratio: vt iam ante dixi, mea est: qua me vti Resp. & dolor meus. istorum iniuria coegit. sed Roscius horum nihil indignum putat: neminẽ accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola, & rusticus,

cus, ista omnia, quæ nos per Syllam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta: culpa liberatus,& crimine nefario solutus,cupit à vobis discedere: si hac indigna suspicione careat, animo æquo se carere suis omnibus commodis dicit: rogat, oratq; te Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem conuertit, si nulla in re te fraudauit, si tibi optima fide sua omnia concessit,adnumerauit,appendit. si vestitum quo ipse tectus erat, annulumq; dedit, si os suum tibi tradidit, si ex omnib. rebs. se ipsum nudum, neq; præterea quicquam, excepit: vt sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere. prædia mea tu possides: ego aliena misericodia viuo. concedo & quòd animus æquus est, & quia necesse est. mea domus tibi patet, mihi clausa est. fero. familia mea maxima veteris; ego seruum habeo nullum. patior; & ferendum puto, quid vis amplius: quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? vbi tuis commodis officio? quid tibi obsto? si spoliorum causa vis hominem occidere, spoliasti: quid quæris amplius? si inimicitiarum, quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius antea prædia possedisti, quàm ipsum cognosti? sin metuis: ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipsum ab se se tam atrocem iniuriam propulsare non posse sin, quò bona, quæ Roscij fuerunt, tua facta sunt, iccirco huncillius filium studes perdere:

nonné

nonné ostendis id te vereri, quod præter cæteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur? facis iniuriam L. Syllæ Chrysogone, si maiorem spem emptionis tuæ in huius exitio ponis, quã in ijs rebus, quas L. Sylla gessit. quòd si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis: si tibi omnia sua præter animam tradidit, nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem causa, reseruauit: per Deos immortales, quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisq; natura? quis vnquam prædio fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus vt cùm integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? scis hũc nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil vnquam contra rem tuam cogitasse: & tamen oppugnas eum: quem neq; metuere potes, neq; odisse debes, nec quicquam habere iam reliqui vides, quod ei detrahere possis: nisi hoc indignũ putas, quòd vestitũ sedere in iudicio vides, quem tu è patrimonio tanquã è naufragio nudum expulisti quasi verò nescias hunc & ali, & vestiri à Cæcilia Balearici filia. Nepotis sorore, spectatissima femina: quæ cùm patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrẽ haberet: tamẽ, cùm esset mulier, virtute perfecit, vt quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur. non minora illis ornamenta ex sua laude redderet. An, quod diligenter de-

fenditur,

fenditur, id tibi indiguum facinus videtur? mihi crede, si pro patris eius hospitijs, & gratia vellet omnes huius hospites adesse, & auderent liberè defendere, satis copiosè defenderetur: sin autem pro magnitudine iniuriæ, proq; eo, quòd summa Reip. in huius periculo tentatur, hæc omnes vindicarent: consistere mehercule vobis isto in loco non liceret. uunc ita defenditur, non sanè vt molestè ferre aduersarij debeant, neq; vt se potenia superari putent. quæ domi gerenda sunt, ea per Cæciliam transiguntur. fori iudicijq; rationem Messala, vt videtis iudices, suscepit: qui si iam satis ætatis atq; roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. quoniam ad dicendum impedimento est ætas, & pudor, qui ornat ætatem, causam mihi tradidit, quæm sua causa cupere ac debere intelligebat. ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, vt Sex. Roscij vita erepta de manibus sectorum, sententijs iudicum permitteretur. nimirum iudices pro hac nobilitate pars maxima ciuitatis in armis fuit, hæc acta res est, vti nobiles restituerentur in ciuitatem, qui hoc facerent, quod facere Messalam videtis, qui caput innocentis defenderent, qui iniuriæ resisterent, qui quantum possent, in salute alterius, quàm in exitio mallent ostendere. quod si omnes, qui eodem loco nati sunt facerent: & Resp. ex illis, & ipsi ex inuidia minus laborarent. verùm si à Chrysogono iudices non impetramus,

petramus, vt pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest, vt cùm ademerit nobis omnia, quæ nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis est eripere cupiat: si non satis habet auaritiâ suâ pecunia explere, nisi etiâ crudelitate sanguinis perlitus sit: vnum perfugiũ iudices, vna spes reliqua est Sex. Roscio, eadem quæ Reipublicæ, vestra pristina bonitas & misericordia, quæ si manent, salui etiam nunc esse possumus. sin ea crudelitas, quæ hoc tempore in Rep. versata est, vestros quoq; animos, id quod fieri fecto non potest, duriores, acerbioresq; reddidit: actum est iudices: inter feras satius est ætatem degere, quàm in hac tanta immanitate versari. ad eamne rem vos reseruati estis, ad eamne rem delecti, vt eos condemnaretis, quos sectores, ac sicarij iugulare non potuissent? solent hoc boni imperatores facere, cùm prælium committunt, vt in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent, in quos, si qui ex acie fugerint, de improuiso incidant. nimirũ similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic tales viros sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. dij prohibeant iudices, vt hoc quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, præsidium sectorum existimetur. an vero iudices vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi vt proscriptorũ liberi quauis ratione tollantur? & eius rei initium in vestro

iureiurando

iureiurando atque in Sex. Roscij periculo quæri? dubium est, ad quem maleficium pertineat, cùm videatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicariũ, eundemq; accusatorem: hoc tempore ex altera parte egentẽ, probatũ suis filiũ, in quo non modò culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? nunquid hic aliud videtis obstare Roscio, nisi quòd patris bona venierũt? quòd si id vos suscipitis, & eadem in re operam vestram profitemini: si idcirco sedetis, vt ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt: cauete per deos immortales iudices, ne noua, & multa crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. illam priorem, quæ facta est in eos, qui arma capere potuérũt, tamen senatus suscipere noluit, nequid acrius, quàm more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur. hanc vero, quæ ad eorum liberos, atq; infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio à vobis reijcitis & aspernámini, videte per deos immortales, quem in locum Remp. peruenturam putetis. homines sapientes, & ista auctoritate, & potestate præditos, qua vos estis, ex quib. reb. maximè Resp. laborat, ijs maximè mederi conuenit. vestrum nemo est, quin intelligat populũ Romanum, qui quondam in hostes leniſſmus existimabatur, hoc tẽpore domestica crudelitate laborare. hanc tollite ex ciuitate iudices: hãc pati nolite diutius in hac Rep: versari: quæ non

modò

modò id habet in se mali, quòd tot ciues atrocissimè sustulit: verum etiam quod hominibus leniss imis ademit misericordiam consuetudine incommodorum: nam cùm omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus assiduitate molestiarum, sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

ADAMI STEZICIEN. IN ORAT. CIC. PRO S. ROSCIO OCCASIO ET argumentum orationis.

AMERIA oppidum fuit, eius municipij locupletissimus fuit Sex. Roscius, pater huiusce Sex. Roscij cuius res agitur in hoc iudicio. Ei veteres fuerant inimicitiæ, cum duobus Rosciis propinquis, quorum alteri Magno, alteri Capitoni cognomen fuit, idq; propter partitionem bonorum. Hi Roscij cum Sex. Roscium diu cupiuissent occidere, tum cogitata persecerunt, hac occasione. Cum post bellum Marianum L. Sylla Magnum numerum optimorum ciuium proscripsisset, & passim multæ cædes impunè fierent. Titus Roscius Magnus socio adiutore Manlio Glaucio Sex. Roscio, insidias collegerat Romæ ad balneas palatinas, ibiq; noctu redeuntem à cæna obtruncat, rem statim denuntiat Tit. Roscio Capitoni, qui tunc Ameriæ fuit. Is porro rem defert ad L. Cornelium Chrysogonum Syllæ libertum, cum eoq; paciscitur, vt parte bonorum Sex. Roscij accepta, illius nomen in proscriptorum numerum referret. Itaq; duo Roscij, & Chrysogonus, bona Sex. Roscij tanquam proscripti à L. Sylla emunt duobus millibus nummûm, eaq; exturbato filio occupant. Sed quia videbant sibi obsistere vitam Sex. Roscij filij, ideo insidias illi ponunt. Ille re intellecta, Romam confugit ad Ceciliam neptim suam. A qua cum diligentissime custodiretur,

retur, aliud aduersarij consilium capiunt. Sex. Roscium de parricidio accusant, quod patrem suum occidisset. Accusator fuit Erucius exercitatus tabulae. Cic. Sex. Roscium defendit, ac primum aduersarij argumenta refutat, deinde criminationes retorquet in aduersarios & potius cædem factam esse ab ijs, quã à Sex. Roscio filio ostendit.

Genus causæ.

Genus causæ est iudiciale, habens accusationem & defensionem parricidij.

Intentio aduersarij fuit.

Occidisti Roscium patrem Sex. Roscij.

Depulsio defensoris.

Non occidi.

Quæstio nata est V. Sex. Roscius occiderit nec ne?

Et hic est status coniecturalis.

Loci status.

Argumenta præcipua in hac causa ducuntur à voluntate & facultate, an filius voluerit, & potuerit occidere patrem;

Accusator dicit potuisse.

Quia homines tum vulgo interficiebantur.

Voluisse quia patrem oderat, quod eum voluit exhæredare.

Cicero contra.

Amatum esse ostendit patrem à filio, quem pater rure tum præclare præfecisset, occidere autem non

potuisse, Quia pater Romæ est occisus quo tempore filius Romæ non fuit.

Partes orationis.

Partes orationis huius sunt quinque, Exordium, Narratio, Diuisio, Confutatio, & Conclusio, quas eodem ordine collocauit, quo in præceptis sūt conscriptæ.

Genus dicendi.

Genus dicendi orationis huius est summum, graue, copiosum. Grauissima enim res dignitatem habet, pari grauitate, verborum & sententiarum confectam.

Exordij explanatio.

Ductum est hoc exordium ex opinionibus aduersariorum, quas Cic. à se remouet. Sunt autem tres partes huius exordij ad beneuolentiam auditoris, & odium aduersariorum instituta. Prima pars pertinet ad Ciceronem, qua reddit rationem susceptj patrocinij. Secunda pertinet ad Chrysogonum Syllæ libertum, quem in odium adducit. Tertia ad iudices spectat.

Prima pars exordij in qua reddit rationem susceptj patrocinij, cuius sit eiusmodi dispositio.

PRopositio, *Nemo miretur quod ego S. Roscio patronus extiterim, multis alijs oratoribus sedentibus.*

Ratio 1. *Quia illis grauius periculum, si dixerint, quàm mihi immineret.*

2. *Quia illis propter prudentiam nihil ignoscereturmihi autem ignosci potest propter ætatem.*

3. *Quia*

3. *Quia illi hoc negotio non suscepto, vtiq; amicitiam perditorum nullatenus liberarent. Ego autem si non defenderem officium inimici hominis facere viderer.*

4. *Quia timent potentiam Chrysogoni, qui emit bona Sex. Roscij, quam copiose exprimit.*

Complexio, *Quamobrem vos oro iudices, & te præsertim Fauni, vt te nobis æquum iudicem præbeas.*

Credo ego vos, *Propositio quam duplici occupatione figurauit prima indignum est Cic. vt tu iuuenis, qui nec ingenio, nec authoritate vales causam Roscij agas*, neque ætate, *hoc est, non vales ætate, ingenio, aut ctoritate. Ergo non licet surgere. Nam Cic. hanc primam causam inter omnes publice egit anno ætatis 27.* omnes enim, *Secunda occupatio. Clarissimi viri qui adsunt Roscio stant à parte Roscij, eum non defendunt. Hanc Cicero breuiter soluit, hos quidem velle defendere, sed non audent.* Ita fit vt, *Conclusio secundæ occupationis.* Quid ergo, *Hic rationes duas Cicero falsas remouet, per figuram complexionem negantem, hoc est non quod sum audacissimus omnium aut cæteris officiosior.* Quid ergo, *Prima ratio ficta.* At tanto, *Secunda causa ficta*, ne istius, *remotio causæ.*

Quæ me igitur res, *Prima ratio propositionis per comparationem, qua Cic. seipsum comparat cum aduocatis Roscij. Hanc figurauit interrogatione, quod artificium est Cic. familiare.* Quia si quis, *Prima pars comparationis.* Ergo etiamsi, *altera pars comparationis.* Deinde quod cæterorum, *Secunda ratio*

propositionis est q, hic prima pars comparationis. Ergo si quid, *Secunda pars comparationis.* Tametsi, *huic comparationi addit correctionem quærimoniæ plenam.* Accedit illa quoque, *Tertia ratio à necessitudine petentium. Aliis licet petentium preces repudiare mihi non licet.* His de causis, *Conclusio harum trium rationum, quibus sibi benevolentiam conciliauit, opinionemq, remouet. Sensus est. Propterea causam Roscij suscepi, quod mihi, quam aliis, minus periculum traheretur.* Forsitan quæratis, *Quarta ratio à persona Chrysogoni, qua ostendit cur cæteri Sex. Roscij causam defendere timuerunt. quam tribus partibus tractat 1. ostendens potentiam Chrysogoni 2. ostendens postulationem Chrysogoni plenam inuidiæ, quam tractat fictione 3. contraria postulatione Ciceronis, qua gratiam Roscio, & inuidiam aduersariis conflare contendit,* iste terror, *comminatio cum metu coniuncta,* quod adhuc vos, *hic est suspiciosa argumentatio consilij aduersariorum,* conflauit, *causa fuit huius accusatoris.* Quæ res ea est, *Hic est explicatio causæ. Sensus est. Quia interfecto Roscio. Chrysogonus emit bona eius tanquam proscripti à L. Sylla.* Sexagies, *centena millia Sestertium. Sestertium autem in neutro genere significat mille Romanis Sestertios nummorũ, id est 25. coronatos latinos, seu marcas Polonas. Sestertius autem valebat duos denarios cum semisse. Decem autem denarij efficiebant vnum coronatum. Ergo sexagies centena millia Sestertium valet centum millia coronatorum, vel secundum Budæum centum quinquaginta millia,* quem honoris, *hoc propter*

suspicionem

suspicionem vitandam posuit, duobus millibus, *quinquaginta coronatis seu aureis scutatis*, sese dicit, *Hæc suspicioſe, non emit sed dixit se emisse*; adolescens vel potentissimus, *hæc ad inuidiam dicta sunt quod Chrysogonus seruus, potestatem summam inter Romanos sit adeptus. nomen autem Chrysogoni significat, aureus fœtus, vel semen aureum.*

Secunda pars exordij.

Is à vobis iudices, *in hac postulationem Chrysogoni exponit Cicero, plenam iniquitatis, quam introducit fictione oratoria, per ironiam.* Hunc sibi, *vtitur commemoratione in eadem ironia, conciliandi odij causa in aduersarium.*

Tertia pars exordij postulatio Cic.

Si vobis æqua, *quam ab ironia incipit, postulat autem Cic. primo à Chrysogono vt pecunia fortunis q; parentis Roscij contentus sit, & sanguinem ac vitam Roscij filij ne petat.*

Secundo postulat à iudicibus omnibus, vt audacium sceleri resistant, & innocentiũ calamitatẽ leuent, etsi minima suspicio appareret parricidij, Roscius pœnã subeat, sin minus vt Roscium innocentẽ dimittant, vbi Cicero declarat fiduciam causæ, qui ex ciuitate, *gradatione dignitatem, & auctoritatem iudicum extollit.*

Tertio postulat à iudicibus vt suæ causæ faueant, tenuitatem suam excusans, grauiter conqueri, *quasi dicat cum igitur Roscium inique accusant, mihi autem ad illum defendendum multa desunt ob quatuor impedimenta. Ergo nostræ causæ fauete, hoc autem ad benevolentiam dictum est*, neque satis libere, *obserua tria officia in maleficijs* 1. *Scelera explica-*

re 2. *Quædam adhibere* 3. *Rem exaggerare*, nam commoditati, *Quatuor impedimenta adfert, ingenij defectum, ætatem, tempora, timorem*. Quapropter vos oro, *concludit postulationem ad iudices quam dilatat Aetiologia cum dicit*, fide, *pollicitatione cùm dicit*, hoc onus, *& præmonitione cùm dicit*, idque non spero.

Quarto, te quoque magnopere, *Hortatur Faunium prætorem ad seueritatem iudiciorum idq; argumentis quinq;*.

1. *Argumentum ab anteactis. Antea fuisti seuerus: Ergo nunc debes esse.*

2. *Ab expectatione hominum. Multi homines hoc à te expectant: Ergo sis seuerus.*

3. *Ab occasione, Post longum tempus, à Sylla, hæc iudicia senatui sunt commissa. Ergo ne amittas occasionem seuerè iudicandi.*

4. *A fine, Nisi seuerè iudicaueris, maxima sequetur audacia & crudelitas. Ergo iudices seuerè.*

5. *Innocens à sceleratis accusatur. Ergo tu Fauni & vos cæteri iudices causam Roscij diligentius ac seuerius iudicare debetis. Hic obseruanda est conflictio & contentio personarum, rei, & accusatoris, qua reo clementiam, & misericordiam parat, & in aduersarium iram ac seueritatem ostendit. Estq; genus dicendi splendidum, iteratione & incremento tractatum.*

Elocutio.

CRedo ego, *occupatio*, neque, *polysindeton*, Quid ego, *interrogatio cum subiectione*, tametsi non,

etsi non, *correctio*, forsitan, *occupatio per interrogationem*, Quod adhuc, *Aethiologia*, quæ res, *interrogatio per subiectionem*, Quem honoris, *præmonitio*, scrupulum, *periphrasis conscientiæ*, persistit, *allegoria*, Quod si, *comparatio per fictionem*, aut, *anaphora*, *partitio*, non ne, *interrogatio*, Ex senatu, *climax*, nam, *Aethiologia & relata, & auxesis*, Et vestra, *partitio*, non modo, *complexio negans*, Primum a Chrysogono peto, *item*, Deinde à vobis iudices, *item*, Te quoque Marce Fauni, *apostrophe. Est quoque protropi seu adhortatio*, Quod si aut causa criminis, *Epitrope*, M. Fauni, *apostrophe, antiteta, similiter desinens*, cupiditatem, *incrementum Antiteta, emphasis, partitio*, etenim, *interrogatio*, Accusant, *frequentatio seu iteratio verborum, antiteta, auxesis, similiter desinens*, trucidetur, *Auxesis*.

Exordij huius prima periodus est tetracolia, particulis elegantibus distincta incipit à dactyllo, desinit in ditrocheum, Secunda periodus est dicolos incipit à spondæo desinit in Epitritum primum. Tertia periodus est dicolos. Membratim posthac alia sunt posita.

Secunda pars orationis narratio.

HActenus *exordiũ, sequitur narratio, cui præmittit præparationem, quæ miseriam Roscij, & adversarij audaciam Reiq; pub. calamitatem exponit, attentionemq; sibi ipsi parat, dum dicit:* Atq; vt facilius intelligere possitis. *Porro ipsa narratio secundum do-*

dum doctrinam Hermogenis in tres partes diuiditur. In prænarrationem, narrationem, & post narrationem. Prænarratio continet fortunam, calamitatem, & innocentiam Sex. Roscij. Narratio antecedentia, coniuncta, & consequentia cædis patris Roscij. Post narratio aditum ad refutationem patefacit. Est autem hæc narratio, non solum probabilis & argumentis aspera, sed etiam ita exposita, vt res quasi ob oculos geri videatur.

Prima narrationis pars prænarratio, Sextus Roscius.

IN hac primo *Sex. Roscij fortunam declarat, cum eum municipem Amerinum ex nobili & clare familia ortum & amicitijs gratiaque florentem, pecunia opibusq; diuitem ostendit. Deinde cõmendat eius bene actam vitam ob innocentiam duobus argumentis, vno ab antecedentibus, altero à consequentibus. Ab antecedentibus: Quia tempore belli, patronus & defensor fuit nobilium dignitatis, & salutis. A consequentibus: Quia post victoriam, semper in vrbe versabatur. Ergo honestissime vixit*, non modo sui, *comparatione dilatat, hoc est non solum Amerinos opibus vicit, sed etiam omnes propinquas ciuitates.* Nam cum Metellis, *probat eum amicos habere, præstantissimos per partitionem.* Quas vt, *præmonitio, cur eos viros nominauerit*, ita ex suis omnibus, *pathos. A meliore fortuna Roscij deflectit ad tristiorem. Nihil enim tam est durum quam ex diuite miserum fieri.* Nam patrimo-

patrimonium, *confirmatio pathos.*

Secunda pars narrationis, quæ est ipsa narratio, erant ei veteres.

HActenus pars prima narrationis, *in qua felicitatem, calamitatem, & innocentiam demonstrauit, sequitur ipsa facti expositio quã in tres partes distinguit, in ea, quæ cædem antecesserunt, in ipsa, quæ cum ipsa cæde coniuncta fuerunt, & in ea, quæ cædem sunt consecuta.*

Antecedentia cædem seu causa cædis.

Erant ei.

CAusa cædis Roscij *erant veteres inimicitiæ cum duobus Rosciis quos describit*, quorum alterũ, *descriptio personarum*, neq; enim iudices: *Rationem adiungit declinando ad describendos aduersariis*, palmarum, *certaminum*, lanistam, *qui familias domi habet ad gladiaturam exercendam*, nam cum hic, *pro quo Cic: verba facit: vbi comparatione amplificat rationem, cum Roscium, cum aduersario confert.*

Coniuncta cædi.

Occiditur ad balneas.

HActenus causæ cædis, *& qualitatis personarum, sequitur ipsa expositio cædis breuissima, notatione triũ circumstantiarum, personæ, loci, & temporis*, spero ex hoc, *breuiter ostendit à nullo alio, quam à Rosciis interfectum esse Roscium, idq; se demonstraturum ostendit.*

Consequen-

Consequentia cædem.

Occiso Sexto Roscio.

Duodecem sunt, quæ cædem consequuntur.

1. *Nunciatio cædis Capitoni & Chrysogono: Hic observa circumstantias personæ, temporis & modi,* Cisijs *Cisium est genus vehiculi,* cruorem, *mouet affectum,* quatriduo, *quarto die Liuius quàm addit: narrat autem hoc loco quomodo ad Chrysogonum cædes facta peruenerit,* volaterras, *oppidum in Etruria,* fundos, *fundum commendat à numero & situ,* cum pater huiusce, *comparatio,* splendidus, *liberalis,* gratiosus, *valens apud multos gratia.*

2. *Secundum consequens cædem Roscii. Societas interfectorum cum Chrysogono,* ne diutius vos teneã, *vbi obserua breuitatẽ narrationis,* coitur, *initur.*

3. *Distributio bonorum Roscii,* cum iam proscriptionis, *Estq; dilatatio à causa,* defũctos, *liberatos.* Hæc bona, *annectit vtilitatem precii vt dignitatem rei amplificet,* sexagies, *centum millia coronatorum,* duobus millibus, *quinquaginta coronatis.*

4. *Ignorantia Syllæ,* hæc omnia, *quod declinatione ab ipsa narratione tractatur, ne videatur accusare Syllã, ne iudices timidiores fiant. Primũ autẽ remouet à se odiũ Syllæ, dicitq; illo nescieẽte hæc facta esse. Deinde ostendit seruorum ac libertorum maliciam,* neq; enim, *causa dilatat nescisse Syllam, à magnitudine negotiorum,* præterita sunt, *reputet, addendum propter sensum,* respirare, *accipere anhelitum ad libertatem, est hic hiperbole extenuendi causa,* aucupentur, *ca-*

tur, *captent*, despexerit, *non aspexerit*. Huc accedit, *Exponit seruorum improbitatem*, felix sit, *Plinius lib. 7. scribit vnus hominum ad hoc æui felicis sibi cognomen asseruit, ciuile nempe sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatus sit, & quibus felicitatis inductus argumentis. Quod proscribere tot millia ciuiũ, ac trucidare potuisset ô praua, inquit, interpretatio, & futuro tempori infælix. Solinus tamen scribit cap. 6. Syllam dictum potius felicem, quam fuisse.*

5. Interea T. Roscius, *occupatio bonorum Roscij, nam T. Roscius profectus Ameriã bona Roscij occupauit*, vir optimus, *ironia*, luctu perditum, *mortem patris miserè lugentem*, iusta, *exequias*, nudum, *spoliatum*, penatibus, *penates dicti sunt dij domestici, quod penes nos nati sunt, vel quod non longe absint ab hac vita, siue quod penitus insident. Ex quo etiam penetrales à poetis vocantur. Alij à penu hoc nomen deriuant. Macrobius, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus*

6. Qui in sua re *insolentia Titi Roscii interfectoris in diripiendis Roscij bonis*. multa palam, *partitione dilatat.*

7. Qui Amerinis, *Dolor ciuium Amerinorum ex tribus causis ortus: 1. Ex cæde Roscij. 2. Ex egestate filii Roscii. 3. Ex direptione illorum bonorum*, & enim, multa, *prima causa doloris*, filij autem, 2. *causa*, Bonorume mptio, 3. *causa*.

8. Itaq; decurionum decretũ, *Missi ad Syllam decem ex Amerinis legati, qui his de rebus Syllam docerent.*

9. Statim

9. Statim Chrysogonus, *deceptio legatorum à Chrysogono qui eos petijt, ne tanta scelera ad Syllam deferent*, Homines antiqui, *Hic simplicitatem legatorum exponit, vt deceptorem in odium adducat*, alligat, *mittit*, Exempturum, *deleturum*, ad promitteret, *valde promitteret.*

10. Ac primo, *insidiæ paratæ ab aduersariis filio Roscio.*

11. Quod is simul, *fuga Roscii Romam ad Caciliam matronam honestissimam*, in qua muliere, *commendatio Cæciliæ à genere & probitate*, Ea Sex. Roscium. *Descriptio calamitatis Roscii.*

12. Nam postquam illi, *Consilium aduersariorum, de condemnando filio Roscio, quod causis quatuor amplificat. Prima causa, tempus ipsum. 2. iudicia intermissa propter potentiam Syllæ. 3. Inopia patronorum. 4. Metus oratorum, quod contra Chrysogonum nemo ausus esset dicere*, veterem, *callidum veteratorem, malicia exercitatum.* Hoc consilio, *Conclusio ipsius narrationis, in qua ostendit cur in iudicium vocatus sit Roscius ab interfectoribus.*

Post narratio,

Quid primum querar.

IN hac tria facit: 1. *Narrationis capita repetit paullo vehementius.* 2. *Fidem suam pollicetur Roscio.* 3. *Facinus Rosciorum cum scelere C. Fimbriæ confert*

Primum membrum post narrationis.

IN *qua est repetitio ipsa, quam à dubitatione oratorii incipit.*

incipit. Deorum, *tres personas enumerat, à quibus auxilium petit*, fidem, *auxilium*, Pater, *repetitio cum indignatione ad inflamandos iudices*, infesta, *Actiuè & passiuè, hoc verbum vsurpari Gelli. lib. 9. scribit*, Domus obsessa, *obserua amplificationem per conglobationem*, Appetita, *valde & diligenter petita.* Quid ab ijs, *Deliberationem interposuit orator, ad augendum crimen aduersariorum*, ferunt, *offerunt*, ceruices, *Antiqui, vt Quintil. ait: Ceruices dicebant primusq; Hortensius ceruicem dixit*, Roscio, *magno*, in culeum, *nota parricidarum pœnam fuisse, quod sanguineis virgis verberati in culeo, cum cane, simia, & gallo, & serpente inclusi mari iniiciebantur.*

Secundum membrum post narrationis, *Patronos huic defuturos.*

Pollicetur *suam operam Roscio, sensus est. Ego Roscium defendã, quamuis sit ab aliis relictus. Primũ autem amplificat à cogitationibus aduersariorum.* Et forsitan, *repetit pollicitationem. Quamuis adolescens tuendam causam suscepi quoniam tamen eam semel suscepi. Ergo & libere defendam.* nulla res, *comuni sententia promissum dilatat. Quia bono viro, nulla res maiorem vim afferre debet, quam fides.* Et enim quis tam, *iterum repetit breuissime capita narrationis ad exaggerandum tantum scelus aduersariorum. Hoc autem facit per prosopopœiam, vbi sermonem Roscii tribuit. Tractat autem fictionem duabus partibus,*

Aditu

Aditu, & prosopopœia per enumerationem, Et ēnim *aditus*, Patrem meum, *prosopopœia*.

Tertium membrum post narrationis.
Hominem longe audaciſsimum.

Comparat crimen aduersariorum cum crimine Fimbriæ. Sunt autem in hac comparatione quatuor personæ Q. Sceuolæ. Sex. Roſcii, C. Fimbriæ, & duorum Roſciorum.

Tractatio huius exemplis, quinq; partes habet.

1. *Reprehenſionem fimbriæ, & Q. Sceuolæ laudem.*
2. *Expoſitionem exempli.*
3. *Senſum bonorum omnium de illo exemplo.*
4. *Aſſumptionem præſentis facti.*
5. *Sententiam oratoris.*

Hominem, *prima pars reprehenſio fimbriæ*; Q. Sceuola, *Laus Sceuolæ*, diem Sceuolæ dixit, *Secunda pars exempli expoſitio, in ius eum vocauit*, eum poſſe viuere, *vulnus mortiferum non eſſe*, non totum telum, *non ſatis alte vulneratus eſſet*. Quo populus, *tertia pars Epikriſis*, Eſtne hoc, *Quarta pars aſſumptio, quam per dialogiſmum tractat*, Hoc quia fit. *Quinta pars ſententia oratoris, hoc eſt, Hoc facinus ſimile illi primo*, nam per Deos, *Concluſio narrationis, ſenſus eſt: Etiam qualis, qualis orator, hanc cauſam tueri poteſt.*

Elocutio.

Elocutio.

QVid primum, *dubitatio*, Deorum, *partitio*, pater, *conglobatio*, obsessa adempta, *gradatio*, nulla, *gnomi*, iugulastis, *incrementum*, Hominem, *exemplum*, de cuius laude, *præteritio*, Estne, *conglobatio*, accusatis, *dialogismus*, nam, *exclamatio*.

Tertia pars orationis partitio, Totam causam iudices.

IN hac primo *transitione vtitur ad partitionem*, *in qua attentionem parat orator. Secundo partitionem ipsam statuit*, *in qua proponit quid in reliquo orationis cursu sit dicturus. sit igitur sensus. Nego Sex. Roscium parentem interfecisse*, *sed potius à Capitone & Magno Rosciis interfectum esse.* Estq; *hæc propositio in coniecturali statu*, Quid igitur est, *duabus partibus reiectis*, *vnam tantum se pollicetur refutaturum*, *ipsam nempe criminationem*, illa res, *confictio criminis*, Ergo crimen, *Ex partitione colligit propositionem*, occidisse patrem. *Ante quam refutationem aggreditur primum extollit crimen dicēs*, *Impossibile est à filio parentem occidi potuisse. Mox enim ostendet accusatorem*, *non potuisse tantum facinus in Roscio probare*, Scelestum, *Amplificatio propositionis.* Etenim si id, *Comparatione amplificat facinus Roscij à minori. Si illi grauiter puniuntur*, *qui vultu pietatem violauerint*, *multo grauius illi*, *qui parentem interfecerunt.*

Quarta pars orationis Refutatio.
In hoc tanto.

HÆC *pars ex locis coniecturalis status est confecta, quæ diuiditur in tres partes, in prima parte refutat argumenta aduersariorum, ostendens Roscium filium non interfeciſſe parentem Roscij, quod facit duobus argumentis, ex voluntate & facultate. In Secunda parte, ostendit & probat Roscios, Sextum Roſcium interfeciſſe, ex iſdem locis voluntatis & facultatis. In tertia parte Chryſogonum reprehendit, oſtendens Sex: Roſcij bona, contra legem, proſcripta, ac vendita eſſe.*

Prima pars refutationis.

IN *hac primo probat filium parentem noluiſſe interficere. deinde oſtendit non potuiſſe occidere.*

Propoſitio. Filius noluit interficere patrem.

Argumentum tractatur per remotionem argumentorum quibus parricidium erat ab aduerſario cõfirmandũ, nec tamen eſt confirmatum. Conſtat autem partibus quatuor, propoſitione, aſſumptione, Ratione aſſumptionis, & complexione.

Propoſitio, Hoc crimen parricidij prabandum fuit abs te Eruci.

Aſſumptio, Sed non eſt probatum.

Ratio aſſumptionis. Roſcius nec audax, nec vitijs deditus, nec bonorum dilapidator fuit.

Complexio. Ergo inique eſt accuſatus, in hoc, *propoſitio Syllogiſmi per enumerationem,* non ne, *enumeratio argumentorum ab aduerſario prætermiſſorũ, quibus*

quibus coniecturalis status explicatur, vbi ostendit Cicero, nullam causam fuisse, cur parentem filius interfecerit, Quorum tu mihi, *Assumptio per remotionem illorum, quæ in propositione enumeravit.* Adolescentulus, *Ratio assumptionis qua probat Roscium non potuisse patrem occidere,* At hoc, *remotio est,* De luxuria, *Hic est remotio ex testimonio aduersarij. Obiectio,* 1. *Aduersarij. Non placebat patri. Ergo patrem interfecit. Hanc soluit Cic. dupliciter. primo per syllogismum quadripartitum.*

Propositio, Si non placuisset, esset aliqua causa.

Ratio propositionis per comparationem.

Sed patri non displicuit.

Ergo nec patrem filius interfecit.

Deinde per simplicem syllogismum.

Si filiũ sine causa odisset, profectò pater amens esset.

Sed pater constantissimus fuit. Ergo nec eum odio habuit.

Patri, *Obiectio,* patri non placebat, *Solutio,* nam, *ratio propositionis per comparationem,* Rursus, *Assumptio,* pater igitur, *secunda solutio est, propositio,* At is, *assumptio,* Ergo, *complexio.*

Elocutio.

IN hoc, *interrogatio, auxesis,* Tam, *anaphora. & polysindeton, partitio.* Corruptus, *irronia,* æris, *partitio,* De luxuria, *remotio & partitio,* quæ vita, *gnomi,* quæ res, *obiectio,* furorem, *catachrisis hoc est parricidium,* patri non, *sermocionatio,* necesse, *Aethiologia,* nam vt, *comparatio,* amens constantissimus, *Antiteta,* Ergo, *enumeratio.*

2. *Obiectio, qua probat Erutius filium Roscium odio parenti fuisse hoc argumento. In prædia rustica filium relegauit. Ergo illi odio fuit.*

Hanc obiectionem copiosè refutat quatuor solutionibus. Prima per inuersionem. 2. Ab exemplo. 3. A ficto exemplo. 4. Ab exemplis per inductionem. Prima solutio per inuersionem. Si odisset filium, Non illi tradidisset tam sumptuosa prædia. Hic obseruabis refutationis quadruplicem tractationem. Primo enim propositionem ponit, Secundo obiectionem aduersarij, Tertio contrarium propositionis, Quarto ipsam refutationem, nescio inquit, *Prima pars refutationis. Propositio est in ista dictione*, inquit, *Tertia pars refutationis est cùm dicit*, quod Erutio, *contraria propositioni quam sæpius ex circumstantia tractat, vel aduersarium reprehendendo, vel eius argumenta deridendo, quod hic facit. Quemadmodum Erutius non potuit sua figmenta probare, sic ego vix refutare possũ.* Quid ais Eruci, *Quarta pars refutatio ipsa, per inuersionem. Si odisset filium, non illi tot prædia, tam pulchra, tam fructuosa tradidisset.*

Secunda solutio ab exemplo. Patres familias.

Idem faciunt nobiles viri.

Ergo & Roscius non odij causa filium amandauit.

At amandarat.

Complexio duorum argumentorũ. { *Ergo cum eum colendis prædiis reliquisset, constat non odij causa relegasse.*

Quam comparationem complexione tractat.

Vides Eruci, *Hic aduersarij argumentationem*

reprehen-

reprehendit, Quod consuetudine, *Hactenus conclusio. Sequitur contraria positio. Sensus est. Quod fecit pater exemplo aliorum, beneuolentia & amoris causa, illud profecto non odio fecit. Estq; repetitio duorum argumentorum Antitesi ornata*, neque hæc tu, Hanc clausulam addit conclusioni, *vt ostendat aduersarium inopia argumentorum laborasse.*

Tertia solutio obiectionis, per argumentum fictum Cecilij poëtæ Comici, At enim cum duos. *Sensus est.*

Senex Cecilianus filium suum Paticum non odij causa sed amoris rus relegauit:

Ergo & Roscius idem fecit, Quam solutionem partibus quatuor tractat. 1. Repetitione obiectionis. 2. Antipophora vtitur irrisione aduersarij. 3. Proponit exemplum. 4. Cur exemplo ficto sit vsus rationes adfert. At enim, *Prima pars solutionis obiectio.* Quæso, *Secunda pars solutionis schema aduersarij, quam petitione & schemate tractat*, patre certo, *infamias matris Erutij significat.* At natura, *mitigat schema laude humanitatis*, Et quid tandem, *tertia pars solutionis nempe propositio exempli, quo probat, signum potius esse amoris, quam odij*, Quasi vero mihi, *Quarta pars solutionis, qua recenset causas, cur exemplo vsus sit fabuloso. Sensus est. Habeo multa exempla, sed ea adferre non placet propter causas quatuor.* 1. Verum homines, *Quia odiosum est homines notos sumere Hanc ab obiectione aduersarij incipit.* 2. Et nemo vobis, *Quia hunc Eutychum ex fabulis optime nostis.* 3. *Idem valet hunc adolescentem ex fabula sumere, si-*

cui aliquem ex oppido vobis notum. 4. Etenim hæc, *Quia poëtarum fictiones vitæ imaginem nobis exprimunt. Estq; hic fabulæ definitio.*

Quarta solutio obiectionis, per duo exempla vera, quibus probat non odii esse signum, præficere filium agris colendis, sed beneuolentiæ. Age nunc.

Primum exemplum, quod tractat inductione per antecedens & conclusionem.

Vmbri & omnes vicini, aliaq; municipia, liberos rursi præficiunt.

Ergo & Roscius non odio præfecit filium.

At non modo, *commoratur in vna eademq; re demonstranda diutius, & testimonium profert, desumptum, ex studio multorum adolescentum. Totus autem hic locus spectat, ad laudem vitæ rusticæ,* Quid censes *conclusio primi exempli. Ergo Roscius rei rusticæ peritissimus non odio filium suum rus relegauit,* Verũ vt opinor, *Hic est breuis digressio, qua Chrysogoni improbitatẽ perstringit: sensus est. Quoniam prædia Chrysogonus Roscio eripuit, liceat & artem illi agriculturæ eripere, modo vitam ne eripiat. Hic obserua oratores in collocandis siue argumentis, siue exemplis solere quasdam res extraneas orationi inserere.*

Secundum exemplum, Næ tu Eruti· *Non tantum Roscium reprehendis, sed etiam maiores nostros qui hisce studiis tenebantur. Ergo nullum est signum odii parentis in filium Hoc exemplum est per fictionem, tractaturq; quatuor partibus. 1. Propositione exempli. 2. Expositione. 3. Sententia bonorum. 4. Conclusione.* Næ tu, *Propositio exempli,* Etenim

qui,

qui, *Expositio exempli.* At hercule, *Tertia pars sententia bonorum de agrorum tutoribus, quam Aethiologia dilatat.* Neq; ego hæc eo, *Conclusio exempli per occupationem & comparationem, sensus est. Si igitur maiores nostri agris colendis occupabantur. Igitur nec Roscius odii causa rus fuit relegatus. Estq; repetitio obiectionum,* odium igitur, *Conclusio tertiæ obiectionis per ironiam,*

Figuræ.

NEscio *dialogismus,* ille, *comparatio,* quid ais, *interrogatio.* Amandârat, *Ratiocinatio,* quod si *conclusio,* vides, *apostrophi,* contra *anaphora, partitio,* At enim, *occupatio.* Quæso, *apostrophe,* non enim, *Aethiologia,* quasi, *subiectio* verum, *remotio,* etenim *gnomi, Definitio,* Age, *exuscitatio,* quod tametsi, *occupatio,* Manus, *pleonasmus,* suos agros *Aethiologia.*

Tertia obiectio aduersarii, qua probat, parentem à filio interfectum esse hoc modo. iam vero inquit.

Pater filium exhæredare voluit.

Ergo signum est, filium, patrem interfecisse.

Quam Cic. per syllogismum soluit.

Propositio. Tuum erat Eruti omnia vitia Roscii explicare, propter quæ eum pater exhæredare cõstituit.

Assumptio: Sed neq; vitia Roscii, nec parentis voluntatem indicare potes.

Ratio assumptionis. Quia causa nulla interceßit.

Complexio. Ergo falsum hoc est.

Hanc autem solutionem digreßione ampla & copiosa dilatat.

Nam istum, *obiectio solutionis*, audio nunc, *Primo leuitatis arguit aduersarium, & quandam breuem occupationem breuiter soluit.*

Conuiuia cum patre non inibat: Ergo patri odio fuit.

RESpondet Cic: *Quia in vrbe nunquam, & ruri semper vixit. vt igitur hæc obiectio inepta, ita & hæc de exhæredando filio*, Conuiuia, *obiectio inserta*, Quippe qui, *solutio* illud quod cæpimus, *Repetit propositionem, vt ostendat magnum esse illud, quod dixit accusator, sed tamen nullis rationibus fixum*, Exhæredare, *Repetit obiectionem.* Mitto quærere *per præteritionem respondet obiectioni*, tametsi te, *propositio solutionis*, vt naturam ipsam, *Hic est latum argumentum, quo ostendit noluisse patrem filium exhæredare à naturali parentum amore*, verum concedo, *Assumptio sed nullum tale vitium adferre potuisti hanc figurauit concessione*, finge aliquid, *Hic eum in odium adducit*, exhæredare filium, *Assumptionem probat. Nulla causa fuit. Ergo noluit eum exhæredare.* Nemo nostrum est Eruti. *Hactenus postulauit argumenta, quibus ostendendum erat ab accusatore patrem voluisse exhæredare filium. Nunc indicat quæ ratio Erutium ad accusandum impulerit. nempe cupiditas lucri. Est autem hic locus ad odium aduersarii comparatus*, Quid ergo est, *cautio oratoria, qua monet accusatorem quid sibi faciendum fuisset.* Accusatores multos. *Digressio in qua officia & vtilitatem accusatoris ostendit, vt calumniam Eruti i*

accusa toris

accusatoris indicaret. Hanc autem tractat propositione, ratione, rationis confirmatione & duplici similitudine, Accusatores, *propositio digressionis,* vt metu, *Ratio propositionis,* verum tamen, *correctio rationis* illudamur, *si nullis rationibus crimen probare possint,* Innocens, *rationis confirmatio sumpta à fine.* Quare facile. *concludit propositionem, hoc est, Tollerandi sunt accusatores, qui suspicione adducti non calumnia accusant:* Anseribus cibaria. *Duplici similitudine accusatoris officium illustrat. Prima ab anseribus in Capitolio asseruatis sumpta, altera à canibus, qui olim alebantur Romæ, custodiendi, & significandi causa nocturnos fures, ita etiam accusatores alendos esse in Rep. ad accusandos, & indicandos homines sceleratos: Tractat autem similitudinem vtramq; tribus partibus, Propositione, Assumptione, & Expositione Assumptionis,* Anseribus,. *Propositio prima similitudinis. Hic autem Cic. alluſit in historiam bello Gallico. Cùm enim Galli Capitolium noctu ascendissent, dormitantibus vigilibus, anseres, qui prope Capitolium in templo Iunonis alebantur, suo strepitu, Romanos homines exuscitauerunt, ita vt seruatum fuerit Capitolium. & depulsi Galli. Hinc cibaria publica locabantur anseribus, Lege Plutarchum in vita Camilli,* Quod si luce. *Altera similitudo, qua comparat accusatores canibus, qui nulla suspicione adducti non tantum latrant, sed etiam mordent, ita & accusatores non tantum accusant innocentes, sed etiam eos condemnare volunt,* Simillima. *Secũda pars similitudinis assumptio,* Alij vestrum. *Hic primam similitudinem*

confert, Alij canes. *Secunda*, *Collatio*. Cibaria vobis præberi. *Tria genera accusatorum ponit, vnum eorum qui accusant innocentes: Alterum qui innocentes quidem accusant, verum eiusmodi, in quibus est quædam suspicio. Tertium genus eorum, qui non solum omni culpa, sed etiam omni suspicione carentes, accusant. Primum genus præmio dignum, alterum venia, tertium pœna. Ex hoc genere tertio, Erutium esse dicit.* Cibaria. *Primum genus accusatorum.* Deinde si, *Secundum genus.* Sin autem sic. *Tertium quo territat aduersarium, Sensus. Non crura vobis vt canibus suffringentur, sed pœna calumniæ mulctabimini*, literam illam, *Romani tres habebant literas quibus in iudiciis vtebantur A c L n singuli rogati sententias, vnam aliquam literarum in vrnam proiiciebant, quod cum erat factum literæ numerabantur, & quarum numerus erat maior, iuxta eas pronunciabat iudex sententiam. Significabat autem A litera absolutionem, qua reus absoluebatur. Sic litera C, nota erat condemnationis. Tertia autem litera Ln, significabat idem, ac si diceret. Non liquet, hoc est non dum constat de facto & hac erat dilationis.* Quid mihi ad defendendum. *Absoluta digressione regreditur ad institutum repetitq; obiectionem aduersarii eamq; iterum eludit, ostendens non suspicione aliqua accusatum esse Roscium parricidii ab aduersariis, sed partim cupiditate lucri, partim quod neminem patronum Roscio futurũ sperabant. Hæc autem omnia aduersariis odium pariunt.* Quid mihi, *propositio orationis Multa sunt inquit, quibus Roscius defendi potest*, cùm

hoc

hoc modo, *prima causa cur accusauerit Erutius Roscium, nempe cupiditas quæstus, quam dialogismo figurauit*, vnum illud spectaui, *Secunda causa, quam tractat approbatione, ratione, & comparatione. Ratio. quia, si sciret defensorem futurum Roscio, ne verbum feciſſet Erutius. Approbatio: Quia in subſeliis neminem ſuſpicabatur adſuiſſe. Comparatio: Quia negligentius accuſauit. Ego autem ſtudioſe Roſcium defendi*, vnum illud, *ſecunda cauſa*, non me hercule, *Ratio per comparationem*, opere pretium, *Hic negligentiam Erutij reprehendit vt oſtendat accuſationem illius, Chryſogoni potentia nixam eſſe*, credo cum, *Approbatio quam hypotipoſi illuſtrat*, poſtea quam, *comparatio cuius hic eſt prima pars negligentia Erutij, quam eadem hypotipoſi illuſtrat, cum geſtus Erutij exponit*, cum in mentem, *oratores enim æquo in loco cauſas agebant & interdum in illo ſpatio, quod inter ſubſellia aduocatorum dabatur in ambulabant*, ſurrexi ego, *Altera pars comparationis in qua ſuam diligentiam in defenſione Roſcij oſtendit per eandē hypotipoſim*, Eſſe aliquem, *Hic perſtringit omnia aduerſariorum ſcelera*, Quæ quoniam te, *Concluſio tertiæ obiectionis, Ergo accuſationis tuæ iniquæ, ſpes te feſellit quia & defenſorem Roſcius habet, & tua improbitas eſt deiecta.*

Elocutio.

NVnquid, *dialogiſmus*, Nam illa, *Aethiologia*, verum, *conceſſio*, illud quod, *reiectio*, mitto, *præteritio*, vt naturam, *ſynonimia*, cogitabat, *criminatio*,

minatio, Accusatores, *digressio & gnomi*, vtilius, *sententia*, canes, *comparatio*, sin autem, *commination*, Quid dicam, *allusio*, non me hercule, *comparatio per fictionem*, credo eum, *hypotipposis ironica*, Quod in minimis, *comparatio*.

Quarta aduersarij obiectio, de parricidio causa dicitur.

Parricida est Roscius.

Ergo capite plectendus.

Aduersarius ergo in iudicio Roscium, absq; vlla causa parricidam appellauit.

Cicero hanc obiectionem refutat primo per ergasiam hoc est per rationem. 2. Per sententiam à natura. 3. Per exemplum vnum fictum, alterum fabulosum, postremo per magnitudinem supplicij per comparationem. De parricidio, *obiectio aduersarij, hoc est, parricida est Roscius*, Ratio ab accusatore, *Hic est refutatio per rationem, quam syllogismo à minori, ad maius, tractat.*

Propositio.

IN *minimis noxis, causa maleficij, vel saltim coniectura ab accusatore reddenda est, si velit sibi fidem adhiberi. Assumptio, sed in hac causa maxima, Erutius nullam attulit.*

Ergo fides illi non est adhibenda.

Primum autem assumptionem ponit, secundo loco propositionem, tertio conclusionem.

Ratio ab accusatore, *Hic est assumptio syllogismi*, Quod in minimis, *propositio syllogismi*, in quo scelere, *Amplificat maiorem propositionem, e-*

numerans

numerans Circumstantias, quibus parricidium erat comprobandum: Quæ nisi multa, *Conclusio syllogismi*, Quod in minimis, *Propositio syllogismi*, In quo scelere, *amplificat maiorem propositionem, enumerans Circumstantias quibus parricidium erat comprobandum.* Quæ nisi multa, *Conclusio syllogismi*, Magna est enim vis, *Hic est sententia à natura. Sensus est: Non patitur natura, vt filius patrem interficiat. Estq; hic oratio grauis vt de oratore. 3. Testatur, in qua crimen parricidij auget. Obseruandum est autem conuersum genus dicendi. Quomodo hæc quatuor verba dilatet.* NON FACILE HOMO PATREM OCCIDIT. *Hoc modo. Multum valet communio sanguinis, reclamitat istiusmodi suscipionibus ipsa natura. Portentum atq; monstrum certissimum, hoc est. Non facile. Sequitur. Esse aliqua humana specie & figura. Postremum est, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt propter quos, hanc suauissimã lucem aspexerit, eos indignissime luce priuaret,* non ita multis cuius aiunt, *Sequuntur duo exempla primum verum, secundum fabulosum. Primo exemplo probat. Non credi oportere aliquem esse parricidam, in quo nulla subsit parricidij aut causæ, aut suspicio. Cuius sensus est G. Lælius quidem cum duobus adolescentulis filiis pernoctauit in eodem conclaui, mane vero repertus est truncatus. De parricidio accusantur duo filij, de quo quia causa erat incerta, iudicio fuerunt absoluti. Tractat autem hoc exemplum tribus partibus primo laude: Deinde rei gestæ expositione, Tertio sensu oratoris,* G. Lælium, *Laus G. Lælij qui erat ex Taratina opi-*

pido

pido Volscorum & est prima pars exempli. Cum cæ-
natus. 2. *Pars expositio rei gestæ,* Quid magis po-
terat, *Expolitio expositonis, quæ interseritur fidei fa-
ciendæ causa. Hoc est suspicio erat filios G. Lælium in-
terfecisse.* Nemo enim putabat, *Tertia pars exem-
pli: sensus oratoris. Quod inquit scelera aliquo indicio
prodi solent,* videtis ne quos. *Secundum exemplum
fabulosum in quo introducit Oresten, qui & si matrem
suam Clitemnestram occiderat iussu Apollinis propter
iustissimas causas, tamen fingunt poetæ postea Oresten
furijs agitatum fuisse. Quo exemplo vult ostendere o-
rator magnitudinem sceleris parricidij. Hoc autem
tractat Expositione, sententia sua, interpretatione e-
xempli, & amplificatione,* videtis ne, *expositio exem-
pli,* quos nobis poëtæ, *Orestem & Alcmeonem, qui
matres suas interfecerunt,* sic se res habet, *Secun-
da pars exempli sententia oratoris qui parricidas tran
quillo animo esse non posse ostendit,* Nolite enim pu-
tare, *interpretatio fabulosi exempli, hoc est furiæ quæ
vexant sceleratos, nihil aliud sunt, quam ipsa consci-
entia animi,* Hæ sunt impijs, *Amplificatio sceleris
parricidij,* Hæc magnitudo, *Hic est enumeratio cau-
sarum, & circumstantiarum, scelus parricidii ante-
cedentium. Sensus est.*

*Parricidium non est credibile nisi in eo, in quo ali
qua tanti sceleris argumenta appareant.*

Sed in Roscio nulla apparent.

Ergo non est parricida.

*Propositionem tantum ponit, in qua assumptio in-
telligitur,* vt nisi, *enumerat causas,* Accedat huc,

Recensēt

Recenset alias causas cum circumstantiis, Quare hoc *Conclusio per comparationem*, Itaq; cum multis, *Alia amplificatio, qua rursus exaggerat magnitudinem parricidii, quæ hoc syllogismo continetur.*

Propositio. Cuicunq; sceleri grauissima est constituta pœna, illud est atrocissimum.

Assumptio. Sed ab Athenienſibus & Romanis grauissima est parricidi pœna constituta. Ergo *parricidium est scelus atrocissimum.*

Propositionem nude ponit. Assumptionem exemplo per comparationem & exaggerationem tractat. Quo loco *obseruandum est graue & grande genus orationis, quod sententiis, verbis, exornationibus, membris, collocatione, circumductionibus clausulis, est magnum, ornatum, & luminosum*, itaq; *propositio syllogismi*, Qua in re *exemplum, quod tractat tribus partibus*, Propositione, *laude, expositione sententiæ oratoris.* Qua in re, *propositio syllogismi*, prudentissima ciuitas, *secunda pars, laus*, Eius porro, *Expositio exempli*, sapienter, *sententia oratoris.* Quãto maiores nostri, *secunda pars exempli nempe laus Romanorum, quorum sapientiam anteponit prudentiæ Athenienſium*, ô singularem, *Tertia pars exempli exaggeratio, seu amplificatio, qua pœnam à Romanis constitutam in parricidas extollit. Hanc tractat quinq; partibus.* 1. *Exclamatione.* 2. *Epicrisi* 3. *causis.* 4. *Partitione.* 5. *Conuersione orationis ad hominem parricidam*, Cælum, *prima pars exclamatio*, vt qui eum. *secunda pars Epicrisis*, eum necasset, *sumgenus dicendi id est patrem*, noluerunt. *Tertia*

pars,

pars, id est causæ, propter quas ex natura tollebantur parricidæ. Estq; hic prima causa. Ne bestiæ fierent sæuiores, contagione ista, corpus, *cadauer,* non sic *secunda causa.* Deniq; nihil, *Tertia causa.* Et enim quid, *Quarta pars partitio cuius sensus est. Parricidis, res omnibus mortalibus communes, ereptæ sunt* Ita viuunt. *Quinta pars conuersio orationis, sensus est. Istis omnibus parricidæ sunt priuati.* Tanti maleficij *Conclusio primæ partis refutationis, quam refutauit ex primo loco coniecturæ, non potuisse Roscium, tam atrox facinus commisisse, cuius nullam causam aduersarius attulit. Estq; hic obiurgatio aduersarii.* Si hunc apud, *Amplificat audaciam Erutii, per syllogismum à minori*

Si apud ipsos inimicos Roscii, Roscium accusares, vtiq; tanti sceleris, causam reddere deberes.

Sed apud sapientissimos iudices accusas. Ergo, Si hunc. *propositio syllogismi,* vtrum quid, *Assumptio per diuisionem.*

Elocutio.

DE parricidio, *obiectio,* in quo scelere, *occupatio,* Auditur, creditur, *gradatio, partitio,* Audacia, *correctio,* vbi, *incisum,* partus, *auxesis,* Magis, *epiphonema,* propterea, *Aethiologia,* videtis, *exuscitatio, exemplum,* hic se, *Epiphonema,* Magna, *sententia,* Agitari, *synonimia,* Hæ sunt, *exclamatio,* nisi, *partitio, Anaphora,* itaque, *comparatio,* maiores, *Epiphonema,* vt quos, *Aethiologia,* solem aquam, *partitio, incisum,* si hunc, *occupatio,* vtrũ, *interrogatio cum subiectione:*

Secuudum

Secundum membrum primæ partis refutationis. Agitur de parricidio.

HActenus primum membrum primæ partis refutationis, in qua ostendit filium noluisse parentem tam impiè necare. Nunc sequitur alterum membrum, nempe facultas, in qua quærit, vel refutat potius Cicero. Num potuerit parentem filius necare? quod facit duobus argumentis.

Primum autem transitione vtitur, quam conuersione, & confidentia tractat. Sensus est. Decedam tibi de meo iure, fretus innocentia. Esto causam, *propositio conuersionis,* de meo iure decedam, *hoc est, do tibi dicendi ac interrogandi facultatem,* & sic tecum agam, *confidentia.*

Argumentum primum, quomodo occidit, *quo circumstantiam refutat per remotionem hoc modo*

Propositio. Si filius patrem interfecerit, aut ipse sua manu interfecit, aut alijs interficiendũ dederit.

Manu sua nõ interfecit: quia Romæ interea nõ fuit.

Neq; alijs interficiendum dedit. Si enim dedisset aut liberis, aut seruis. Si liberis, aut Amerinis, aut Romanis dedisset.

Non Amerinis: quia non nominantur. Non Romanis, quia illos non nouit. non seruis: quia postulantur à nobis ad quæstiones, à vobis non sunt delati.

Complexio. Non igitur à filio interfectus est.

Estq; hic locus admodum subtiliter tractatus.

Ipse percussit, *Propositio argumentationis,* vbi eos conuenit, *Hic obserua circumstantiarum enume-*

rationem, nonne hic, *Complexio argumentationis*.

Argumentum secundum, & simul tibi in mentem, *quo probat Roscium non potuisse patrem interficere, à genere vitæ, per syllogismum quinq; partitū.*

Propositio, *In Hominem rusticum, non potest cadere suspicio parricidij.*

Expolitio, *Quia sicut non in vno agro fruges omnes reperiuntur, ita non vbiq; facinus omne reperitur.*

Comparatio, *In ciuitate vbi vitiorum plena omnia hoc scelus facilius inuenitur, quam ruri, vbi summa est parsimonia.*

Assumptio, *Sed Roscius tua sententia, est rusticus;*

Ergo non potuit patrem interficere.

Primum autem Assumptionem ponit. Secundo loco propositionem. 3. Simile. 4. Comparationem. 5. Complexionem.

Et simul, *Assumptio*, Qua in re, *Propositio syllogismi*, vt non omnem, *Simile*, in vrbe luxuries, *Comparatio Vrbanæ & Rusticæ vitæ quam sorite tractat hoc modo. Vita Vrbana creat luxuriam, luxuria auariciam, auaricia audaciam, audacia omnia scelera & parricidia: Rustica autem non*, illud quæro, *Conclusio*, multa sunt, *Commoratio in exaggerando eodem argumento, ostendens nec per liberos neq; per seruos patrem à filio potuisse necari. Primum autem probat. Non per liberos, tali syllogismo.*

Si in hoc crimine suspicio vlla reperiretur, Concederem Roscium à filio esse interemptum.

Sed

Sed nulla ineſt ſuſpicio.

Ergo non eſt interemptus.

Aſſumptionem probat, quia tum Roſcius Amerinæ fuit, nec alijs literas miſit, nec precio, nec promiſſis alios ſollicitauit, Multa ſunt, *Propoſitio,* Romæ Sex. *Prætermiſſa ſuſpicione probationem ponit,* prętio, ſpe, *obſerua quo homines ad maleficia inducũtur,* & tamen, *Concluſio argumenti.*

Roſcius non occidit patrem per ſeruos, reliquum eſt vt per ſeruos.

Hoc probat tali argumento.

In alijs cauſis, ſeruorum quæſtiones, reo ſolent eſſe adiumento.

Sed in hac cauſa Roſcij, ſeruì ad quæſtiones prohibentur.

Ergo per ſeruos, non eſt interemptus pater.

O dij immortales, *Propoſitio,* id Sex. *Aſſumptio,* Te nunc appello, *Probatio aſſumptionis,* meminiſtis ne, *alia probatio ab aduerſariorum teſtimonio,* Dubitate, *Hic eſt recriminatio in aduerſarios per hunc ſyllogiſmum.*

Ille non interfecit patrem, qui in inſidiis & egeſtate propter patrem verſatur, & cui quærendi poteſtas non permittitur.

Roſcius eſt talis.

Ergo.

Aſſumptionem tantum ponit per contraria, cum probatione, à quo ſit, *Aſſumptio,* omnia iudices, *Probatio aßumptionis,* veniam neque ita, *Hanc criminis translationem reijcit in proximum locum,* Nunc

Eruti, *Conuertit orationem ad Erutium, & concludit per repetitionem argumentum hucusque tractatum, Non potuisse scilicet patrem à filio necari, nec per se, aut per liberos, aut per seruos,* ego contra, *ex abundanti,* Restare tibi, *Repetit nec seruos interfecisse, idque allegoricè, vbi per scopulum intelligit seruos, per portum, innocentiam.*

Obiectio aduersariorum, Quid est ergo, *Sex: Roscius eo tempore interfectus est quo impunè interficere licuit.*

Ergo eum interfecit.

Hanc refutat Cic. tali syllogismo, per recriminationem.

Ab ijs est occisus qui eo tempore in sanguine versabantur.

Sed aduersarij sunt tales: Roscius autem rure fuit.

Ergo ab ijs est interemptus.

Assumptionem circumstantijs dilatat, & probat ratione prætermissa, Quid est ergo, *Refutationis propositio,* eiusmodi tempus, *Antecedens,* interim mihi, *Antequam soluit, reprehendit Erutiũ, eiusq; inertiam in accusando deridet, qui simul, & filium Roscium, & Chrysogonum cum Roscijs accusaret.* Quid ais, *Hic est refutationis assumptio interrogatione & circumstantijs figurata,* vereor ne aut, *præcidit criminis solutionem, & concludit primam partem refutationis, qua ostendit, neq; voluisse, neque potuisse filium, interficere parentem,* Si quid est, *Reiectione pollicetur se alia soluturum.*

Elocu-

Elocutio.

ESto, *Concessio*, Tametsi, *Occupatio*, in rusticis, *Ergasia*, Luxuries, *Sorites*, quem ad quē, *Articulus*, *Remotio*, ô dij, *Epiphonema*, Te nunc appello, *Apostrophi*, meministi, *Epiphonema*, dubitate, *Concessio*, omnia, *Epiphonema*, veniam, *Reiectio*, in portum, *Allegoria*, vereor, *Præcisio*, si quid, *Reiectio*.

Secunda Pars refutationis. Recriminatio, venio nunc eo.

PRobat *Roscios aduersarios Sextum Roscium interfeciſſe, idq; septem argumentis. 1. Ex voluntate. 2. Ex facultate. 3. Ex consequentibus. 4. Ex falsitate testimoniorum. 5. Ex occupatione bonorum. 6. Ex legatorum perfidia. 7. Ex recusatione seruorum ad tormenta & quæstiones*, venio nunc, *Transitione vtitur, in qua duo facit, Primum se nolle aliquem accusare confitetur. Deinde proponit, quid in hac secunda parte refutationis sit dicturus*, venio, *transitio*, nam si, *sensus est. Neminem accusare volo*, is enim, *Ratio per communem sententiam*, Desinamus aliquando, *Propositio quæ ad syllogismum redigi potest. Ibi maleficium quærendum est, vbi inueniri potest. In Roscijs autem inueniri potest. Ergo*, Desinamus, *Propositio syllogismi*.

At ego in T. *Assumptio ex contrarijs*, Tecum enim, *Conclusio syllogismi*, De Capitone, *obiectio*.

Primum argumentum ex voluntate seu causa impellente,

pellente, qua probat Roscios Sex. Roscium interfeciſſe. L. Caſſius ille, *Ille interfecit, cui bono cædes, & mors fuit.*

Sed Roſciis emolumento cædes Roſcii fuit. Ergo

Sed hunc ſyllogiſmum conuertit in exemplum. Propoſitionem enim exemplo figurauit; quod quatuor partibus tractat, 1. *Expoſitiuncula cum laude perſonæ.* 2. *Epicriſi.* 3. *Reditu ad perſonam, laudemq; Caſſij.* 4. *confidentia. Aſſumptionem autem ex adiunctis probat, quia T. Roſcius tenuis, auarus, audax, & inimicus Sex. Roſcio fuit. Ergo eum interfecit,* L. Caſſius. *Laus,* identidem, *Expoſitiuncula,* Sic vita, *Epicriſis oratoris,* Ego quanquam, *Confidentia oratoris & cauſæ.* In hac enim, *Aſſumptio per contrarium poſita: Senſus eſt. Sed T. Roſcio bono fuit. Hoc eſt. Sed Titus bona poſſidet, filius autem immendicitate eſt,* prædam, *ad T. Roſcios qui depradati ſunt bona Roſcii.* Quid ſi accidit. *probatio aſſumptionis à cauſis impellentibus per ſyllogiſmũ eiuſmodi.*

Qui tenuis, auarus, audax, & inimicus fuit, ille Roſcium interfecit.

Titus Roſcius talis eſt.

Ergo Titus Roſcius interfecit.

Quid ſi, *propoſitio ſyllogiſmi per fictionem.* Quid ergo, *Aſſũptio in qua ſingulas partes propoſitionis probat.* Reſtat iudices, *Cõplexio argumẽtationis per repetitionẽ propoſitionis & aſſũptionis.* An is qui, *repetitio probationis* Hæc tu Eruti, *Abſoluto primo recriminationis argumento, quo probauit ab aduerſariis Roſcium interfectum eſſe. Nunc digreſſione vtitur, ad inſectanda*

sectanda Erutii crimina, quod innocentem Roscium ausus esset accusare, quam digressionem propositione, ratione, allegoria, & ad causam reuersione tractat. Hæc tu Eruti, Propositio digressionis. Si tantam haberis argumentorũ in accusando copiam, quantam ego in defendendo, credo in dicendo te iactares. Neq; ego. Ratio per comparationem & occupationem. Quia tu in tanta paucitate accusatorum bonus ac diſertus ab omnibus, haberis accusator, verum ego forsitan, sensus. Ego quia multi patroni appellantur, fortasse in eorum grege annumerabor: tibi quia accusatores præter te nulli sunt fortasse hoc nomen accusatoris imponetur, & sat bonus accusator vi debere. Qui omnes, Hæc odii fugiendi gratia addit. Nihil enim, sententia de accusatoris dignitate. verum vt sit, Hoc loco excusat Syllam, Sensus est. Non voluntate Syllæ accusatores esse interfectos, verum vt cæpi, regressus ad instituta argumenta per præcisionem.

Secundum argumentum recriminationis.
Video igitur causas.

REtorquet in aduersarios crimen parricidij, ex loco facultatis, seu circumstantiis loci, temporis, & personæ aduersarij: vtitur autem transitione, vbi occisus est, Prima circumstantia loci, quam Syllogismo concludit.

Qui interim Romæ fuit, ille Roscium interfecit.
Sed Titus Roscius fuit.
Ergo Sex. Roscium interfecit.

Tertia

Assumptionem propositioni præmittit, vbi occisus, *assumptio interrogatione figurata*, verum quid ad rem, *propositio quam occupatione dilatauit. Quamuis multi interfectores Romæ tunc fuere, tamen credibilius est te interfeciſſe, qui Romæ fuisti, quam Roſcium, qui non adfuit.*

Secunda circumſtantia temporis, ſyllogiſmo quoq; tractata. Age nunc. *Eo tempore interfectus eſt Roſcius, quo multitudo ſicariorum, aut direptione aliorum bonorum occupabatur, aut conducebatur, vt alios occideret.*

Atqui vtrumq; in T. Roſcio reperitur.

Ergo T. Roſcius, Sex. interfecit Roſcium. Eſtq; aperta ſyllogiſmi collocatio. Age. *Tranſitio*, erat tùm, *Propoſitio ſyllogiſmi.* Si eos puta. *Aſſumptio pro parte vtraq;.* Sin eos quos. *Secunda pars Aſſumptionis.* Et qui cquid tu, *Concluſio.*

Tertia circumſtantia aduerſarii perſona.

Qui Romæ aſſiduus ſector fuit, & inter ſicarios verſabatur, ille Roſcium interfecit.

Sed Titus Roſcius talis eſt, filius autem nec Romæ fuit, nec quenquam ſicarium nouit.

Ergo Titus Roſcius, Sextum Roſcium interfecit. Huius ſyllogiſmi Aſſumptionem tantum ponit per collationem. Quid poſtea. *Aſſumpio*, fateor, *aduerſarij verba.* At ego. *filij verba*, per multa ſunt, *concluſio huius ſecundi argumenti per præteritionem.*

Elocutio.

VEnio, *commonitio*, Accuſarem, *comparatio*, is enim, *gnomi*, tametſi, *occupatio*, cauſam, *collocatio*,

collocatio. Tu. *apostrophi*, De capitone, *reiectio*, Lucius Cassius, *exemplum*, sic vita hominum, *Gnomi*, *Epiphonema*, Ego quanquam, *occupatio*, Quid si, *partitio*, *anaphora*, *ergasia*, os tuum, *complexio negans*, Hæc tu, *apostrophe*, Canensis, *allegoria*, non necesse est, *præteritio*, nihil enim, *sententia*, *Allegoria*, ferro *synechdoche*, video, *transitio*, vbi, *interrogatio per subiectionem*, verum quid, *occupatio*, & alij multi, *ecclipsis*, Age, *transitio*, aut eorum, *diuisio*, dices, *fermocinatio*, quæ non modò, *præteritio*.

Tertium argumentum, à consequentibus cædem Roscij. Videemus nunc strictim.

EX *quatuor coniecturis*, *Sex. Roscium à Tito Roscio interfectum esse probat*, videamus, *transitio*, inuitus, *propter tollendam inuidiam hæc subiecit*, cum hoc vereor, *Hic eius impudentiam perstringit*.

Argumenti Tractatio.

EX 1. *Coniectura, hoc est, à persona eius, qui nuntiauit.*

Propositio, *Qui per seruum mortem Roscij Ameriam Capitoni celerrime noctu primus nuntiauit, ille Sex. Roscium interfecit.*

Assumptio, *Sed Titus Roscius.*

Ergo Titus Roscius interfecit Sex. Roscium, Argumenti huius assumptionem tantum tractat quam occupatione figurauit.

Consequentia argumenti est, Quia Glaucia nunquam nunciasset, nisi premio à Tit. Roscio adductus fuisset.

Sua sponte, *occupatio quam ita soluit, Aut casu, aut rei alicuius gratia, interim Ameriam venit Glaucia. Sed nihil horum. Ergo tuo iussu nunciauit.*

Ex 2. Coniectura hoc est, à persona cui nuntiatum est. Qua ratione, *Glaucia primum Capitoni nunciauit, non autem vxori aut liberis Roscij.*

Ergo T. Roscius occidit.

Ex 3. *Coniectura, hoc est à celeritate nuncij,* occisus est à cæna.

Celerrime Cædes Roscij per Glauciam ad Capitonem peruenit. Ergo,

Non quæro quis, *facta præteritione, Glauciam insimulat, quasi eius manu Sex. Roscius occisus sit, de consilio T. Roscij.*

Ex 4. Coniectura scilicet à tempore, vnum hoc sumo.

Glaucia noctu occisum esse Roscium nunciauit. Ergo Titus Roscius interfecit Sex. Roscium.

Nonne vobis, *Hic est repetitio & energia orationis.* Antumedontem, *Cursorem celerrimum, qualis fuit Antumedon Achillis auriga, qui Xanto & Batio, equis velocissimis, vt pote, Zephiri filijs rapidissimè ferebatur.*

Quartum argumentum, *Quid erat quod Capitonem.*

Argumento hoc & testimonium Capitonis reprehendit, & eum criminis esse conscium probat, quod

quod septem partibus tractat.

Propositio, *Ille testimonium dicere non potest, qui sceleris est conscius.*

Ratio propositionis, *Quia nec amplissimis hominibus, testimonium de sua re dicere licebat.*

Exemplum perfictionem, *Quod nec ipsi Aphricano concederetur.*

Assumptio, *Sed Capito est cædis conscius.*

Ratio 1. *Quia ad eum cædes primum est perlata, & bonorum Roscij particeps est.*

Ratio 2. *Quia & multos antea interfecit.*

Complexio, *Ergo illius testimonium adhibendum non est.*

Primum autem ponit rationes assumptionis, deinde propositionem syllogismi, postea rationem propositionis cum exemplo & conclusione, Quid erat. 1. *Ratio,* Audio. 2. *Ratio,* Lemniscatam, *maximè insignem Lemniscifasciolæ erant ex lana non tincta, dependentes ex coronis,* Habeo etiam, *Hoc loco minatur Capitoni vt eum à testimonio deterreat estque elegans modus dicendi,* ô præclarum, *propositio syllogismi. Cuius sensus est. Huius testimonium leue est, qui cædis Roscij erat conscius. Quam propositionem tronicè tractat,* Profectò non, *Amplificat propositionem, ostendens Capitonis testimonium leuè esse, qui & auarus, & audax fuerit, deq; Roscij cæde primus cognouerit.* Si dijs immortalibus placet, *Admirantes antiqui alicuius indignitatem, vel leuitatem, aut etiam indignitates certo modo loquendi, dicebant. Si diis placet,* Itaque more, *Ratio propositionis a sententia*

tentia maiorum. Estque hoc loco ergasia, Aphricanus, *Ab exemplo dilatat propositionem, quod exemplum nudè ponit, & sua sententia amplificat*, Nam illud, *sententia oratoris*, videte nunc, *Complexio argumentationis*, *Ergo Capitonis testimonium leue est*, Quid tu vir, *Amplificat conclusionem, vt testimonium Capitonis leuissimum esse ostendat. Sensus est. Stultissimè fecisti, & non de Erutii consilio, quod in accusatoris subselliis consedisti. Fidem enim eo pacto, tuo testimonio abrogasti.*

Elocutio.

VIdeamus, *transitio*, mediusfidius, *iuratio*, vereor, *Aethiologia*, tene, *apostrophi*, *antiteta*, occiso Sex. *Interrogatio cum subiectione*, Quod si nullum, *Comparatio per fictionem*, *dialogismus*, *sermocinatio*, Qua ratione, *Interrogatio*, cum Ameriæ, *Articulus*, *partitio*, Cliens, *Periphrasis Magni* Roscii, Quid hic, *Synonimia verborum*, Glaucia, *apostrophi*, non scrutor, *membra*, fac, *concessio*, Necessitas eum tanta premebat, *Synonimia*, *Metaphora*, Ratiocinatio, Etiam, *Apostrophi*, milerum, *energia orationis*. Non non, *membra*, *gradatio*, *Anaphora*, Nescio, *dialogismus*, Habeo dicere, *græcismus*, Itaque, *sententia*, Aphricanus, *expositio*, Nam, *Aethiologia*, videte, *exsuscitatio*, sector, sicarius. *Explicatio*, Quid, *insectatio*, occultior, *synonimia*.

Quintum argumentum.

AGe nunc, *Probat ab aduersariis esse Roscium interfectum à consequentibus id, tali Enthimemate.* Aduer-

Aduersarij de cæde Roscij, Chrysogono nunciauerunt.

Ergo ab aduersariis interfectus est.

Consequentiam probat à communi sensu. Assumptum quatuor rationibus confirmat.

1. *Quia de bonis Roscii, nullo pacto Chrysogonus cognouisset.*

2. *Quia cum Chrysogono amicitiam coiuerunt.*

3. *Quia partem bonorum Roscii, à Chrysogono acceperunt.*

4. *Quia nunquam eos tantis præmiis, tam liberaliter donasset.* Age nunc. *Transitio.* Ad volateras, *Assumptio.* Ad quid ei. *Prima ratio.* Soletis. *Consequentia argumenti à communi sensu.* Hic nihil est. *Secunda ratio cum approbatione.* Nam cum. *Approbatio. Quia aliis contemptis, ad amicitiam Chrysogoni se contulerunt,* Hæc possum, *conclusio.* Qui sunt igitur. *Tertia ratio.* Age nunc. *Quarta ratio per syllogismum Hypotheticum.*

Si tantum illi nuntiassent, & non authores cædis essent. certè eos tantis præmiis non afficisset.

Atqui alteri tria prædia, alteri magnum portum donauit. Ergo.

Nonné perspicuum. *Conclusio argumentationis.*

Sextum argumentum.

VEnit in decemprimis. *Sumitur hoc argumentum ex perfidia Capitonis, quod tractatur Entimemate.*

Capito

Capito in legatione ad Syllam perfidiosus fuit.

Ergo interfecit Roscium.

Antecedens partitione dilatat, impedimento est, *partitio est, amplificans assumptionem Auxesi*, illum acuere, *Antitetis dilatat, estq; hic numerosa oratio.* In priuatis rebus. *Hoc loco tractat locum communem duplicem. De violato mandato, & societate legationis, primum autem de mandato ex loco. comparatorum à minone disserit.*

In priuatis rebus non licet violare mandata.

Ergo & in publicis.

Antecedens tribus rationibus probat, & Exornatione, & Complexione. Similiter consequens duabus rationibus amplificat. In priuatis. *antecedens.* itaq; mandati, *prima ratio à magnitudine pœnæ*, credo, *secunda ratio.* Non enim, *tertia ratio.* Quid recipis *Exornatio quæ quidem generatim perstringit perfidos: ipsum tamen Capitonem perstringere videtur. Hanc tractat interrogatione & Synonimia.* Ergo idcirco, *Conclusio antecedentis.* Perditissimi. *Sententia.* In minimis, *secunda pars antecedentis per comparationem: sensus est Multo magis ille peccat, qui in publicis rebus, perfidiosè agit*, in re tanta. *Hoc autem loco Roscium Capitonem intelligit, cui mandatum de morte Roscii, & bona filii Roscii, commendata erant.* In minimis priuatisq;, *Repetit antecedens. Si in minimis rebus tanta pœna est constituta; quanta in maioribus constituetur*, ipsius cærimoniam, *Inuidiosè hæc addidit. Nam cærimonias in legationibus adhibent duntaxat, qui ad fœdera facienda, aut leges pacis belliq*

belliq; mittuntur. Si hāc ei rem. *Antecedens vniuersale ad particulare applicat per syllogismum Hypotheticum. Si Capitoni mandatum apud Syllam transigendum, Roscius mandasset, & ex illo mandato tantillum ad suam rem Capito conuertisset: vtiq; pœna aliqua dignus esset: Sed à decurionibus mandatum accepit, & tria prædia, ad rem suam conuertit. Ergo graui pœna dignus est,* si hanc ei, *propositio.* Nunc non. *Assumptio,* videte iam porro, *Altera digressio, qua Capitonē de violata societate legationis reprehendit. Hanc tractat syllogismo sex partium à comparatis ducto.*

Propositio. Qui in rebus minoribus socium fefellerit, grauiter peccat, & grauiter est puniendus.

Ratio 1. *Quia auxilium est in societate positum.*

Ratio 2. *Quia socium cauere non possumus.*

Ratio 3. *Ab auctoritate maiorum, qui, eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero, non putarunt haberi oportere.*

Assumptio. Sed Roscius non vnum, sed nouē fefellit socios, non in re minima, sed in legationis munere.

Ratio. Quia Roscios prodidit, & tria prædia possedit.

Complexio. Ergo & mortis Roscii conscius est, & grauiter puniendus.

Videte *transitio ad aliam digressionem,* in rebus, *propositio syllogismi.* Neq; iniuria. *Ratio prima propositionis.* Ad cuius igitur. *Exornatio primæ rationis.* At qui ea, *Secunda ratio, quam syllogismo tractat tripartito.*

Propositi-

Propositio. *Illa peccata sunt maxime punienda, quæ difficile præcauentur.*

Assumptio. *Sed cauere socios non possumus.*

Ratio- *Quia officium læderemus. Conclusionem reliquit.*

At qui ea, *propositio*, Socium vero, *Assumptio*, quem etiam, *Ratio assumptionis*, Recte igitur, *Tertia ratio ab auctoritate.* At vero, *Assumptio*, *quam duplici comparatione tractat, & Synonimia dilatat.* Quod tametsi, *correctio.* Itaq; nunc, *Ratio Assumptionis*, In eiusmodi vitia, *Conclusio harum digressionum & illius sexti argumenti per syllogismum quadripartitum.*

Propositio. *Qui tanta flagitia patrauit, ille & Roscium interfecit-*

Ratio. *Quia in quo multa scelera reperiuntur, & hoc maleficium credibilius est reperiri.*

Assumptio. *Sed in Roscio reperiuntur, & in ipso Capitone.*

Ergo & huius maleficii conscius est. in eiusmodi, *propositio*, Etenim quærere, *Ratio propositionis per partitionem* Tametsi hoc *Correctio, id est non latet parricidium, sed planum est id Roscii factum*, id tandem, *Assumptio.*

Septimum argumentum, Et enim quoniam fidem.

CONscios esse Roscios cædis probat ex seruis ad quæstiones non datis, huiusmodi enthimemate.

Noluerunt aduersarii dare seruos in quæstiones.

Ergo

Ergo conscij sunt cædis Roscij. Antecedens probat per enumerationem & diuisionem. Per enumerationem syllogismo tripartito.

Propositio, Aut indigni erant qui postulabant, aut pro quo postulabant, aut quæ postulabantur.

Assumptio, Sed homines nobilissimi, pro Roscio homine miserrimo, rem iustam postulabant.

Ergo non debebant recusare.

Et enim, *transitio ad secundum argumentum*, Dixi iam, *Antecedens*, quæro abs te, *Probatio Antecedentis, Estq; hic propositio per enumerationem*, Postulabant, *assumptio.* Quæ cum, *conclusio*, seruos ipsos, *secunda propositio per diuisionem. Cum nō daretis seruos in quæstionem, suspicionem de vobis mouistis: sin autem daretis, certe de vobis aliquid dicerent*, in dominos quæri, *Tribus occupationibus amplificat hoc argumentum. Prima in dominos, de seruis quæri non oportere; Soluit Cic. Roscios non esse illorum seruorum dominos: proinde non in dominos, sed in seruos quæritur*, Cum Chrysogono sunt, *Secunda occupatio. Chrysogoni sunt serui; Soluit Cic. tripartito syllogismo. Si essent, maximè propter literas, aut propter humanitatem, aut rei familiaris negotia. Sed nihil horum.*

Ergo non sunt serui Chrysogoni.

Ita credo, *Solutio & propositio syllogismi ironica.* Non est ita, *Assumptio per remotionem*, Est quiddam, *Tertia occupatio. Chrysogonus noluit quæstionē habere de seruis. Ergo non nos recusauimus; Soluit Cic. se nunquam eiusmodi de Chrysogono suspicari.* Est

quiddam, *Aditus ad tertiam occupationem*, Quid igitur, *obiectio*. Minime, *solutio*, Neque hoc mihi, *Rationes duas solutionis adfert: prima quia initio orationis idem dixi*. Ego sic existimo, *Secunda ratio solutionis, quia constat Roscios esse intersectores, ex eo quod seruos recusarent dare in quæstionem*, Dixi initio, *Transitio ad tertiam partem contentionis, hoc est ad Chrysogonum reprehendendum*.

Elocutio.

AGE, *Transitio*, Nonné; *Interrogatio*, cur tria, *Expositio*, Soletis, *Gnomi*, Non enim, *Præteritio*, Erat enim, *Aetiologia*, Si, *Comparatio*, Credo, *Aetiologia*, Quod quidem, *Sententia*, Perditissimi, *Sententia*, Fama, *Periphrasis Roscij*, nunc non, *Ratiocinatio*, videte, *Transitio*, neque, *Aetiologia*, multa, *anaphora auxesis*, etenim, *transitio*, in dominos, *occupatio*, meministis, *partitio*, dixi, *transitio*.

Tertia Pars Refutationis.

VEnio nunc ad illud, *Hactenus duas partes Refutationis absoluit, in quarum altera Erutij argumenta refutauit: in altera eadem Roscij in aduersarios transtulit. Nunc ad tertiam partem, hoc est ad Chrysogonum delabitur, in qua ostendit, bona Roscij venire non potuisse*.

Dispositio.

TRactat hanc tertiam partem refutationis 5. argumentis. quibus absolutis, excusat Syllam, omnia in

nia in Chrysogonum conferendo. Tertio ostendit Chrysogonum spe temporum & nobilitatis, pro qua L. Syllæ cum Mario decertabat, tanta ausum fuisse. vltimo exhortatur iudices ne potentiam Chrysogoni extimescãt. Venio, *transitio, in qua excusatione breui vtitur per dilemma,* Tota societas, *alludit ad nomina societatum, quæ in tabulas societatis referuntur. Nam quicquid in codicem refertur, nomen dicitur. Hoc societatem igitur bonorum Sex: Roscij significat, quæ tres quidem illi coemerant, sed sub vnius Chrysogoni nomine: solus enim Chrysogonus vendenda curauerat, & minimo precio coemerat,* Tametsi ita res, *Nolo contra alios similes Roscijs dicere,* Hæc enim, *Aetiologia.*

Argumentum primum.

Primum hoc.

Roscius erat ciuis optimus.

Ratio: Nemo enim vnquam de eo conquestus est.

Ergo eius bona vendi non poterant.

Atque hoc, *Ratio quam tractat per præteritionem,* si enim, *Ratio Antecedentis.*

Secundum argumenrum, *verum hoc ego quæro.*

Lege cornelia bona Roscij venire non poterant.

Igitur vendi non poterant.

Antecedens duabus rationibus probat.

1. *Quia tantum proscriptorum bona vendebantur. Sed Roscius non est proscriptus. Igitur.*

2. *Eorum bona vendebantur, qui in aduersariorum præ-*

rum præsidiis occisi sunt. Atqui Roscius in præsidiis L. Syllæ fuit. Igitur eius bona vendi non poterant.

Verum, *antecedens*, scriptum, 1. *Ratio per propositionem & Assumptionem*, scriptum.

Propositio, Quo in numero.

Assumptio, Aut eorum. 2. *Ratio habet propositionem & assumptionem*, Aut eorum.

Propositio, dum præsidia, *Assumptio.*

Tertium argumentum, *Si lege bona.*

SI *non est interfectus lege* Roscius. *Neque illius bona, lege vendi poterant.*

Sed non est lege occisus.

Ergo nec bona eius, venire poterant, in quem *excusat Syllam ne eius animum offendat in* Chrysogenum, *omnia confert.*

Quartum argumentum, *Denique etiam illud.*

SEcundum *legem, certo die, proscriptorum bona vendebantur.*

Sed Roscij *bona, post diem præstitutam vendita sunt.*

Ergo vendi non poterant.

Opinor enim, *Propositio.*

Quintum argumentum, *Profecto aut hæc.*

AVt *hæc bona in tabulis scripta non sunt, aut tabulæ violatæ.*

Ergo nec proscripta, nec vendita sunt.

Intelligo me, *Præcisio est orationis, qua ostendit se de rebus leuioribus dicere. Hoc est de* Roscij *sublatis bonis,*

bonis, de quibus filius nihil laborabat, cum potius vitæ illius & capiti medendum sit. Reduuiam, *Apud Festum scribitur Rediuiam quæ est morbus quum cutis extra vngues se soluit. Sensus loci huius est. Paruam rem curo, dum maioribus sit medendum,* verum quæso, *præcipit* Cic. *attentionem non tantum Exordij esse propriam, verum etiam sparsam esse, per totum corpus orationis. Quare hoc loco iudices attentos facit, ad reliqua audienda. Sensus est, Dicam quid ipse sentio, & quid* Roscij *causa postulat,* Ego hæc, *Hic deinceps vrget Chrysogonum concludendo superiora argumenta, quibus vsus est in Chrysogonum.*

Secundum membrum tertiæ partis refutationis, *Quæ omnia.*

R*Emouet crimen à Sylla quod Chrysogonus eum reijcere cogitauit, quem locum tractat Cic. quatuor partibus. Propositione, Ratione, simili, & Conclusione.*

Propositio. Non potest hæc causa, *in Syllam conferri.*

Ratio, Quia multa sunt commissa imprudente L. Sylla.

Similitudo, Si enim Iupiter optimus Maximus, cuius nutu & arbitrio cuncta reguntur, sæpè ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intollerabili frigore hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit. Quid miramur L. Syllam, aliqua animaduertere non potuisse.

Complexio, Ergo ipse Chrysogonus est author tantorum scelerum.

Nemo est enim, *Ratio propositionis*, Placet igitur, *similitudo illustris à re magna ab Ioue scilicet eiusq; actionibus. Oportebat enim L. Cornelio Syllæ, summo imperatori, consimilem imperatorem, aut maiorem inuenire, qui cum eo gloria rerum gestarum comparari posset. Quoniam autem in hominibus parem nō habuit, quem cum Sylla compararet Iouem assumpsit. Tractat autem similitudinem quatuor partibus. Propositione, similitudine, adaptatione, & Ratiocinatione*, Placet, *propositio similitudinis, quæ similitudini præponitur. cuius sensus est. Necesse fuit in tanto imperio aliquid Syllam præterire*, Et enim si, *sequitur similitudo cuius sensus est. Si Ioui ignoscendum est, Magis debet ignosci L. Syllæ cuius minor est potestas. Hic autem personæ claræ splendidam & præclaram faciunt orationem*, Cælum terra, *partitio rerum malarum*, impartiri videmus, *hucusq; partitio & de Ioue similitudo oratione circumducta & coaceruata*, Quid miramur, *accommodatio similitudinis*, Solus, *esset monarcha, estq; dilatatio in hoc verbo facta*, Nisi hoc mirū, *Ratiocinatio à maiori. Si Deus hæc assequi non potuit, quid mirum si Sylla adeptus non est*, verum vt hæc, *complexio*, cuius honoris causa, *multa hic desiderantur; primum totus ille locus, in quo ostendit bona Sex. Roscij venire non debuisse, deinde amplificationis principium, per quam inuidiam conflat Chrysogono, vt omnium Syllæ libertorum abundantissimo, copiosissimo, & potentissimo. finge igitur talia quædam à Cic. dicta esse, ut videas, quo pertineant hæc quæ sequuntur truncata. Alij item Syllæ liberti non mediocreis*

diocreis rei familiaris copias repente consecuti sunt, qui antea erant egentissimi, ædes amplissimas, coemerunt, qui antea tecum quo imbris causa, succederent, non habebant; fundos, prædia, villas possident, quibus nuper, pedem in suo vbi ponerent, non erat. Sed quid ad Chrysogonum, fundis ij & villis remotis, & deuiis, neque ita fructuosis contenti sunt: ille villas habet suburbanas opportunissimas, instructissimas, ac fructuosissimas. Si domum aptam &c. Præterea superiora quoq; illa post verbum curauit, erant mutilia in libris vulgatis, hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius. Quæ sic restitui. Qui hoc iudicium conflauit, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius. Sed nonnulli sic legendum putant, deferendum curauit, Hoc iudicium, Eius honoris causa accusare se dixit Erucius. Aptam, id est habent aduersarij suæ nequitiæ habitationem aptam, Alter tibi descendit, Hoc loco perstringit luxum & intemperantiam Chrysogoni per partitionem, vt ostendat eum bona Roscii occupata, ad luxuriam conuertisse. Primum autem ruris, deinde domus, post familiæ, & corporis luxuriam depingit, stragulæ, pictæ, varro stragulum ab insternendo dictum asserit, pictarum tabularum, imaginum, rapinis, proscriptione, lecticariis, qui lecticam domini, gestare soliti sunt, Aurium causa, periphrasis musicæ, quotidiano cantu, Musica est triplex, oris, manus, flatus, credo, ironicè hæc dicta sunt, præ se, comparatione sui.

Tertium membrum partis tertiæ,
Quæ vero efficiat.

HActenus insectatus est intemperantiam Chrysogoni, nunc ostendit eum spe temporum, ac nobilitatis, tanta ausum fuisse. Primum tamen laudat Syllanam ex Mario victoriam, ne offenderet nobilitatem, sitq; sensus. Laudo Syllæ & nobilitatis victoriam. Hanc propositionem quinq; rationibus illustrat. Quæ vero, *propositio*, non enim vereor, *prima ratio*, quia nobilium causam probaui, Sciunt ij, *approbatio rationis*, quia cum rem ad pacem perducere non potui, victoriam nobilitatis malui. Quis enim erat, *secunda ratio per syllogismum. Illis me adiunxi, qui authoritatem retinebant. Sed Syllani tales erant. Ergo.* Quæ perfecta. *Assumptio.* Quod animaduersum *Tertia ratio, Laudo eos punitos esse, qui contra Syllam arma sumpserint*, Sin autem id, *Quarta ratio, quia hoc bellum Sylla suscepit, non propter homines nequam ditandos, aut populum opprimendum*, verum longe, *Ergo non potest reprehendi victoria nobilitatis*

Quartum membrum huius tertiæ partis,
At iam nihil est.

OCcurrit iudicibus, qui nutu prohibere se dicebant, ne causam iustè iudicarent.

Propositio est, Licet vobis dicere, & hanc causam iustè iudicare.

1. *Ratio. Quia vos estis magistratus à Sylla constituti.*

2. *Ratio*

2. *Ratio.* *Ne vobis magistratus auferatur.*

3. *Ratio.* *Quia potentiam Chrysogoni nihil est, quod timeatis: si quidē nulla est. Approbatio huius rationis Quia non ideo nobilitas armis decertauit, vt Chrysogonus cuiusq; bona vexaret, sed vt Resp. auctior & ornatior esset.*

Ac iam, *Propositio per dialogismum*, Quam si 2. *ratio* Quapropter desinunt, *Separat Chrysogonū à nobilitate, & propterea nihil ab eo timendum esse iudicibus persuadet* Hic ne etiam. 3. *Ratio.* Neque mehercules. *Dilatat propositionem comparatione*, idcirco, *Approbatio*, si id, *à sua sententia*, Quod si quis, *Conclusio excusationis. Itaq; neminem hæc mea oratio lædere potest, cum nobilitatis causa, sit à Chrysogono separata.*

Quinta Orationis pars Conclusio,

Verum hæc omnis oratio.

SEquitur *extrema pars orationis Conclusio, quam Cic. commiseratione Roscij, & insectatione Roscij tractat. Sunt autē duæ illius partes, altera ad Chrysogonum aduersarium, altera ad iudices spectat. Obseruanda autem hoc loco erit vis amplificationis, de qua in Partitionibus præcipit. Sunt enim hic conglobationes, comparationes, partitiones, prosopopeiæ, affectus, & multa alia.* Verum, *Transitio ad conclusionem*, Sed Roscius, *Propositio Conclusionis*, Rogat oratq;. *Apostropbi ad Chrysogonum. Estque prima pars conclusionis per contentionem tractata*, prædia mea, *prosopopœia agentis Roscij cum Chrysogono*, Quid vis amplius, *commoratur insectando*

Chrysogonum, ostendens nullam eum habere causam damnandi Roscium. tribuit autem orationem Roscio. Forma dicendi est acrimoniæ plena. Si spoliorum. *Hic alias causas recenset, & variat orationem per congeriem & comparationem*, maiorem spem, *Hoc est, maiorem tu spem habes de bonis, quæ possedisti, si Roscium tolleres, quam Sylla de suis victoriis.* Quod si tibi, *Hoc loco iam acerbius accusat Chrysogonum.* Quis vnquam prædo, *observa expolitionem.* Quasi vero nescias, *Egestatem Roscij exponit, vt crudelitatem Chrysogoni altiùs extollat*, à Cæcilia, *Metelli Macedonici sorrore. Est laus à parentibus, amicis, ab humanitate, à parente.* An quod, *Alias causas congerit, nullas prorsus fuisse quæ indicant Chrysogonum ad condemnandum Roscium, quas per obiectionem refutat.* An quod, *obiectio*, Sin autem promagnitudine, *Refutatio per syllogismum. Si omnes amici Roscij eum defendissent, certè & plures hic adessent, & vos ex hoc isto depulissent loco, Sed sine vi defenditur Roscius. Quia mihi hæc defensio, à Messala adolescente tradita est. Ergo nullam causam habes.* Nunc ita, *Assumptio*, Quæ domi, *Ratio assumptionis.* nimirum iudices, *Decet enim nobiles tueri, quod nunc facit Messalla cum defendit Roscium à sectoribus. Est hic laus studii ac officij Messalæ pro hac nobilitate, pro qua Sylla cum Mario decertabat*, Verum si à Chrysogono. *Secunda pars perorationis, quam ad misericordiam iudicum conuertit*, Ad eam ne. *Admonet iudices officij*, Solent hoc boni *Amplificat elegantissimilitudine, quam tractat Propositione, Expositione, Am-*

ne, & Ampplicatione. Nimirũ. *Applicatio.* An vero iudices, *Alias causas recenset quibus impellit iudices ad absoluendum Roscium* nisi vt, *alia causa, quia omnes proscriptorum liberos, cùm Sex. Roscio, tollere conantur.* Dubium est, *Alia causa. Quia innocens est Roscius. hanc contentione tractat.* Quod si id vos *Alia causa à metu. Quia crudelior erit hæc vestra proscriptio, quam illa Syllana. Hanc comparatione figurauit.* Illam priorem, *Prima pars comparationis.* Hanc vero quæ, *Secunda pars comparationis.* Homines sapientes. *Alia causa, quia ijs maximè opitulari debetis, qui laborant.* Hanc tollite, *Exhortatio iudicum ad misericordiam.*

M. T.

M. T. CICERONIS
CONTRA CATILINAM
ORATIO PRIMA



VOVSQVE tandem abutêre Catilina patientia noſtra? Quàm diu nos etiam furor iſte tuus eludet? Quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? Nihil ne te nocturnũ præſidium Palatij? nihil vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus? nihil horum ora, vultusq; mouerunt? Patêre tua conſilia non ſentis? Conſtrictam iam omnium horum conſcientia teneri coniurationem tuam nõ vides? Quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, quid conſilij cœperis, quem noſtrûm ignorare arbitraris? O tempora, ô mores, Senatus hæc intelligit, Conſul videt, hic tamen viuit, Viuit? imo verò etiam in Senatum venit, fit publici conſilij paticeps, notat & deſignat oculis ad cædem vnum quemq; noſtrûm. Nos autem viri fortes ſatisfacere Reipub. videmur, ſi iſtius furorem, ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci, iuſſu conſulis, iampridem oportebat: in te conferri peſtem iſtam, quã tu in nos omneis iamdiu machinaris. An verò vir ampliſſimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labe-

ter labefactantem statum Reip. priuatus interfecit: Catilinam verò, orbem terræ cæde, atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo, quòd Q. Seruilius Hala Sp. Melium, nouis rebus studentem, manu sua occîdit. Fuit, fuit ista quondam in hac Rep. virtus, vt viri fortes acrioribus suppliciis ciuem pernicioſum, quàm acerbissimum hostem coercerent. Habemus enim senatusconsultum in te Catilina, vehemens, & graue, non deest reip. consilium, neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico apertè, consules desumus. Decreuit quondam senatus, vt L. Opimius Cos. videret, ne quid resp. detrimenti caperet. nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre natus, auis maioribus: occisus est cum liberis M. Fuluius, consularis. Simili senatusconsulto, C. Mario, & L. Valerio, Coss. permissa est resp. Num vnum diem postea L. Saturninum, tribunum plebis, & C. Seruilium mors à reip. pœna remorata est? At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. habemus enim huiusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, conuenit. Viuis: & viuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cu-

am. Cupio, P.C. me esse clementem: cupio in tantis reip. periculis non dissolutum videri: sed iam me ipsum inertiæ, nequitiæque condemno. Castra sunt in Italia contra remp. in Etruriæ faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem imperatorem castrorum, ducemque hostium, intra mœnia, atque adeò in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reip. molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero: credo, erit verendum mihi, ne non potiùs omnes boni, serius à me quam quisque crudelius factum esse dicat. Verùm ego hoc, quod iampridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor vt faciam. tum denique interficiam te, cùm iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inueniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, viues: & viues ita, vt nunc viuis, multis meis & firmis præsidijs oppressus, ne commouere te contra Rempubl. possis. Multorum te etiam oculi & aures, non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur, atq; custodient. Etenim quid est Catilina, quod iam amplius expectes? Si neque nox tenebris obscure cœtus nefarios, nec priuata domus parietibus continere vocem coniurationis tuæ potest? si illustrantur, si erumpunt, omnia, muta iam istam mentem: mihi crede, obliuiscere cædis atque incendiorum. Teneris

vndiq; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. Quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministine me ante diem XII. Calend. Nouemb. dicere in Senatu certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VIII. Calend. Nouemb. C. Manilium audaciæ satellitem, atq; ministrum tuæ? Num me fefellit Catilina, nō modò res tanta, tam atrox, tam incredibilis; verùm id quod multò magis est admirandum, dies? dixi ego idem in Senatu cædem te optimatum contulisse ante diem v. Cal Nouemb. Tum cùm multi principes ciuitatis Rom: non tàm sui conseruandi, quàm tuorū consiliorū reprimēdorū causa profugerūt. Num inficiari potes te illo ipso die meis præsidijs, mea diligentia circumclusum, cōmouere te contra Rempub: non potuisse? cùm tu discessu cæterorum nostra tamen, qui remansissemus, cæde te contentum esse dicebas? Quid? cùm te Prænestę Calend. ipsis Nouemb. occupaturum nocturno impetu esse confideres? Sensisti ne illam Coloniam meo iussu, meis præsidijs, custodijs, vigilijsq; esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modò audiam sed etiam videam, planeq; sentiam. Recognosce mecum tandem illam superiorem noctem: iam intelliges multò me vigilare acriùs ad salutem, quàm te ad perniciem Reipub. Dico te priore nocte venisse inter Falcarios (non agam obscurè) in M. Leccæ domum, cò uenisse eōdem com-

dem complures eiusdem amentiæ sceleris q; socios. Num negare audes? Quid taces? Conuincam si negas. Video enim esse hîc in Senatu quosdam qui tecum vnà fuêre. O dij immortales, vbinam gentium sumus? quam Remp. habemus? in qua vrbe viuimus? Hîc, hîc, sunt in nostro numero, P. C. in hoc orbis terræ sanctissimo, grauissimoq; consilio, qui de nostro omniumq; interitu, qui de huius vrbis, atq; adeò orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video Consul, & de Rep. sententiam rogo: & quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero: Fuisti igitur apud Leccam illa nocte Catilina, distribuisti partes Italiæ: statuisti quò quenq; proficisci placeret: delegisti quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti vrbis partes ad incendia: confirmasti teipsum iam esse etiam exitnrum: dixisti paululum tibi esse etiam tum moræ quòd ego viuerem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent, & sese illa ipsa nocte paulò ante lucem me in meo lectu interfecturos pollicerentur. Hæc ego omnia, vix dum iam cœtu vestro dimisso comperi: domum meam maioribus præsidijs muniui atque firmaui. exclusi eos, quos tu manè ad me salutatum miseras: cùm illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me venturos id temporis esse prædixeram. Quæ cùm ita sint Catilina, perge quò cœpisti: egredere aliquando ex

do ex vrbe: patent portæ, proficiscere. Nimium diu te Imperatorem illa tua Manliana castra desiderant. Educ tecum etiãomnes tuos: si minùs quamplurimos. Purga vrbẽ. Magno me metu liberatis dummodò inter me, atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutiùs non potes. Non feram, non patiar, non sinam. Magna dijs immortalibus habenda est gratia, atque huic ipsi Ioui Statori antiquissimo custodi huius vrbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque infestam Reipu. pestem toties iam effugimus. Non est sæpiùs in vno homine salus summa periclitanda Reip. Quam diu mihi Consuli designato Catilina insidiatus es, non publico me præsidio, sed priuata diligentia defendi: cum proximis comitiis Consularibus me Consulem in campo, & competitores tuos interficere voluisti: compressi tuos nefarios conatus, amicorum præsidio & copiis, nullo tumultu publicè concitato. Denique quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti: quanquam videbam perniciem meam cum magna calamitate Reipub. esse coniunctam. Nunc iam apertè Rempub. vniuersam petis. Templa Deorum immortalium, tecta vrbis, vitam omnium ciuium, Italiam denique totam ad exitium & vastitatem vocas. Quare, quoniam id quod primùm atque huius imperii disciplinæque maiorum proprium est, facere non audeo: faciam id, quod est ad seuerita-

tem lenius, ad communem salutem vtilius: Nam si te interfici iussero, residebit in Repub. reliqua coniuratorum manus. Sin tu (quod te iamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex vrbe tuorum comitum magna & pernicioſa ſentina Reip. Quid eſt Catilina? Num dubitas id me imperante facere, quod iam tua ſponte faciebas? Exire ex vrbe Conſul hoſtem iubet. Interrogas me, num in exilium? Non iubeo ſed ſi me conſulis, ſuadeo. Quid enim Catilina eſt, quòd te iam in hac vrbe delectare poſſit? in qua nemo eſt, extra iſtam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat: nemo, qui te non oderit. Quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ tuæ eſt? quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? Quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus tuis vnquam, quod flagitium à toto corpore abfuit? Cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætuliſti? Quid verò nuper cùm morte ſuperioris vxoris nouis nuptiis domum vacuam feciſſes? nonné etiam alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti? quod ego prætermitto, & facilè patior ſileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas aut extitiſſe, aut non vindicata eſſe videatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus ſenties. Ad illa venio, quæ non

ad pri-

ad priuatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam facultatem, non ad turpitudinem, sed ad summam Reip. atque ad omnium nostrûm vitam salutemq; pertinent. Potestné tibi huius vitæ hæc lux Catilina, aut huius spiritus cœli esse iucundus? cùm scias esse horum neminem, qui nesciat te pridie Cal. Ian. Lepido & Tullo consulibus, stetisse in comitio cum telo, manum Consulum & Principum ciuitatis interficiendorum causa parauisse? sceleri ac furori tuo non aliquam mentem, aut timorem tuum, sed fortunam populi Ro. obstitisse. Ac iam illa omitto, neque enim sunt aut obscura aut non multò post commissa. Quoties tu me designatum, quoties me Consulem interficere voluisti? Quot ego tuas petitiones ita coniectas, vt vitari posse non viderentur, parua quadam declinatione, & (vt aiunt) corpore effugi? Nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris quod mihi latêre valeat in tempore, neque tamen conari ac velle desistis. Quoties iam, quoties iam tibi exorta est sica ista de manibus? Quoties verò excidit casu aliquo, & elapsa est? tamen ea carere diutiùs non potes. Quæ quidem quibus abs te initiata sacris ac deuota sit, nescio, quòd eam necesse putas Consulis in corpore defigere. Nunc verò quæ tua est ista vita? Sic enim iam tecũ loquar, nõ vt odio permotus esse videar, quo debeo, sed vt misericordia, quæ

tibi nulla debetur: Veniſti paulò antè in Senatum: quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac neceſſariis ſalutauit? Si hoc poſt omnium hominum memoriam contigit nemini, vocis expectas contumeliam, cùm ſis grauiſſimo iudicio tacitumitatis oppreſſus? Quid, quod aduentu tuo iſta ſubſellia vacua facta ſunt? Quid? quod omnes Conſulares (qui tibi perſæpè ad cædem conſtituti fuerunt) ſimulatque aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Serui (me herclé) mei, ſi me iſto pacto metuerent, vt te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem: tu mihi vrbem non arbitraris? Et, ſi me meis ciuibus iniuria ſuſpectum tam grauiter atque infenſum viderem, carere me aſpectu ciuium, quàm infeſtis omnium oculis conſpici mallem. Tu cum conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium iuſtum, & iam tibi diu debitum dubitas, quorum mentes ſenſusque vulneras, eorum aſpectum prælentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſſes: vt opinor, ab eorum oculis aliquò concederes. Nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrûm parens, odit ac metuit, & iam diu de te nihil iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: huius tu neque autoritatem verebere, neque iudicium ſe-

um sequere, neque vim pertimesces? Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum iam tot annos facinus extitit, nisi per te: nullum flagitium sine te. Tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit, ac libera. Tu non solùm ad negligendas leges & quæstiones, verùm etiam ad deuincendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen vt potui, tuli. Nunc verò me totam esse in metu propter te vnum: quicquid increpuerit, Catilinam timeri nullum videre contra me consilium iniri posse, quod à tuo scelere abhorreat: non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, vt tandem aliquando timere desinam. Hæc si tecum, vt dixi, patria loquatur, nonné impetrare debeat, etiam si vim adhiberenon possit? Quid? quòd tu te ipse in custodiam dedisti? Quid? quòd vitandæ suspicionis causa apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? à quo non receptus, etiã ad me venire ausus es, atq; domi meæ te asseruari rogasti? cùm à me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse ijsdem parietibus tutum esse tecum, qui magno in periculo essem, quòd iisdem mœnibus contineremur: ad Qu: Metellum Prætorem venisti, à quo repudiatus, ad sodalem tuum virum optimum M: Marcellum demigrasti, quem tu videlicet & ad custodiendum te

diligentissimum, & ad supicandum sagacissimũ ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quã longè videtur à carcere atq; à vinculis abesse debere, qui se ipsum iam dignũ custodia iudicauerit? Quæ cùm ita sint Catilina, dubitas, si hîc morari æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam istam multis supplicis, iustis debitisque ereptam, fugæ solitudiniq; mandare? Refer, inquis, ad Senatum: id enim postulas. Et si hic ordo sibi placere decreuerit, te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam id, quod abhorret à meis moribus: sed tamen faciam vt intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex vrbe Catilina, libera Remp. metu: in exilium, si hanc vocem expectas, proficiscere. Quid est Catilina? quid attendis? quid animaduertis horum silentium? patiuntur, tacent. Quid expectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti optimo P. Sextio: si fortissimo viro M. Marcello dixissem, iam mihi Consuli hoc ipso in templo, iure optimo Senatus vim & manus intulisset. De te autem Catilina cùm quiescunt, probant: cùm patiuntur, decernunt: cùm tacent, clamant. Neque hi solùm, quorum tibi authoritas est videlicet chara, vita vtilissima: sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, cæteriq; fortissimi ciues, qui circumstant Senatum: quorum tu

rum tu & frequentiam videre, & studia perspicere, & voces paulò antè exaudire potuisti: quorum ego vix abs te iam diu manus ac tela contineo: eosdem facilè adducam, vt te hæc quæ iampridem vastare studes, relinquentem, vlque ad portas prosequantur. Quanquam quid est quod loquar? te vt nulla res frangat? tu vt nunquam te corrigas? tu vt vllam fugam meditere? tu vllum vt exilium cogites? Vtinam tibi istam mentem Dij immortales donarent: tametsi video, si mea voce perterritus ire in exilium animũ induxeris, quanta tempestas inuidiæ nobis, si minùs in præsens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem pendeat: sed non est mihi tanti, dummodò ista tua sit priuata calamitas, & à Reipubl. periculis seiungatur. Sed tu vt vitijs tuis commoueare, vt legum pœnas pertimescas, vt temporibus Reipubl. concedas, non est postulandum. Neque enim Catilina is es, vt te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocârit. Quamobrem (vt sæpè iam dixi) proficiscere. Ac, si mihi inimico, (vt prædicas) tuo conflare vis inuidiam, rectà perge in exilium. Vix feram sermones hominum si id feceris. Vix molem istius inuidiæ, si in exilium ieris iussu Consulis, sustinebo. Sin autem seruire meæ laudi, & gloriæ mauis, egredere cum importuna sceleratorum manu;

confer te ad Manlium: concita perditos ciues: secerne te à bonis: infer patriæ bellum: exulta impio latrocinio, vt à me non eiectus ad alienos, sed inuitatus ad tuos isse videaris. Quanquam quid ego te inuitem? à quo iam sciam esse præmissos, qui te ad forum Aurelium præstolentur armati: cùm sciam pactam & constitutam esse cum Manlio diem, à quo etiam Aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus pernicioſam esse confido, & funestam futuram, cui domi tuæ sacrariũ scelerum tuorũ constitutũ fuit, sciam esse præmissã? Tu, tu vt illa diutiùs carere possis? quam venerari ad cædem proficiscens solebas? a cuius altaribus sæpè ista dextram impiam ad necem ciuium transtulisti: ibis tandem aliquando, quò te iampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi hæc res adfert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna seruauit. Nunquam tu non modò otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis atque ab omni non modò fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. Hîc tu qua lætitia perfruere? Quibus gaudiis exultabis? Quanta in voluptate bacchabêre? Cùm in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quenquam neque videbis?

debis? At huius vitæ ſtudium meditati illi ſunt, qui feruntur, labores tui: iacêre humi non modò ad obſidendum ſtuprũ, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non ſolùm ad inſidiandum ſomno maritorum, verum etiam bonis occiſorum. Habes vbi oſtentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium: quibus te breui tempore confectum eſſe ſenties. Tantum profeci tum cum te à conſulatu repuli, vt exul potius tentare, quàm conſul vexare Remp. poſſes: atq; vt id, quod eſſet à te ſceleratè ſuſceptum, latrocinium potius quàm bellum nominaretur. Nunc vt à me, P. C. quandam propè iuſtam patriæ querimoniam deteſter, ac deprecer: percipite, quæſo, diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis veſtris, mentibuſq; mandate. Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt carior: ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur: M. Tulli, quid agis? tuné eum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem ducem belli futurum vides: quem exſpectari imperatorem in caſtra hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem coniurationis, euocatorem ſeruorum, & ciuium perditorum, exire patieris, vt abs te non emiſſus ex vrbe, ſed immiſſus in vrbem eſſe videatur; nonné hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? moſné maiorum? At perſæpe etiam priuati in hac rep.

pernicioſos ciueis morte mulctarunt. An leges, quæ de ciuium Romanorum ſupplicio rogatæ ſunt? At nunquam in hac vrbe ij, qui à Rep. defecerunt, ciuium iura tenuerunt. At inuidiam poſteritatis times? Præclaram verò populo R. refers gratiam, qui te, hominem per te, cognitum, nulla commendatione maiorum, tam maturè ad ſummum imperiũ per omneis horum gradus extulit, ſi propter inuidiam, aut alicuius periculi metum, ſalutem ciuium tuorum negligis. Sed, ſi quis eſt inuidiæ metus, num eſt vehementiùs ſeueritatis, ac fortitudinis inuidia, quam inertiæ, ac nequitiæ pertimeſcenda? An, cùm bello vaſtabitur Italia, vexabuntur vrbes, tecta ardebunt: tũte non exiſtimas inuidiæ incendio conflagraturum. His ergo ſanctiſſimis Reip. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt mentibus, pauca reſpondebo. Ego, ſi hoc optimum factu iudicarem, P. C. Catilinam morte mulctari, vnius vſuram horæ gladiatori iſti ad viuendum non dedi ſſem. Etenim, ſi ſummi viri, & clariſſimi ciues, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine non modò ſe non contaminârunt, ſed etiam honeſtârunt: certè verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida ciuium interfecto, inuidiæ mihi in poſteritatem redundaret. Quòd ſi ea mihi maximè impenderet: tamen hoc animo ſemper fui, vt inuidiam virtute partam, gloriam, non

inuidiam

inuidiam putarem. Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea, quæ vident, dissimulent: qui spem Catilinæ mollibus sententijs aluerunt, coniurationemq; nascentem non credendo corroborauerunt. quorum auctoritatem secuti multi, non solùm improbi, verùm etiam imperiti, si in hunc animaduertissem, crudeliter, & regiè factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quò intendit, in Manliana castra peruenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam: neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem vno interfecto, intelligo, hanc Reip. pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quòd si se eiecerit, secumq; suos eduxerit, & eodem ceteros vndiq; collectos naufragos aggregauerit: extinguetur, atq; delebitur non modò hæc tam adulta Reip. pestis, verùm etiam stirps, ac semen malorum omnium. Etenim iamdiu P. C. in his periculis coniurationis, insidijsq; versamur. sed nescio quo pacto omnium scelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quòd si ex tãto latrocinio iste vnus tolletur: videbimur fortasse ad breue quoddam tempus, cura, & metu esse releuati: periculum autem residebit, & erit inclusum penitus in venis, atq; in visceribus Reipub. Vt sæpe homines ægri morbo graui, cùm æstu, febriq;

iactantur,

iactantur, si aquam gelidam biberint, primò releuari videntur: deinde multo grauius, vehementiusq; afflictantur: sic hic morbus, qui est in Rep. releuatus istius pœnæ, vehementius viuis reliquis ingraueſcet. Quare, P. C. ſecedant improbi ſecernant ſe à bonis, vnum in locum congregentur: muro deniq;, id quod ſæpe iam dixi, ſecernantur à nobis: deſinant inſidiari domi ſuæ conſuli, circumſtare tribunal prætoris vrbani, obſidere cum gladijs curiam, malleolos ad incendẽdam vrbem, faciesq; comparare. ſit deniq; inſcriptum in frontẽ vniuscuiusq; ciuis, quid de Republica ſentiat. Polliceor vobis hoc, P. C. tantam in nobis Coſſ. fore diligentiam, tantam in vobis autoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis conſenſionem, vt Catilinæ profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis. hiſce omnibus Catilina, cum ſumma Reip. ſalute, & cum tua peſte ac pernicie, cumque eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere, parricidioque iunxerunt, proficiſcere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu Iupiter qui iiſdẽ quibus hæc vrbs auſpiciis a Romulo eſt conſtituta, quem Statorẽ huius vrbis atq; imperii vere nominamus: hũc & huius ſocios à tuis aris ceterisq; tẽplis ac tectis, vrbis ac mœnibus, a vita fortunisq; ciuium omniũ arcebis: & omnes inimicos bonorũ, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerũ fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate coniunctos, æternis ſuppliciis viuos mortuosq; mactabis

Adamus

ADAMVS STEZICIEN.

IN PRIMAM ORATIONEM CATILINARIAM.

Quid dicat orator.

IVCIVS *Catilina homo audax, & magnarum rerum appetens, varioq; præditus ingenio, Consulatum cum semel atq; iterum ambisset, totiesq; repulsam passus esset, cum suis similibus ad cædem Senatus faciendam, coniurauit. Itaq; cùm iam Catilinarij milites in Etruria conueniissent, dieq; facinori destinata appropinquaret: coniurati in domum M. Leccæ 8. Idus Nouemb. nocte sequenti conuenerunt. Ea nocte, dies Catilinæ exeundi, cæteris manendi conditio, cædis atq; incendiorum per totam vrbem descriptio constituta est. Iam se exiturum Catilina dixit, sed paululum sibi esse moræ, quod Cic: Consul viueret, narrauit. Tum G. Cornelius, & L. Vaguntius equites Romani polliciti sunt, se illa ipsa nocte, paulo ante lucem venturos, tanquam salutatum consulem, & intromissos more consulis, & iure amicitiæ in lecto eum interfecturos. Huius consilij Cic. per Fuluiam factus certior, domum suam præsidiis validioribus firmat, duos equites ad cædem, vt constitutum erat venientes aditu prohibet, eoq; ipso die conuocato Senatu, videns illic sedentem in Senatu Catilinam, ira commotus, acerbissimè in eum, hac prima oratione inuehitur & eum vrbe egredi, & secum suos educere iubet: quã*

bet. qua tantum profecit, vt Catilina perterritus vrbe profugerit.

Genus Quæstionis.

Quæstio est ea quæ vocatur hypotesis, descripta certis personis, tempore, loco, facto, modo, vt sit ne Catilina interimendus, vel vrbe ejciendus?

Constitutio causæ.

Huius orationis status est qualitatis, quæritur enim. IVRE NE CATILINA CONIVRATVS INTERFICIENDVS vel VRBE PELLENDVS?

Interficiendum esse probat ex locis huius status propriis. Natura; quæ permittit facinorosos tolli è medio. Lege; quæ grauis & vehemens. quam appellat Senatus consultum, contra Catilinam lata est. Consuetudine & iudicato, quo mediocriter labefactantes Remp. interempti sunt. Pellendum vero vrbe probat. Natura, quæ inuisa pellit. Catilina autem cum sit inuisus ciuibus, non potest inter eos manere. Lege; quia in Catilinam Senatus consultum latum erat, Æquo, bono: quia iniquum est ob vnum facinorosum vniuersam Remp. in discrimen vocari.

Quo loco dicat.

Dispositio partium orationis est naturalis: quia naturali ordine in collocandis partibus orationis processit. Est enim hic primo exordium. 2. Propositio. 3. Confirmatio

3. Confirmatio. 4. Refutatio, vltimo loco Conclusio. Narratio abest, nisi eam velis narrationem dicere, quæ per totam ferè orationem, de sceleribus Catilinæ sparsa est: verum eiusmodi narratio potius ad probandum non ad originem causæ referenda est. Dispositio vero locorum & argumentorum, est, vt plerumq; fit iudicij.

Quomodo dicat.

ORatoris officium est, vt humilia subtiliter, mediocria moderatè, magna grauiter dicat. Hinc genera dicendi prouenerunt. Humile mediocre, & sublime. Et quoniam hic graues & magnæ res aguntur, graue quoq; merito adhibetur genus orationis: vtitur ergo in hac oratione Cic. genere dicendi sublimi, vehementi, incitato, plenoq; patetico, hoc enim & negotij grauitas, & Senatus authoritas, & Ciceronis consularis dignitas, & Catilinæ furentis summa improbitas postulabat, quod constat sublimium verborum ampla atq; ornata cõpositione, periodis, numeris, ornamẽtis, sublimi generi seruientibus, & ad concitandos animos accomodatis, vt sunt graues & vehementes, interrogationes, exclamationes, prosopopœiæ, apostrophi, articuli, repetitiones, ironiæ, deprecationes, dialogismi, præteritiones.

DE EXORDIO.

Inuentio Exordij.

DVo probat in hoc Exordio: Primum, quod Catilina abutatur patientia consulum. Secundum, quod Catilinam ad mortem iam pridem duci oportebat

sumptum

Sumptum autem est hoc Exordium iuxta præcepta rhetorũ, ex visceribus causæ. Est quoq; breue, propterea quod in hoc genere deliberatiuo Cic: præcipit. Exordia esse debere breuissima. Sumptum est à circumstantijs, seu attributis causæ, vt sunt persona Catilinæ, qui abutitur lenitate magistratus. ex attributis Senatus consulti: ex attributis consulum. ex attributis causæ, cum ob tantam facinoris atrocitatem, iam pridem morte dignissimum Catilinam esse dicit: ex interuentu personæ, dum dicit Catilinam in Senatum venisse. Quoniam autem tres fines sunt Exordiorum: Beneuolentia, Attentio, Docilitas, hos Cic: hic consecutus est, non petendo, sed ipsa actione: quod Antonius maxime apud Ciceronem probat. Nam ego inquit beneuolum mihi iudicem facilius facere possum, cùm sum in cursu orationis, quam cùm sunt omnia inaudita: Docilem autem non tum, cùm polliceor me demonstraturum, sed cùm doceo & explano. Attentos vero, cùm digna attentione loquor. Quum ergo imprudentiam, audaciam, furorem amplificat Cic. Catilinæ, dum Senatus consultum, vrbis vigilias, populi metum, indignitatemq; rei refert, beneuolos partim à personis, partim à rebus auditores parat. Dum periculum imminens, exempla, & curam maiorum in puniendis seditiosis laudat, suam ignauiam accusat: attentos facit auditores. Dum futuræ confirmationis semina ponit: dociles reddit. Vtitur hic amplificationibus, exaggerando audaciam Catilinæ, & eum morte iam pridem dignum iudicando.

Dispositio

Disposítio Exordij.

EXordij cuiusuis Hermogenes quatuor partes statuit. 1. Protasin, hoc est, propositionẽ. 2. Paraskeuin, hoc est confirmationem. 3. Apodosin seu reditionem. 4. Basim, hoc est, exitum siue terminationem. Quam dispositionem in hoc exordio, secutus est Cic. cuius est.

Propositio, Non debes abuti Catilina patientia nostra.

Confirmatio, Quia tua coniuratio patet.

Reditio, Te iam dudum ad mortem duci oportebat, quam tu iam diu in nos machinaris.

Exitus, At nos vigesimum iam diem te patimur.

Disposítio argumentorum exordij & partium argumentationis.

QVoniam in hoc exordio, duplex est quæstio, argumenta ideo duplici ordine erunt collocanda. Prima est quæstio.

V. Catilina abutetur patientia Consulum.

Quam probat Cic. in partem affirmantem tali ratiocinatione.

Propositio, Catilina tu abuteris patientia nostra.

Ratio, Nam te non mouent vrbis vigiliæ, præsidium palatij, munitio capitolij, timor populi, concursus bonorum.

Rationis confirmatio. Tua enim coniuratio patefacta est, quam enumeratione consiliorum, & audaciæ Catilinariæ, negligentiæq; senatus amplificat.

Complexio quæ annexa est propositioni. Cessa. ergo abuti patientia nostra.

Secunda Quæstio V. ad mortem Catilinam duci iam pridem oportebat.

Hæc probatur quatuor argumentis.

Primum Argumentum.

Propositio, Machinaris tu iam diu in nos mortem.

Ergo iam te ad illam dudum duci oportebat.

Consequentia est ab æquo. Conclusionem hic vide in piori loco positam, antecedens in posteriori.

2. *Argumentum ab exemplis quæ reducit ad locum minorum comparatorum*, an vero vir amplissimus.

Priuato homini licet occidere turbatorem pacis.

Ergo multo magis licebit Consuli, euersorem reipubl.

Antecedens cum ipsis exemplis ponit, comparans personam personæ, factum facto: vt priuatum Consuli: labefactationem, vastationi, cædi: rempublicam, orbi terræ.

3. *Argumentum à consuetudine maiorum*, fuit fuit.

Licuit honestè maioribus sumere supplicium, de pernicios is ciuibus.

Ergo & nobis licet de te pernicioso Catilina.

Antecedens exprimit, sed non probat, quia ex superioribus exemplis, manifestum redditur.

4. *Argumentum*, Habemus enim senatusconsultum.

Senatus

Senatus authoritate iam dudum condemnatus es. Ergo licet nobis consulibus te pernicioſum interficere.

Conſequentiam probat à tribus exemplis, vt L. Opimij conſulis, qui G. Gracchum, & M. Fuluium: G. Marij & L. Valerij conſulum, qui L. Saturnium & G. Seruilium, ſenatus conſulto, ob ſeditiones quasdam interemerunt. Ergo & Catilina interimi debet. Antecedens probat per confeſſionem, habemus enim, *ſe ſcilicet habere ſenatus conſultum, ſed tamen incluſum, & tanquam gladium in vagina reconditum.*

Elocutio.

CIcero iubet fieri exordia verecunda, non elatis inſtructa verbis: ſed acuta ſententiis: pugnas quoque atque vehementias, procul abeſſe oportere, Antonius ab exordiis docet. Nil ſi quidem eſt in natura hominum, quod ſe in vniuerſum effundat, & quod totum repente euolet, ſed omnia quæ ſunt, quæque aguntur acerrimè, tenuioribus principiis natura ipſa prætexuit. Verum pro diuerſitate temporis, pro diuerſitate materiæ, pro diuerſitate perſonarum, hæc præcepta orator rumpit: ſæpè enim eadem ſequitur, ſed non eodem modo: vt hoc in loco Cic. fecit, vbi diſceſſit pro tempore & cauſa à præceptis exordiorum, Adhibet enim genus dicendi graue, vehemens, inceuſum, quo rapidus fertur, & nullo pacto ſuſtinetur.

Verba & Compositio.

VErbis vtitur illustribus, grauibus, sonantibus, superlatis, translatis. Componendo autem ad vehementiam & asperitatem orationem suam, ea verba in componendo adhibet, quæ acrimoniam faciunt, atrocitas enim efficitur etiam asperitate literarum, vt Virgil. Insonuêre polisonitumq; dedêre cauernæ, & Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. Vnde Demetrius aspera inquit compositio est, quæ vocalium habet collisiones, quæq; conflata, ex sibi conuenientibus, & familiaribus literis, quod hoc loco cernere licet. repetitur enim crebro vocalis. Amo lestissima, & et similis. E præterea consonantes R. & M.

Periodi & numeri.

RHetores temperato dicendi generi, artificiosas & longiores iubent adhibere periodos: graui artificiosas, sed quodammodo breuiores, in hoc etiam plura membratim & cæsim efferimus, subtile verò genus liberum magna ex parte periodis. Cicero hoc loco quia in graui genere dicendi versatur, non adhibet periodos, sed cæsim & membratim filum dicendi conficit, vt acrimoniam, asperitatem, atrocitatem rei exhibeat. Periodus enim artificiosè contexta, elegantiam potius non acrimoniam & indignationem parit: quod enim in paruo magnam vim præsefert, acrius & vehementius est: breuitas enim acris, & imperiosa: oratio autem verbosa, supplicantem decet & postulantem. quod Cic. hoc exemplo prudentissimè expressit, incisim enim

enim & membratim orationem conficit. Numeris quoque vtitur ad perturbandum aduersarium, inflammandosq; ciuium animos accõmodatis. De numero Cic. in oratore ad Brutum dicit: quod id quod numerosum in oratione dicitur, non semper numerose fiat; sed nonnunquã aut concinnitate, aut constructione verborum. Ita si numerus orationis quæritur, qui sit, omnis est: sed alius, alio melior, atque aptior. Commendat autem Cic. paulo post hos pedes seu numeros, creticum, pæanem, qui spacio est par, syllaba longior. Non improbat spondæum, dactylum, trochæum, iambum, pyrrichium; sed tamen ita ne videatur esse carmen: super autem omnes pedes commendat dochimũ. Nihil autem interest postrema syllaba, brevis an longa sit, quia id ne in versu quidem exquiritur. Huic porro generi ex numeris pæanem Cæsar maximè conuenire docet & eos qui sunt pæani æquales, vt est creticus, bachius, palimbachius, præterea ex compositis, in hoc genere frequentes sunt, Ionici & Epitriti. Quousque, tria membra sunt extra comprehensionem posita, nec possunt ad circulum, qui periodus est, redigi, sed singula per se intelliguntur. Incipit oratio à Diambo, qui pes conuitiis, & maledictis est aptissimus, clauditur Ionico maiori, Nihil ne, pneuma: est enim oratio septem membrorum, vno verbo clausa, ita vt non constituat periodum. Differt à superiore, quia illic singula membra singulis verbis clauduntur, hic vero vnico in fine absoluuntur deinde illic in nominatiuo, hic in genitiuo casu. Instituitur oratio à diambo, terminatur epitrito primo, patere, duo membra, quæ

singula suis verbis clauduntur; in principio habent amphibrachum, in fine creticum, Quid proxima, *Spiritus sex membrorum, vnumquodque verbis suis absoluitur. Incipit ab epitrito tertio, desinit in dichoreum.* Senatus hoc, *Membris & incisis extremam hanc tractationem circumduxit, tanquã vinculo quodam, vt firmiter hæreant menti auditoris. de quo Demetrius. Circumductiones in fine constrictas & colligatas esse oportet: circumductio enim acris est, dissolutio simplex. Incipit à diambo, desinit in epitritum secundum,* Nos autem, *Episinapsis incipit à molosso clauditur antispasto,* Ad mortem, *periodos dicolos, procedit à molosso, incidit in dichoreum,* An vero, *periodus bimembris, ornata incisis, inchoata à molosso, terminata vero dichoreo,* Nam illa, *periodus simplex ab amphibracho incipit, & clausa est epitrito quarto,* fuit fuit, *periodus incisis longioribus traducta, estq; bimembris in cuius principio est pæan secundus, in fine vero epitritus primus,* Habemus, *periodus trimembris, incipit ab amphibracho clauditur Ionico maiori,* decreuit, *membratim narrat,* at nos, *periodus simplex, incipit ab epitrito tertio, desinit in dichoreum.* Habemus enim, *periodus tricolos, inchoata à pæane secundo, clauditurq; eodem,* viuis & viuis, *oratio incisim facta extra periodum, choriambo inchoata & Ionico maiori terminata.*

Figuræ Sententiarum.

TRibus præcipuè figuris sententiarum, Cic. exornauit hoc principium, *anastrophi, erotemate, & amplifi-*

amplificatione. De Anastrophi Fabius inquit. Quamuis est maximè proprium, & obseruandum, vt eos alloquamur potissimum quos conciliatos nobis esse studemus: interim tamen est vtile causæ, vt acrior & vehementior sit sensus, ad personam, orationem, in quã dicimus dirigere. Quod hoc loco fecit Cic. qui acrimoniam & vehementiam sibi propositam habet. ponitur & erotima, in quo maximè motus & vehementia orationis cernitur: quo detracto, oratio esset ad modum humilis, ac veluti sine spiritu corpus. Additur quo q; ornatus amplificationis, ex conglobatione effectuum, causarum, consequentium, antecedentium, rerumque magnarum, quæ vsu hominum cernuntur.

Figuræ Verborum.

PAtientia, furor, audacia, *metonimiæ, contenta pro continentibus*, eludet, effrenata, iactabit, *metaphoræ*, Nil nil, *anaphora*, præsidium pallatij vrbis vigiliæ, timor populi; consensus bonorum, horum ora, vultusque, *metonimiæ subiecta per adiuncta significantur*, mouerunt, *adiunctio*, patere, sentis, constrictam, teneri, vides, *metaphoræ*, Quid proxima, *anastrophe*, egeris, fueris, conuocaueris, *similiter desinens*, ô tempora, *exclamatio quæ rei narratæ & probatæ additur admirationis augendæ causa*. Tempora, mores, senatus, *metonimiæ*. *Insuper figuræ verborum accommodatæ sunt, quæ acrimoniæ seruiunt: sunt & congeries verborum idem significantium, vt abuti patientia, furorem immodestius exercere, audacia immoderata esser-*

rata efferri, & paulò post. Quid egeris, vbi fueris, quos conuocaueris, consilij cœperis, sunt etiam membra quæ efferuntur sine coniunctione, vt nihil ne te, nihil &c. Item quid proxima, quid superiore, sunt dictiones iteratæ, vt facilius magnitudinem mali exprimat: vinit, vivis, & viuis. Sunt & anthiteta cum ablatione; vt non ad deponendum, sed ad confirmandum. gradatim quoque currit oratio, vt vrbis vigiliæ, timor populi, & cætera.

Secunda pars orationis propositio *cupio patres conscripti.*

CVm superius probauerit Catilinam iam pridem interficiendum esse, in hac propositione, quæ est veluti præparatio, ad persuadendum Catilinæ, vt exeat vrbe, corrigit suam sententiam, & docet quomodo intelligenda sit, addito quasi quoddam clementiæ affectu, cuius loci dispositio est talis.

Propositio, Catilina est interficiendus, sed non hoc tempore per me: sed quando eius coniuratio omnibus ad oculum probis & malis patebit.

Ratio ex effectis, Omnis enim qui ciuem interficit. crudelitatis existimationem incurit.

Ego autem vellem crudelitatis existimationem effugere, hanc amplificat, ostendendo fortitudinem & prouidentiam suam.

Complexio, Ergo tu à me interficiendus non es, sed adhortandus, vt vrbe exeas.

Hanc argumentationem Cic. confusè tractat.

Obseruatio artis.

FAbius lib. 4. cap. 4. Propositione quæ est confirmationis

mationis initium, non semper vti necesse esse ait. Aliquando enim, sine propositione aliqua, satis quoque manifestum est, quid in quaque quæstione versetur. Quod præceptum hoc loco expressit Cic. videbat enim ex ipso Catilinæ intuitu, tum ex principio suæ orationis manifestum esse, quid vellet Cicero: ideo non expressit propositionem, sed expositione, correctioneue superiorum intricauit.

Elocutio.

FIguræ *sententiarum*. Cupio. *Communicatio seu deliberatio, quæ est propria generi dicendi graui, qua suam clementiam, cum improbitate Catilinæ cõparat: quo efficit, vt maximam auxesim eius improbitatis ponat.* Sed in me, *indignatio est, qua inertiam lenitatemq; suam cõdemnat.* Castra sunt. *Aetiologia quæ amplificatur circumstantijs temporis, & loci, causis efficientibus: vt imperatore castrorum, magnitudine periculi, &c.* Sed si te. *antikategoria per quam contrarium retorquet, quod ab aduersario posset obiici.* verum ego. *Solutio in commodi, nempe eius quod obijcitur.*

Figuræ verborum.

CVpio, *anaphora.* Reipub. *metonimia, dissolutum*, faucibus, *metaphora*, Si te, *anaphora*, Credo erit. *ironia*, tam improbus, *omioteleuton, & repetitio particularum*, viues viues, *Epizeuxis*, viues viuis, *traductio*, præsidijs, oculis, aures, *metonimiæ*, obsessus, commouere, sentientem, *metaphoræ.*

Aduertenda quoq; est hic varietas orationis, dum enim mutat formam dicendi, mutat quoq; & compositionem. Nam dum conuertit orationem ad Senatum, paulo mitius loquitur: inferius tamen, dum conuertit orationem suam ad Catilinam, aliquantulum acerbius instat.

Tertia pars orationis confirmatio,

Etenim quid est Catilina.

DVæ sunt partes huius cõfirmationis, in prima ostendit nihil esse, quod expectare deinceps Catilina debeat. Cùm iam palam omnibus singula coniurationis ipsius consilia pateant, quod ita esse multis coniecturis probat: præcipuè tamen eum temporis, & loci, circumstantijs per interrogationem vrget, & ad mutandum, tam impium propositum hortatur. In secunda, probat in persona patriæ, Catilinam interficiendum esse.

Prima pars confirmationis, cuius propositio talis est.

Egredere ex vrbe Catilina. Quam tractat octo argumentis.

Inuentio primæ partis.

AD persuadendum Catilinæ, vt mutet mentem & Roma discedat, sumit Cic argumenta ex locis propriis deliberatiui generis: vt honesto, vtili, possibili, iucundo. Communibus vero, adiũctorum, antecedentium.

tium, comparatorum, consequentium. Quod si quæras iure ne Catilina debeat vrbe exire? hoc ita esse probat Cic. locis status qualitatis, qui sunt sex: natura, lex, consuetudo, æquum, bonum, iudicatum, & pactum.

Quo genere motus vtatur.

QVæ admirabilem elocutionem faciant, docet Cic: in lib: de oratore ad Brutum. Duo, inquit, sunt etiam, quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciunt, quorum alterum, est quod Græcis itikon, ad naturam, mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum, alterum quod ijdem pathetikon nominant, quo per turbantur animi & concitantur, in quo vno regnat oratio. Illud superius Come, iucundum, & ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc vero vehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur: quod cum rapido motu fertur, sustineri nullo modo potest. Quo genere nos, inquit Cic: mediocres aut multo etiam minus, sed magno semper vsi impetu, sæpe aduersarios, de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo, sumus orator non respondit Hortensius, à nobis homo audacissimus Catilina in Senatu accusatus, obmutuit. Seipsum itaq; Cic: explicat, & hoc præcepto docet, qualem motum adhibuerit in confirmatione. Ad quem affectum primo adsert ea, quæ & animum, & consilia Catilinæ continent: audaciam quod in vrbe maneat, cuius scelera luce clariora sint: crudelitatem cùm in necem ciuium conspirauerit. libidinem, cum nullum facinus alienum, ab eius corpore esse dicit: causas facultatis castra Manliana,

conflatam

conflatam improborum manum: euentus consilij eius, vt pacta comprehensa: quo die ad vrbem venire decreuerit, in quem diem eadem Senatus distulerit, vbi & qua ratione consilia habuerit. Quæ omnia referuntur ad affectum & motum concitatiorem. Multa quoq; Cic. prætermittit, quæ maxime excitarent auditores, vt Syllana tempora, quæ occasionẽ dederunt coniurationis Catilinariæ. Prætermittit Cæsarem & Crassum, participes coniurationis huius, vnde haberet iustam conquerẽdi materiam: sed veretur eorũ potentiã, ne eos irritaret potius, quàm compesceret. Libidines non commemorat, direptiones sociorum non auget. Quod dum facit, moratum se præbet, ac prudentem oratorem. Atq; hæc nõ solùm ad docendum, sed etiam ad delectandum & mouendum, quod maxime propriũ est oratori, pertinent.

Dispositio primæ partis confirmationis.

Dispositio vnde petatur, magis ne ex arte, an ex iudicio, prudenter Fabius docet: Cùm inquit, Infinite litium formæ fuerint, futuraq; sint, & tot sæculis nulla reperta sit causa, quæ sit tota alteri similis, sapiat oportet actor, & vigilet, & inueniat & iudicet, & consilium à seipso petat. Cicero tamen in confirmatione hac, non sequitur præcepta à se in partitionibus tradita: in enumerandis enim factis Catilinæ, non seruat temporũ gradus: primũ enim factorũ & consiliorũ posteriorũ coniurationis mentionem facit. In argumentis Collocandis secutus est præcepta ad Herennium tradita: primis enim & posterioribus partibus firmissimas argumentationes collocat; vt nefarios Catilinæ conatus

conatus non posse contineri vrbe intestinum malum, qui sæpius perdere Remp. voluerit, insensum, odiosum &c. Huc pertinent amplificationes audaciæ in extremo argumento. Mediocres vero argumentationes interposuit: vt eas, quia seipsum dignum carcere damnauerit, tacito iudicio condemnatus sit. vrbanitas quoq; maxima conspicitur in collocando, dum obticet ea, quæ turpia sunt. In disponendis syllogismis, varium secutus est ordinem, aliquando enim maiorem propositionem, postposuit, aliquando conclusionem præposuit, vt in speciali explicatione admonebimus.

Primum argumentum. *Etenim quid est.*

SVmptum est hoc argumentum ex loco deliberatiui generis proprio honesto: dum enim Cicero turpitudinem & scelus obijcit Catilinæ, honestius esse dicit, vt cedat ad suos, ab ijs qui eius turpitudinem ferre non possunt. Est etiam argumentum hoc sumptum ex loco proprio qualitatis. Natura, suadet enim vt seditiosi ciues, & nefarij non ferantur in communi societate. Locus vero communis huius argumenti est adiunctorum.

Dispositio argumenti,

Propositio. Tua coniuratio Catilina manifesta est.

Confirmatio propositionis. 1. *Ex circumstantia temporis præteriti, nempe à die comitiorum consularium.*

2. *Ex circumstantia personarum, hoc est à cæde optimatum, quam idem Catilina consulatu per vim ade*

pto, cogi-

pto, cogitabat facere: cuius exequendæ facultatem, industria sua, Catilinæ fuisse ademptam significat.

3. *A circumstantia loci, hoc est à Præneste oppido Romæ vicino, quod cum vrbi imminens, in munito loco videret Catilina, ad commodiorem vrbis ipsius inuasionem, occupare idem instituit: sed quo minus id præstaret, sua diligentia Cic. factum esse innuit.*

4. *A consiliis noctis illius, qua in Marci Leccæ domo fuit, vbi simul non obscurè, omnes facti coniurationes attingit, locum, tempus, spatium, occasionem, spem perficiendi, spem calandi, quæ singula, vehementi percunctatione, cum indignatione vrget.*

Complexio, Ergo Catilina debes mutare mentem, & hinc abire. Hæc præposita est antecedenti, tractaturq; per interrogationem, Quæ cum ita sint, *conclusio in qua Catilinam iubet otius vrbe excedere significans se ipsius præsentiam in repub. non laturum amplius, quod variis ædiunctis & factis auget: vtiturque ironia, sed amarulenta, vehementem adhibens indignationem.*

Figuræ Sententiarum.

ET enim quid, *præparatio: antequam enim aliquod argumentum aggrediatur, præparat attentum auditorem, quod non solum in exordio, sed etiam in cæteris partibus orationis est faciendum. Est quoq; communicatio, cum orator aduersario consilium suum aliquod dat, qua figura vix non tota oratio constat,* meministi ne, *enumeratio signorum,* non me fefellit, *excursio ad indignationem accommodata,* ò dij immor-

immortales, *per digressionem acerba exclamatione vtitur, qua præsentis reipubl. status indignitatem exaggerat*, Nondum voce, *expolitio*, fuisti igitur, *Epanalepsis, qua post multa interposita claritatis causa seipsum renocat*, distribuisti, *congeries, & ad docendum, & ad permouendum adhibita*, perge, egredere, *altera congeries verborum idem significantium*

Figuræ Verborum.

NOx cætus, domus, muta mentem, *metonimia*, si si, *anaphora*, Luce clariora, *Hiperbole*, non modo, verum, *auxesis*, ciuitatis, *synechdoche*, non tam sui quam, *ablatio*, circumclusum commouere, *metaphoræ*, præsidijs, custodijs, vigilijs, *metonimiæ*, nihil agis, *anaphora*, agis, moliris, cogitas, *synonimiæ*, non non sed, *auxesis*, moliris, videam, sentiam planè, *metaphoræ*. *Est quoque imago, vbi orator non tam dicit, quam fingit & rebus inanimatis, animatas quasdam actiones tribuit: vt nox tenebris, catus nefarios, obscurare non potest. Est præterea periphrasis frequens: consilia enim Catilinæ circumscribit variis modis, vno eodemque loco*, Hic hic, *epizeuxis*, sanctissimo grauissimo, *epiteta*, orbis *synechdoche*, vrbis, *anthonomasia*, voce vulnero, *metaphora*, insignis, Lucem *synechdoche*, perge egredere proficiscere *synonimia*, purga, *metaphora*, non feram, non patiar, non si nam, *synonimia*.

Secundum argumentum.

Magna Dijs immortalibus.

Inuen-

Inuentio argumenti.

EX ijsdem locis proprijs, sumptum est hoc argumentum, ex quibus & primum: nimirum ab honesto & natura. Ex communibus vero locis, est argumentum Antecedentium.

Dispositio argumenti.

Argumentum est quadripartitum.

Propositio. *Qui Remp. sæpius perdere voluerit diutius ferendus non est,* non est in vno.

Assumptio. *Sed Catilina perdere voluit,* Magna Dijs immortalibus, *obserua Assumptionem præpositam esse propositioni, exornatamq; esse diuini auxilij patrocinio.*

Ratio Assumptionis. *Ex dissimilitudine periculorum priuatorum dum Ciceronem designatum, dum consules en quibus salus Reip. continentur, perdere voluerit. Publicorumue, dum tecta vrbis incendere optimos quosq; interficere voluerit,* Quam diu mihi.

Complexio. Quare quoniam. *Exire ergo Catilina te iubeo ex vrbe. Hæc tali expolitione tractatur. Interficere te non audeo, pro maiorum consuetudine, faciam igitur quod est lenitatis, vt te simul cum omnibus coniuratis tuis exire iubeam. Quo in loco eleganti allegoria sumpta à naui, sæditatem coniuratorum exprimit.*

Elocutio

Elocutio.

MAgna Dijs, *supplicatio*, Ioui Statori, *Epiteton*, non est, *Gnomi*, pestem effugimus, *imago*, non publico sed priuato, *ablatio*, *item antiteton*, *deniq; frequens congeries*, nunciam apertè, *contentio vocis*, *& amplificatio*. Templa, tecta, vitam, totam Italiam, *similiter cadentia*, *est etiam incrementum*, *grauioribus enim verbis increscit oratio*, vocas, *adiunctio*, Quare, *Epilogus*, nam si, *Ratiocinatio*, si sin, *diuisio*, Ex haurietur sentina, *metaphora sumpta à naui*, num dubitas *anakinosis seu communicatio*, imperante spontè, *Antiteta*, interrogas me, *prokatalepsis*. non iubeo, sed suadeo *antiphrasis*.

Tertium argumentum.

Quid enim Catilina.

Inuentio argumenti.

SVmptum est hoc argumentum ab vtili: ait enim Catilinã esse omnibus infensũ, formidolosũ ab omnibus tacito iudicio condemnatum, patriæ odiosum, Vtilius est ergo exire vrbe, quam morari. Habet quoq; locũ qualitatis consuetudinem. Suspectus enim semper timetur propterea q; eijciendus est. Communis vero locus est, ex adiunctis.

Dispositio argumenti.

Suspectus es & infensus & formidolosus omnibus.

Abi ergo in exilium. Hæc priori loco posita est, tractaturq; interrogatione. Antecedens probat expositione vitæ. morumq; Catilinæ, variaq; enumeratione ipsius scelerum; Primo domesticorum, ac priuatorum, libidinem eius notans, nefarias cædes. vxoris, quam veneno sustulit. Item & filij cædem: item cum nobili vestali virgine incestum, & cum filia ipsius stuprum non commemorat, sed maiorem de ijs apud auditores suspicionem, præcisione facit, omniaq; commoratione & expolitione tractat, & ex vno verbo propter acrimoniam maiorem, dilatat orationem. Deinde enumeratione publicorũ scelerum, ad illa venio, *vbi nefarios eius contra Senatores & consules recenset conatus, quibus ante cum Pisone, Cottam & Torquatum consulem occidere, deinde consulatum, secundo petens, se Ciceronem consulem interficere, consulatumque per vim inuadere constituerat. Hæc eius consilia suis attributis, causis, & euentis comprobat. Vltimo,* quoties tu me designatum, *commemoratione eorum scelerum quibus in se consulem peccauerat, quæ allegoria satis insigni exprimit, innuens Catilinam quasi alicui numini voluisset immolaturum se consulem, cum sicam insidiatorum telum in corpore consulis defigere veluti cultro victimario, ipsum ceu pecus aliquod mactandum instituit.*

Elocutio.

QVid enim, *communicatio*, qui qui, *anaphora*, Quæ nota, inusta, hæret, irretisles, *metaphora*. *Est etiam enumeratio scelerum per interrogationem*,

nem, Prætermitto ruinas, *præteritio*, Ad illa venio, *transitio*, non ad priuatã sed ad summam rei pub: *antiteton*, hæc lex, cæli spiritus, *commoratio*, cum scias, *Aethiologia*, aut aut, *diuisio est quoque emphasis seu significatio: plus enim in suspicione relinquit, quam posuit in oratione*, petitiones, *Metaphora sumpta à gladiatoribus, qui aduersartis vulnus infligere conantur*, Quoties tu me, *exergasia, siue expolitio*, Nihil nihil, *anaphora & synonimia*, Quoties iam quoties, *epizeuxis*, initiata sacris, *allegoria*.

Quartum Argumentum, *Nunc vero quæ tua est.*

ARgumentum hoc sumptum est, *ex loco deliberationis, vtili: iudicij vero, Lege. tacito enim iudicio Catilinam condemnatum esse dicit. Ex loco vero communi adiunctorum.*

Dispositio argumenti.

Propositio, *Omnes boni te communi odio insequuntur, tacitoque iudicio condemnant.*

Confirmatio rationis à signo, *Eo quod cum in senatum venisti, nemo te salutauit, sed omnes vt patriæ hostem auersati sunt.*

Amplificatio à comparatis minorum, *Primo seruorum*, serui si me, *si me ita metuerent serui, vt te ciues tui, desererem domum: tu multo magis debes deserere vrbem.*

Deinde ciuium. Si meis ciuibus iniuria suspectus tam grauiter atque infensus essem eorum aspectu poti-

ri nolim. Multo magis tu debes nolle, qui sentis omnium iustum, sibi dudum debitum odium.

Complexio, Vrbem ergo deseras, nec expectes damnationem vocis.

Elocutio.

Tractatur hæc oratio per communicationẽ, odio, misericordia, *Antitesis*, vocis expectas, *subiectio*, Quid quod, *expolitio*, nudam, *metaphora*, Quo tandem, *percuntatio*, serui ciues, *antitesis*, te, tui, tu, tibi, *traductio.*

Quintum Argumentum, *Si te parentes,*

Inuentio,

Refertur hoc argumentum ad deliberationis locum vtile: iudicij vero, æquum & bonum, dum ait, æquum esse vt dum parentes, qui nos oderunt fugimus: patriæ conspectum fugiamus. Communem vero locum habet comparatorum minorum, ad maiora.

Dispositio.

Est integer syllogismus.

Propositio, Non est sustinendus timor parentum.

Assumptio, Nunc te patria, *Sed te patria timet, odit.*

Exornatio assumptionis, Ex factis Catilinæ, per prosopopœiam: in hac enim inducit conquerentem patriam, de Catilinæ flagitiis iubentemque ipsum, pro authoritate sua ex vrbe discedere.

Comple-

Complexio triplex, Prima est comparatorum, quibus probat Cic. deferendam esse patriam quæ sequitur post propositionem, & assumptionem dum dicit, Huius tu, *quæ periphrasi est exornata. Cuius sensus. Quare abi.*

Altera complexio est exornationis, hoc est sermonis patriæ ad Catilinam dum dicit, Quamobrem discede, *quæ dilemmate est exornata eiusmodi. Aut verus es ciuis, aut falsus. Si verus, discede, & libera me hoc timore, ne pericliter. Sin falsus, discede, vt desinam timere.*

Tertia est totius argumenti, Hæc si tecum, *quæ persuadet vt vltro cedat.*

Elocutio.

Satietas cum in omni re tum quoque in oratione molesta est, quæ fit, si toties idem de eodem dicitur: ideo hanc hoc in loco Cic. vitauit: cum enim proponeret Catilinæ facinora recensere: in medio cursu diuersum interponit, ne fatigatus, iisdem rebus animus, à causa auertatur. Hæc satietas in graui genere amplificatione prosopopœis, indignationibus tollitur, in mediocri descriptionibus rerum, laudibus personarum, iocis & facetiis. Hanc in quarto argumento, amplificatione, cuius materiam à signis sumpsit, quod illum nullus salutauit, nullus collocasset, quisque tacito iudicio condemnasset: in hoc vero quinto prosopopœia tollit.

Figuræ.

SI parentes, *collatio,* vt opinor, *præmonitio,* odit

ac metuit, *incrementum verborum*, neque authoritatem, *diuisio*, iudicium vim authoritatem, *similiter cadentia*, Nullum iam, *prosopopæia*, nullum nullum, *anaphora*, extitit impunita fuit, *adiunctiones*, per te, sine te, *antiteta*, vexatio, direptio, *frequentatio*, *est etiam indignatio*, non solum, verum etiam, *auxesis*, increpuerit, *metaphora à sonitu sorium ad repentinum motum*, quã obrem discede, *exhortatio*, si es verus, *diuisio*, timorem eripe, timere desinam, *synonimia*.

Sextum Argumentum, *Quid quod tu ipse.*

Inuentio.

ARgumentum *sumptum à proprio loco deliberationis honesto, iudicij vero à iudicato. Dicit enim Catilinam dignum se iudicare carcere, atque pro carcere exilio: tum etiam tacito iudicio omnium, eundem Catilinam ostendit esse condemnatum. Ex loco vero communi tractum est Testimontorum, qui locus est extra artem positus.*

Dispositio.

HOc *argumentum constat probatione, & obiectione.*

Probatio habet partes.

Propositionem, *Dignus est carcere qui seipsum dignum iudicauit cum dicitur*, sed qualege.

Assumptum

Assumptum, *Sed te ipsum custodia, & carcere dignum iudicas cum dicitur*, Quid quod vitandæ.

Confirmatio assumpti per inductionem. Quia rogasti vt te M. Lepidus, Ego Cic. Q. Metellus M. Marcellus asseruaremus.

Conclusio, Quæ cum ita sint, *Aequo ergo animo hic morari non potes.*

Dispositio partium.

IVdicio oratoris & consilio, *partes argumentationis dispositæ sunt Assumptum enim primo positum, secundo maior, tertio conclusio, in qua maiorem propositionem inuertit, vt potius abeat quam iniquo animo in carcere detineatur.*

Dispositio obiectionis, Refer inquis.

Antecedens, *Nemo me condemnat senatorum.*

Ratio, *Quia non retulisti de me ad senatum.*

Conclusio, *Ergo nec tu condemnare debes.*

Refutatio obiectionis, Egredere ex.

Refutando eius obiectionem, solutionem etiam affert, quæ sumpta est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Antecedens senatus te tacito Consilio condemnat, ecquid attendis.

Ergo te condemnat.

Antecedens; ipsa demonstratione probat:

Propositio, *Cum tibi iubeo exire vrbe, proficisci in exilium, liberare rempub. metu: Senatus tacet & te non defendit.*

Aßumptum, *Et qui tacet approbat Consilium.*

Amplificatio aßumpti, *Primo à dißimili*, At si hoc, *Si M. Marcello vel Pub. Sestio iuberem ire in exilium, senatus illos continuo defenderet.*

Ratio, *Quia sunt boni viri.*

Reflexio, *At cum tibi iubeo, tacent, nullus te defendit.*

Ratio, *Quia es pernicioßus ciuis, Item à circumstantibus equitibus, & vniuerso populo, quod etiam consentiant Catilinam ire in exilium.*

Conclußio generalis, Quanquam quid ego, *Hæc aperta non est: eius enim loco adducit in odium Catilinam, adeo eum desperatæ salutis eße dicens, vt emendari nequeat: quod ex moribus ipsius probat, sibi autem conciliat gratiam.*

Elocutio.

QVid quod, *Eroteßis instandi gratia sumpta oratio autem tractatur membris, tardeq; absoluitur, quia est narratio.* Dedisti dixisti. *similiter desinentia*, repudiatus, *methaphora, à diuortio matrimonij*, diligentißimum. *ironia, quam artificioße exornat, confert enim custodiæ diligentiam, suspicioni sagacitatem, fortitudini vindictam.* Quæ cum ita. *Epilogos ornata communicatione, item amplificatione verborum.* Ereptam *metaphora.* Refer in quis, *subiectio.* At si hoc. *collatio quæ emphaßbus sum mis ornata est. Hic notabis in referendis exemplis, delectum*

Etum quendam adhibendum esse, exemplaq; domestica acrius mouere, quam externa, præsentia & recentia, quam præterita & vetera. Cicero sæpius vtitur domesticis, præsertim cùm res ipsa postulat, vt hoc loco, non è monumentis eruit, sed in ipso Senatu exemplum accepit. Quiescunt probant. &c. *antitesis*, neq; hi solùm. *Amplificatio ex vno verbo nata. emphasi crebra & synonimis ornata.* Ad portas, *Sarcasmus.* Quanquam quid. *precisio quæ vel ad transitionem, vel ad concludendam argumentationem adhibetur.* Hoc *loco patefacit aditum ad ea quæ sequuntur*, tu tu, *anaphora*, vtinam, *optatio.*

Septimum argumentum.

Tametsi video.

Inuentio.

ARgumentum *hoc petitum est, ex loco deliberationis Iucundo. dum enim dicit. Non potest te reuocare pudor à turpitudine, metus à periculo, ratio à furore; iucundam illi esse turpitudinem, iucundum periculum & furorem docet: & proinde hortatur eum, vt obsequatur animo suo, & exeat: vt etiam hanc voluptatem patriæ præstet, dum eam metu liberabit. Iudicialis vero locus est, æquum & bonum. Communis autem est consequentium.*

Dispositio.

Antecedens bipartitum. Si Catilina in exilium

abibis, ego magnam inuidiam subiturus sum: hanc ta men non recuso Reipub. causa ferre. Si ad bellum proficesceris, laudem mihi parabis.

Conclusio etiam bipartita. Quamobrem, *vel ergo recta via perge in exilium, & mihi inimico tuo conflа inuidiam, vel proficiscere cum importuna scelera torum manu ad bellum: & mihi para gloriam.*

Hanc tamen conclusionem prius correxerat, Sed tu, *Cuius loci sensus est. Tu tamen, apud quem, neq; pudor, neq; metus ratio locum habet, non mouebere.*

Elocutio.

TAmetsi video, *Prodiortosis seu præcedens correctio*, Quanta tempestas. *denunciatio*, tempestas, *metaphora ab imbribus, ad vim facta*, sed non est, *antisaggoge seu cõpensatio*, sed tu vt vitijs, *prosapodosis*, aut aut, *diuisio*, turpitudine, periculo, furore, *similiter cadentia*: aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo: *parison hoc est propè æquatum*, Quãobrem, *protropi seu adhortatio*, Conflare, *metaphora à ventis*, si tu in exilium, *dilemma quod alij non ornamentum sed argumentationem esse volunt*. Conferte, concita perditos, secerne te, *synatrismos, est etiam assyndeton seu dissolutum*, non electus sed inuitatus, *ablatio exornata copulatione*, electus, inuitatus, alienos tuos, *Antitheses*.

Octauum argumentum.

Quanquam quid ego.

Inuentio.

Inuentio.

ARgumentum sumptum est ex loco deliberationis, possibili. Qui enim sua suosq; præmisit, possibile est hunc quoq; vrbe exire. Amplificationes autem eius referuntur ad iucundum. quæq; enim turpissima & in dignissima, iucunda Catilinæ esse dicit. Ex loco vero iudicij, argumentum hoc ductum est, ex Pacto, quod Catilina pepigerit cum suis socijs, exire vrbe, quod præmiserit ad exercitum necessaria. Ex loco vero communi sumptum argumentum est, Adiunctorum factorum Catilinæ.

Dispositio argumenti.

Propositio. { *Qui sua, suosq; ex vrbe præmisit, exire debet.* / *Hæc autem obscurius tractatur, quam pro dialectico officio.*

Assumptum. { Quanquam quid ergo, *sed Catilina, sua suosque præmisit.*

Confirmatio assumpti per inductionem { *Quia præmiserat socios, ad Manlij castra, diemq; pepigerat, & constituerat: quia præmisit aquilam militiæ signum, quo Marius bello cymbrico vtebatur, huic Catilina, tanquam Deæ cupiam confidebat, ab eaque Marij triumphos post oppressionem patriæ sperabat.*

Complexio, Ibis tandem, *Tu ergo Catilina exire debes. Hæc tractatur per amplificationem voluptatis,* neque enim, *ostendens voluptatem esse Catilinæ.*

linæ, contra patriam pugnare, & proinde ex ea re, eum ipsum Catilinam voluptatem summam perceptu-rum esse dicit, si otius exiuerit. Hocq; confirmat. Primo natura, voluntate, & fortuna. Naturam ipso facto & audaciam ostendit: voluntatem vero & fortunam, quod nactus sit sibi similes: nanciscì enim verbũ est fortunæ & casus. Secundo confirmat studio eius, ad huius te, *Dum eum meditatum esse dicit, ad expectandum, donec mariti dormiant, vt vxoribus eorũ potiatur, ad insidiandum hominibus, vt eos interfectos bonis spoliet. Tertio confirmat à subiecto,* habes vbi ostentes, *circa quod Catilina versaretur, & suam industriam exercere posset.*

Tantum profeci, *Concludit tandem in vniuersum, Catilinam exulem, & latronem futurum: exornatque collatione minoris cum maiore, vt tentare, & vexare.*

Admonitio de Inuentione & Dispositione superiorum argumentorum.

IN *horum locorum obseruatione debemus scire, oratorem a philosopho differre. Orator enim aspergit, & tanquam quibusdam notis leniter attingit, & admotum eos philosophiæ locos accommodat: Philosophus perficit, & ad docendum integrè adducit. Hoc Cic. in oratore etiam admonet. Mollis est oratio philosophorũ, & vmbratilis: nec sententiis, nec verbis instructa popularibus. & paulo infra. Sed hoc differunt, quod cum sit iis propositum non perturbare animos sed placare*

care potius: non persuadere, quam delectare: & apertius id faciunt, quam nos, & crebrius concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles.

Elocutio.

QVanquam quid ego te, *reuocatio suiipsius*, à quo iam, *Aetiologia*, sciam sciam, *repetitio*, tu ut, *interrogatio*, ibis, *obiurgatio*, effrenata ac furiosa, *incrementum verborum*, neque enim dolorem sed voluptatem, *Antanaclasis*, *cuius multas species Quintilianus lib. 9. ponit*, natura peperit, *Descriptio rei per proprietates*, peperit, exercuit, seruauit, *dissolutum*, non modo otium, sed ne bellum: non modo fortuna, verum etiam spe, *auxesis*, *est etiam Antitesis*, manum, *synechdoche*, Hic tu qua lætitia, *Hilarientismos seu hilaritas orationis*, *est etiam hic exergasia seu expolitio*, *item similiter desinens*, cum in tanto, *Aetiologia*, neque neque, *diuisio*, labores tui, *metonimia pro tu*, iacere humi, *metaphora*, non solum verum etiam, *incrementum*, præclaram, *ironia*, *quæ pronunciatione vocis magis exprimitur cum quadam indignatione*, famis frigoris, *similiter cadentia*, *& assyndeton*, Tantum profeci, *Emphasis*, tentare, vexare, *collatio*, Latrocinium, *Ethimologia facti*.

Altera pars confirmationis cuius sensus est CATILINA interficiendus est,

Nunc vt a me.

EXpositis hactenus sædissimis Catilinæ sceleribus, & ad

& ad suam, in decernenda contra eum ipsum pœna, maiorem authoritatem inducit rursum, per prosopopœiam, patriam, se consule, alloquentem, & lenitatem suam in Catilina puniendo castigantem. Cui attentionem comparat, rogans, vt attentè audiant. Obseruandum autem est, Attentionem Cic. adhibere, non solum in exordio, sed etiam in aliis partibus orationis, maximè vero cum transit ad aliam partem, quàm & hoc loco, rogando, & agendo comparat: rogando, dum rogat: agendo, dum dicit sibi patriam, æquè vita sua, charam esse.

Inuentio secundæ partis confirmationis.

CAtilinam interficiendum esse, probat, duobus argumentis, ab vtili, a necessario, ab honesto, a consuetudine, a lege, æquo & bono sumptis.

Primi argumenti inuentio, & dispositio.

SVmptum est a loco vtili: vtile enim est hostem patriæ interficere: ex loco vero communi adiunctorum.

Propositio, Tu ne eum, *Hostis patriæ, interfici debet, nec emitti ex vrbe.*

Ratio, Vt à te non, *Exacerbatus namque peior esse solet.*

Approbatio, *Catilina enim est dux futuri belli, author sceleris, princeps coniurationis, euocator seruorum, & ciuium perditorum.*

Complexio, *Duci ergo eum in vincula ad mortem rapi, summo supplicio mactari imperes.*

Secundi

Secundi argumenti inuentio & dispositio.

Quid tandem impedit.

ARgumentum sumptum est à necessario & æquo; necessitas legum consuetudinis est, & proinde æquum erit, vt Catilina interficiatur. Communis vero locus, suis locis patebit.

Propositio. Quid tandem impedit, *Si non esset Catilina occidendus: tum vel propter morem maiorum, vel propter leges, vel propter inuidiam.*

Assumptum. *Sed nullum dicendum est.*

Confirmatio pro omnibus partibus. *Pro prima parte, hoc est, Non propter morem maiorum,* At persepe, *A consuetudine & comparatis sumpta. Quia si licuit sæpius priuatis, pernicioſos ciues occidere, multo magis ijs, qui sunt in magistratu licebit.*

Pro secunda parte. An leges, *scilicet: Non propter leges: confirmatur ex legibus adiunctisq;. Quia qui deficiunt à Repub. non tenent iura Reipub. Ergo etiam ijs Respub. non debet tenere.*

Pro tertia parte. An inuidiam. *Scilicet, Non debes timere inuidiam: ab æquo & bono, item adiunctorum rei & personæ, confirmatur tribus rationibus.*

Propositio. *Non debes timere inuidiam posteritatis, in defendenda patria.*

Ratio. Præclarum vero. *Quia te pop. Rom. no-*

strum ho-

num hominem, plurimis & summis beneficijs ornauit.

2. *Ratio.* Sed si quis est. *Quia non minorem ex tua lenitate, quã ex seueritate, comparabis tibi inuidiã.*

3. *Ratio.* An cum bello. *Quia maiorem tibi conflabit inuidiam, si viuet.*

Confirmatio. *Nam patriam incendet.*

Hanc ergo potius grauiorem vitabis inuidiam.

Elocutio

HÆc ad eum scopum, ad quem tota oratio accommodata est refertur. Sunt enim auxeses, sunt indignationes; auget enim crimina Catilinæ, patos excitatur indignationis, summa misericordia, dum patriam ipsam introducit loquentem, quasi mortuos ab inferis excitet. Sermones doloris pleni in expostulatione cum Cicerone de contemptu inuidiæ apud posteritatem subeundæ. Summum odium Catilinæ auget, dum eius criminum atrocitatem enumerat, & extollit Oratio porro patriæ exprimitur per prosopopæiã, quæ tribus potissimum figuris sententiarum exornata est: frequentatione, subiectione, & descriptione: frequentatio est, cùm scelera Catilinæ in tota oratione iam dispersa, maioris, acrimoniæ causa, in vnum locum cogit. Subiectio est, in qua, quæ contra lenitatem Ciceroni videbãtur facere, vt pote leges moresque maiorum, percuntatione diluit. Descriptio rerum consequentium est ex Catilinæ bello: vbi populi Rom. beneficia in Ciceronem commemorans, ostendit eum pro salute Reipub. non debere inuidiam metuere. quo in loco simul periphrasis noui hominis, & consulatus notanda est. Itemq; in ver-

in verbis translatis. Itemq́, apostrophe contra consuetudinem positum Cicero *enim vocatiuos in oratione plerumq́, postponere solet, hic vero præposuit, vt noua videatur esse elocutio: quod enim nouum est, facilius excitat. Item deprecatio,* percipite quæso, *Item synonima & metaphora,* sentis vides, *Item similiter cadentia,* authorem sceleris, principem coniurationis, *quo in loco est etiam dissolutum. Item paronomasia,* non emissus ex vrbe, sed immissus in vrbem *Item gradatio,* in vincula duci, ad mortem rapi, *primum enim rapere ad vincula, deinde ducere, post morte multari dicit, vt crescat, non clarescat, oratio. Item adiunctio,* imperabis. *Item ironia,* præclarum vero. *Item antiteta,* sed si quis, *seueritati enim inertia, fortitudini nequitia opponitur.*

Quarta pars orationis, refutatio.

His ego sanctissimis Reip. vocibus:

REfutatio, *est argumentorum allatorum in contrariam partem, dissolutio. cùm enim* Cic. *suadet, potius emittendum quam interficiendum* Catilinam, *eas argumentationes dissoluit, quæ probant Catilinã, interficiendũ esse, vt proxime præcedentes, & in exordio. Cæterũ orator habet suas quasdã dissoluendi rationes: aliquando enim totũ illud retorquet in aduersariũ quod obijcitur: aliquando quæ obiecta sunt eleuat, atq; irridet: aliquando grauioribus argumentis opprimit: nonnunquã multis digressionibus aduersario fucũ infert: aliquãdo vero grauissime dissoluit: partim materiã acceptã falsam ostendens: partim nõ sufficienter*

allatam. partim eiusmodi esse, ex qua conclusio non sequatur: partim instantijs contrariorũ exemplorum, refutat: partim vero, quod frequentissimum est distinguendo dissoluit. Hoc vero loco materiam non sufficienter esse allatam ostendit in enumeratione partium, dum addit pericula Reip. non bene esse prouisa vt tuta sit Resp. Opprimit quoq; valentiori argumeto, hoc nempe, quod non optimum sit factu Catilinam interficere.

Dispositio Refutationis.

IN disponenda refutatione duplici via procedere solet orator. Prima est dum omnibus aduersarij argumentis, singula respondent, quod etiam Aristoteles facere quandoq; consueuit. Altera dum particulatim argumenta recenset, eademq; subinde refutat. In hac refutatione Cic. priori processit via. nam primò quatuor argumenta aduersariorum adfert, postbac respondet eis.

Primi argumenti aduersariorum Refutatio.

Ego si hoc optimum.

Propositio. Optimum esset Catilinam interficere.

Ratio. Quia ita securior esset Resp. obserua propositionem non esse positam expresse, quæ tantum ex solutione deprehenditur.

Soluit hoc orator per negationem. Si iudicarẽ fanum esse consiliũ Catilinã interficere, interficerem: Sed nõ iudico. Ergo; Maiorẽ tantũ posuit. minor omissa est.

Secundi

Secundi argumenti aduersariorum Refutatio.

Et enim si.

Propositio aduersariorum. Omnis qui occidit ciuem, inuidiam crudelitatis apud posteritatem subit.

Soluit Cic. primo per instantiam. Scipio & alij, in exordio enumerati, non subierunt. Ergo non omnis. Secundo per distinctionem, Quod si ea maximè, *inuidia alia est, quæ comitatur fucatam virtutem, & talis est pertimescenda: alia quæ comitatur solidam virtutem, & talis non est pertimescenda: nam gloria est, non inuidia.*

Tertij argumenti aduersariorum refutatio.

Quanquam nonnulli sunt.

Propositio aduersariorum. Quidam senatorum imperitia, quidam improbitate quadam, appellaturi essent Ciceronem tyrannum, si occideretur Catilina. Ergo forte non esset occidendus.

Hanc per concessionem soluit, & narrationem sanioris consilij, dicens: Cic. se velle Catilinam in exilium relegare, vt post eius discessum coniuratio eius omninò plana esset, & proinde esset liber ab hac suspicione.

Quarti argumenti aduersariorum refutatio.

Hoc autem vno.

Propositio aduersariorum. Interfecto Catilina, posset comprimi Catilina. Satius ergo esset hunc occidere.

Soluit per contrariorum illationem. Non comprimetur, sed reprimetur, ac ingraueſcet. Quod probat ex conſequentibus incommodis interfecti, & commodis emiſsi Catilinæ. Si enim proficiſcetur, ſequentur illum ſimul omnes coniurationis eius ſocij. Si autem in vrbe interficeretur, remaneret nihilominus in ciuitate totus grex coniuratorum eius, qui collectis viribus, idem vel grauius multo Reipub. periculum adferet. Tutius ergo eſt tollere malum, quam releuare. Quod eleganti ſimilitudine à morbo ſumpta declarat. Quemadmodum enim in febri fit: ita accidet in hac peſte Catilinariæ coniurationis: in febri autem aqua gelida pro medicamento ſumpta, magis auget febrim, quam extirpat. Ergo quoque mors Catilinæ magis augebit peſtem, quam cum vita diſceſſu.

Elocutio.

HOc loco animaduertendum eſt, Cic. dicere ſedacius, quam paulo ante. Hoc propter decorum facit: nam aliter dum dicit, rem & ſermonem habet cum Catilina: aliter dum cum ſenatoribus & repub.

Figuræ.

HIs ego, *proſopopœia dialogiſmo quodam concinnata. Eſt etiam ornata oratio collatione rerum, & perſonarum & factorum, dum dicit, ſi ſummi viri, Eſt etiam obiurgatio,* quanquam nonnulli ſint, *ſunt & amplificationes,* & enim, *Item ſimilitudo eru-*

dita,

dita, vt sæpe homines ægri. *Ex minutioribus autẽ figuris reperiuntur creberrima epiteta vt*, summi viri, clarissimi ciues, *metaphoræ vt*, gladiatori, clarissimi, contaminauerunt, *poliptoton vt*, videant, vident, *similiter desinens vt*, aluerunt coluerunt; *Subiectiones prudentes vt*, stultum, *suis enim verbis pro patria quædam subiungit. Paronomasia vt*, reprimi, comprimi, *Auxesis vt*, non modo hæc adulta pestis verumetiam stirps, releuatus, ingraueſcet, *metaphoræ*.

Vltima pars orationis peroratio.

Quare P. C. secedant.

Inuentio & dispositio.

Declaratis hactenus Catilinæ sceleribus, & coniuratione contra patriã, iam tandem orationem præsentem concludit. Hæc autem peroratio ad motum maximè accommodatur, quæ tribus absoluitur partibus. In enumeratione, secedãt improbi, *breuiter commemorat illa, quæ dicta sunt in confirmatione, dum Catilina improbus notabatur. In amplificatione*, desinant insidiari, *Catilinam insidiatorem vocat, quod verbum amplificat, vt circumstare, obsidere, faces comparare. Affectus adhibet*, polliceor vobis, *à magnitudine periculi, & in ostendendo diligentiam suam, in atroci scelere extirpando, tum in singulari quadam precatione ad Iouem, vt conseruata reipub: insidiatores incolumitatis reipub. viuos differdat, dignasq; scelerum pœnas de facinorosis viuis sumat, eosq; etiam post vitam sempiternis pœnis afficiat.*

Elocutio perorationis.

MIra est amplitudo soni, quæ diligenter considerari debet. Eas enim vocales quæ asperè sonant, & clarè, adhibet, vt est e & a, in fine vero v. Ex consonantibus vero R. S. Q. vt. Quare P. C. Secedant, congregentur, secernantur, muro, Consuli, circumstare, tribunal, prætoris vrbani, V. in fine frequentissime quasi de industria, Tum tu Iupiter quibus vrbs, auspicijs, Romulo constitutus, hunc, huius, vrbes.

Figuræ Sententiarum.

QVare, *complexio, quam multiplicat multis verbis adidem spectantibus, vt sunt,* secedant, secernant, congregentur, secernantur, *Estque congeries insignis, dum aliter, atque aliter vocat Catilinã,* polliceor vobis, *affirmatio & quædam obtestatio, est quoque amplificatio,* Hisce omnibus, *execratio, qua in odium Catilinam inducit, & summam in rempub. commiserationem excitat.* Tu tu, *Apostrophe,* tum, *deprecatio.*

Figuræ verborum.

SEcernant, secedant, *similiter cadentia,* muro Consuli, vrbem, *synechdoche,* inscriptum, *metaphora,* patefacta, illustrata, oppressa, *metaphoræ, & articulus,* tantam, *anaphora, & dissolutum,* tectis, vrbis mœnibus, *synechdoche,* Italiæ patriæ, *methonimiæ,* viuos mortuosque, *diuisio,* mactabis, *metaphora à sacrificiis.*

M. T. CICERONIS
CONTRA CATILINAM
Oratio II.

TAndem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis atq; huic vrbi ferrum flammamq; minitantem ex vrbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem vrbe prosecuti sumus. Abijt, excessit, euasit, erupit. Nulla iam pernicies à monstro illo atq; prodigio mœnibus ipsis intra mœnia comparabitur. Atq; hûc quidem vnum huius belli domestici ducem sine controuersia vicimus. Non enim iam inter latera nostra, sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non deniq; inter domesticos parietes pertimescemus: loco ille motus est cùm est ex vrbe depulsus: palàm iam cum hoste, nullo impediente, bellum iustum geremus: sine dubio perdidimus, hominem: magnificèq; vicimus, cùm illũ ex occultis insidijs in apertum latrocinium coniecimus. Quòd verò non cruentum mucronem, vt voluit, extulit, quod ei ferrum de manibus extorsimus, quòd incolumes ciues, quòd stantem vrbem reliquit: quanto tandem illum mœrore afflictum esse & profligatum putatis? Iacet ille nũc prostratus, Quirites, & se perculsum atq; abiectum esse sentit, & retorquet oculos profectò

sæpè ad hanc vrbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget. Quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam pestem euomuerit, forasque proiecerit. At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso in quo exultat & triumphat oratio mea, me vehementer accusset, quòd tàm capitalem hostem nõ comprehenderim potius quàm emiserim, non est illa mea culpa Quirites, sed temporũ. Interemptũ esse L. Catilinam, & grauissimo supplicio adfectũ iampridẽ oportebat. Idq; à me & mos maiorum, & huius imperij seueritas, & Resp. postulabat. Sed quàm multos fuisse putatis, qui, quæ ego deferrem, non crederent? quàm multos qui propter stultitiã non putarent? quàm multos, qui etiam defenderent? quàm multos, qui propter improbitatem fauerent? Ac si sublato illo: iampridem ego L. Catilinam, non modò inuidiæ meæ, verùm etiam periculo vitæ sustulissem. Sed cùm viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam probata, si illum, vt erat meritus, morte mulctassem, fore, vt eius socios inuidia oppressus, persequi non possem: rem huc deduxi, vt tum palàm pugnare posletis, cùm hostem apertè videretis. Quem quidem ego hostem, Quirites, quàm vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quòd illud etiam molestè fero, quòd ex vrbe parùm comitatus exierit. Vtinam ille omnes secum suas copias eduxisset.

Tongil-

Tongillum mihi eduxit, quem amare in prætexta calumnia cœperat: Publicium & Munacium, quorum æs alienum contractum in popinam, nonnullum Reipub. metum adferre poterat, reliquit. Quos viros? quantos alieno ære? quàm valentes? quàm nobiles? vos videtis. Itaque illum exercitum ex Gallicanis legionibus, & cum hoc delectu quem in agro Piceno & Gallico Q. Metellus habuit ex his copijs quæ à vobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex senibus desperatis ex agresti luxuria, ex rusticis mendiculis, ex decoctoribus: ex ijs qui vadimonia deserere, quàm illum exercitum maluerunt. Quibus ego non modò si aciem exercitus nostri, verùm etiam si edictum Prætoris ostendero, concident. Hos quos video volitare in foro, quos stare ad Curiam, quos etiam in Senatum venire, qui nitent vnguentis, qui fulgent purpura, mallem secum suos milites eduxissent. Quòd si hîc permanent, mementote, non tam exercitum illum esse nobis, quam hos qui exercitum deseruerunt pertimescendos. Atque etiam hoc magis sunt timendi, quòd quid cogitent, me scire sentiunt, neque tamen permouentur. Video cui Apulia sit attributa, quis habeat Hetruriam, quis agrum Picenum, quis sibi has vrbanas insidias cædis atque incendiorum depoposcerit. Omnia

superioris noctis consilia ad me perlata esse sentiunt. Patefeci in Senatu Hesterna die. Catilina ipse pertimuit, profugit. Hi quid expectant? nonné illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram. Quod expectaui, iam sum adsecutus: vt vos omnes factam esse apertè coniurationem contra Rempub. videretis: nisi verò si quis est, qui Catilinæ similes, cum Catilina sentire non putet. Non est iam lenitati locus, seueritatem res ipsa flagitat. Vnum etiam nunc concedam. Exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Demonstrabo iter. Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperam consequentur. O fortunatam Rempub. siquidem hanc sentinam huius vrbis eiecerit. Vno me herculè Catilina exhausto, releuata mihi & recreata Respub. videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non ille conceperit? Quis tota Italia veneficus? quis gladiator? quis latro? quis sicarius? quis parricida? quis testamentorum subiector? quis circumscriptor? quis ganeo? quis nepos? quis adulter? quæ mulier infamis? quis corruptor iuuentutis? quis corruptus? quis perditus inueniri potest, qui se cum Catilina familiarissimè non vixisse fateatur? quæ cædes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? Iam verò

quæ

quæ tanta in vllo vnquam homine iuuentutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissimè aliorum amori flagitiosissimè seruiebat. Alijs fructum libidinum, alijs mortẽ parẽtum, non modò impellendo, verùm etiam adiuuando pollicebatur. Nunc verò quam subitò, non solùm ex vrbe, verùmetiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat: nemo non modo Romæ, sed ne vllo in angulo totius Italiæ oppressus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciuerit. Atque vt eius diuersa studia in dissimili ratione perspicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio paulò ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ esse fateatur. Nemo in scena leuior & nequior, qui se non eiusdem propè sodalem fuisse commemoret, atque idẽ tamen stuprorum & scelerum exercitatione assuefactus, frigore & fame & siti ac vigilijs perferendis, fortis ab his istis suis sociis prædicabatur, cùm industriæ subsidia atque instrumenta virtutis, in libidine audaciaque consumeret. Hunc verò si secuti fuerint sui comites, si ex vrbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges: ô nos beatos, ô Rempub: fortunatam, ô præclaram laudem Consulatus mei! Iam enim non sunt mediocres hominum libidines, non humanæ ac tolerandæ audaciæ: nihil cogitant nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas.

patrimonia

patrimonia sua profuderunt: fortunas suas ãbligurierunt. res eos iampridem, fides deficere nuper cœpit: eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quod si in vino, & alea comessationes solùm, & scorta quærerent: essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferẽdi. hoc verò quis ferre possit, inerteis homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobrijs, dormienteis vigilantibus? qui mihi accubantes in conuiuijs, complexi mulieres impudicas, vino languidi, cõfecti cibo, sertis redimiti, vnguentis obliniti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem bonorum, atque vrbis incendia. Quibus ego confido impendere fatum aliquod: & pœnas, iam diu improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini debitas, aut instare iam planè, aut certè iam appropinquare. Quos si meus consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit: non breue nescio quod tempus, sed multa sæcula propagârit Reip. Nulla est enim natio, quam pertimescamus: nullus rex, qui bellum populo R. inferre possit, omnia sunt externa, vnius virtutę, terra, mariq; pacata. domesticum bellum manet: intus insidiæ sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis. cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ergo me bello ducem profiteor, Quirites: suscipio inimicitias hominum perditorum. quæ sanari poterunt quacunq; ratione sanabo. quæ resecanda erunt, non patiar ad perniciem

ciuitates

ciuitatis manare. proinde aut exeant, aut quiescant: aut, si in vrbe, & in eadem mente permanent: ea quæ merentur, exspectent. At etiam sunt, Quirites, qui dicant, à me in exilium eiectum esse Catilinam. Quod ego si verbo assequi possem: istos ipsos ejcerem, qui hæc loquuntur. Homo enim videlicet timidus, & per modestus vocem consulis ferre non potuit. Quid, quòd hesterno die, cùm domi meæ pene interfectus essem: senatum in ædem Iouis Statoris vocaui: rem omnem ad patres conscriptos detuli. quo cùm Catilina veniisset: quis eum senator appellauit? quis salutauit? quis denique ita adspexit, vt perditum ciuem, ac non potiùs, vt importunissimũ hostem? Quin etiã principes eius ordinis partẽ illam subsellioru̇m, ad quam ille accesserat, nudam, atque inanem reliquerunt. Hic ego vehemens ille consul: qui verbo ciueis in exiliũ ejcio, quæsiui à Catilina, an in nocturno conuentu apud M. Leccã fuisset necne. Cùm ille, homo audacissimus, conscientia conuictus, primò reticuisset: patefeci cetera: quid ea nocte egisset, vbi fuisset, quid in proxima constituisset, quem ad modum esset ei ratio totius belli descripta, docui, cùm hæsitaret, cùm cunctaretur: quæsiui, quid dubitaret eò proficisci, quo iam pridem parabat: cùm arma, cum secureis, cum falceis, cum tubas, cum signa militaria, cum Aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat

cerat, scirem esse præmissam. In exilium eiiciebam, quem iam ingressum in bellum esse videbam? Etenim, credo, Manlius iste, centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum populo R. suo nomine, indixit: & illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant: & ille eiectus in exilium, se Massiliam, vt aiunt, non in hæc castra conferet. O conditionem miseram, non modò administrandæ, verùm etiam conseruandæ Reipub. Nunc, si L. Catilina, consilijs, laboribus, periculis meis circumclusus, ac debilitatus, subitò pertimuerit, sententiam mutauerit, deseruerit suos, consilium belli faciendi abiecerit, ex hoc cursu sceleris, & belli, iter ad fugam, atque in exilium conuerterit: non ille à me spoliatus armis audatiæ, nõ obstupefactus, ac perterritus mea diligentia, non despe conatuq; depulsus, sed indemnatus, innocens, in exilium eiectus à consule, vi, & minis esse dicetur: & erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed timidum: me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Est mihi tanti, Quirites, huius inuidiæ fallæ, atq; iniquæ tempestatem subire, dum modo à vobis huius horribilis belli, ac nefarij periculum depellatur. Dicatur sane eiectus esse à me, dum modo eat in exilium, sed mihi credite, non est iturus. Nunquam ego à dijs immortalibus optabo, Quirites, inuidiæ meæ leuandæ causa, vt L. Catilinam ducere exercitum

re exercitum hostium, atq; in armis volitare audiatis: sed triduo tamen audietis: multoq; magis illud timeo, ne mihi sit inuidiosum aliquando, quòd illum emiserim, potiùs, quam quod eiecerim: sed cùm sint homines, qui illum, cùm profectus sit, eiectum esse dicant, ijdem, si interfectus esset, quid dicerent? Quanquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Manlium, quam ad Massilenses ire malit. Ille autem, si merhercules hoc, quod agit, num quam ante cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet, quam exulem viuere. nunc verò, cùm ei nihil adhuc præter ipsius voluntatem, cogitationeq; acciderit, nisi quòd viuis nobis Romæ profectus est: optemus potiùs, vt eat in exilium, quam queramur. Sed cur tam diu de vno hoste loquimur: & de eo hoste, qui iam fatetur se esse hostem: & quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo. de his: qui dissimulant, qui Romæ remanent, qui nobiscum sunt nihil dicimus: Quos quidem ego, si vllo modo fieri posset, non tam vlcisci studeo, quam sanare, & ipsos placare Reip. neque, id quare fieri non possit, si me audire voluerint, intelligo. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generib. hominum istæ copiæ comparentur: deinde singulis medicinam consilij, atq; orationis meæ, si quam potero, affe-

ram. Pri-

ram. Primum est eorum, qui magno in ære alieno, maiores etiam possessiones habent. quarum amore adducti, dissolui nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima: sunt enim locupletes: voluntas verò, & causa impudentissima. Tu agris, tu ædificijs, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copiosus sis: & dubites aliquid de possessione detrahere, ac fidem acquirere? Quid enim ex spectas? bellum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? an tabulas nouas? errant, qui istas a Catilina expectant. meo beneficio tabulæ nouæ proferentur, verũ auctionariæ. Neq; enim isti, qui possessiones habent, alia ratione vlla salui esse possunt. Quód si maturius facere voluissent, neq; (id quod stultissimum est, certare cum vsuris fructibus prædiorum: lucupletioribus his, & melioribus ciuibus vteremur. Sed hosce homines minimé puto pertimescendos, quòd aut deduci de sententia possunt: aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra Remp. quam arma laturi. Alterum genus est eorum, qui quanquam premuntur ære alieno, dominationem tamen expetunt; rerum potiri volunt: honores, quos quieta Rep. desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc præcipiendũ videtur, vnum scilicet & idem, quod cæteris omnibus, vt desperent, se id quod conantur, consequi

sequi posse: primùm omnium me ipsum vigilare, adesse, prouidere. Reip. deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas præterea copias militum: deos denique immortaleis huic inuicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimæ vrbi, contra tantam vim sceleris, præsenteis auxilium esse laturos. Quòd si iam sint id quod cum summo furore cupiunt, adepti. num illi in cinere vrbis, & sanguine ciuium, quæ mente conscelerata, ac nefaria concupierunt, se consules, ac dictatores, aut etiam reges sperant futuros? non vident se cupere id quod si adepti fuerint, fugitiuo alicui, aut gladiatori concedi sit necesse? Tertium genus est ætate iam confectum, exercitatione robustum: quo ex genere est ipse Manlius, cui nunc Catilina successit. Hi sunt homines ex ijs colonijs, quas Fesulis Sylla constituit: quas ego vniuersas, ciuium esse optimorum, & fortissimorum virorum sentio: sed tamen sunt hi coloni, qui se insperatis, repẽtinisq; pecunijs sumptuosiùs, insolentiusque iactârunt. hi dum ædificant, tanquã beati: dum prædijs, lecticis, familijs magnis, conuiuijs, apparatibus delectantur, in tantum æs alienum inciderunt, vt si salui esse velint, Sylla sit ijs ab inferis excitandus. qui etiam nonnullos agrestеis, homines tenues, atq; egenteis in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego vtrosq;, Quirites, in eo-

dem genere prædatorũ direptorumq; pono. sed eos hoc moneo, desinant furere, ac proscriptiones, & dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est ciuitati, vt iam ista non modò homines, sed ne pecudes quidem mihi passuræ esse videantur. Quartum genus est sane varium, & mistum, & turbulentum: qui iam pridem premuntur: qui nunquã emergent: qui partim inertia, partim malè gerendo negotio, partim etiã sumptibus, in vetere ære alieno vacillant: qui vadimonijs, iudicijs, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti & ex vrbe, & ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tã milites acreis, quam inficiatores lentos esse arbitror. qui homines primùm si starè non possunt, corruant: sed ita, vt non modo ciuitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. nam illud non intelligo, quamobrem, si viuere honestè non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur. Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum, quos ego à Catilina non reuoco. nam neq; diuelli ab eo possunt: & pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, vt eos capere carcer non possit. postremum autem genus est, non solùm numero, verum etiam genere ipso, atq; vita: quod proprium est Catilinæ: de eius delectu, immò verò de complexu

eius

eius,ac sinu: quos pexo capillo,nitidos,aut imberbeis,aut benè barbatos videtis manicatis,& talaribus,ac tritis tunicis: velis amictos,non togis: quorum omnis industria, vitæ, & vigilandi labor in antelucanis cænis expromitur. In his gregibus omnes alcatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq; versantur. hi pueri tam lepidi, ac delicati, non solum amare, & amari, neq; cantare, & saltare, sed etiam sicas vibrare & spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiam si Catilina perierit, scitote hoc in Rep. seminarium Catilinarium futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præsertim iam noctibus? quo autem pacto illi Apeninum, atq; illas pruinas, ac niueis perferent? nisi idcirco se facilius hyemem toleraturos putant, quod in conuiuijs nudi saltare didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum, cùm hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem prætoriam. Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia, vestros q; exercitus: & primum gladiatori illi confecto & saucio, consules, imperatores q; vestros opponite: deinde contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatem manum, florem totius Italiæ, ac robur educite. iam vero vrbes coloniarum, ac municipiorum respondebunt Catilinę tumulis sylue

stribus. Neq; vero cæteras copias, ornamenta, præsidia vestra, cum illius latronis inopia, atq; egestate debeo conferre. Sed, si, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamur, eget ille, senatu, equitibus R. populo, vrbe, ærario vectigalibus, cuncta Italia, prouincijs omnibus, exteris nationibus. si, inquam, his rebus omissis, ipsas causas, quæ inter se confligunt, cõtendere velimus: ex eo ipso, quam valde illi iaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc cõstantia, illinc furor, hinc honestas: illinc turpitudo, hinc continentia: illinc libido: deniq; equitas, tẽperantia, fortitudo, prudẽtia, virtutes omnes certant, cũ iniquitate, cũ luxuria, cũ ignauia, cũ temeritate, cum vitijs omnibus: postremò copiæ cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona deniq; spes cum omnium rerum desperatione confligit. In huiusmodi certamine ac prœlio, nonne, etiam si hominum studia deficiant, dij ipsi immortales cogant ab his præclarissimis virtutibus, tot & tanta vitia superari? Quæ cùm ita sint, Quirites, vos quemadmodum iam antea dixi, vestra tecta custodijs, vigilijsq; defendite: mihi, vt vrbi sine vestro motu, ac sine vllo tumultu, satis esset præsidij, consultum, ac prouisum est. Coloni omnes, municipesq; vestri, certiores à me facti de hac

nocturna

nocturna excursione Catilinæ, facilè vrbeis suas, finesque defendent, gladiatores, quam sibi ille maximam manum & certissimam forte putauit, quanquam meliore animo sunt, quàm pars patriciorum, potestate tamen in vestra continebuntur. Q. Metellus, quem ego prospiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumq; præmisi, aut opprimet hominem, aut omneis eius motus, conatusque prohibebit: reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, iam ad senatum referemus. quem vocari videtis. Nunc illos, qui in vrbe remanserunt, atq; adeò qui contra vrbis salutem, omniumq; vestrûm, in vrbe à Catilina relicti sunt, quanquam sunt hostes, tamen quia nati sunt ciues, monitos etiam, atq; etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc exspectauit, vt id quod latebat, erumperet. quod reliquum est, iam non possum obliuisci, meam hanc esse patriam, me horum esse consulem: mihi aut cum his viuendum, aut pro his esse moriendum. nullus est portæ custos, nullus insidiator viæ: si qui exire volunt, consulere sibi possunt: qui verò in vrbe se commouerit, cuius ego non modo factum, sed incœptum vllum, conatumve contra patriam deprehendero: sentiet in hac vrbe esse consules vigilanteis, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse carcerem: quem vindicem nefarioriorum, ac manifestorum scelerum

maiores

maiores nòstri esse voluerunt. Atq; hæc omnia sic agentur, Quirites, vt res maximæ minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum, ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum, ac maximum, me vno togato duce & imperatore, sedetur. quod ego sic administrabo, Quirites, vt, si vllo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac vrbe pœnam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestæ audaciæ, si impendens patriæ periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerint: illud profectò perficiam, quod in tanto, & tam insidioso bello vix optandum videtur, vt neq; bonorũ quis intereat, paucorumq; pœna vos omnes iam salui esse possitis. Quę qui dẽ ego neque mea prudẽtia, neq; humanis consilijs, fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis, & non dubijs deorum immortalium significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem, sententiamq; sum ingressus: qui iam non procul, vt quondã solebant, ab externo hoste, atq; longinquo, sed hîc præsentes suo numine, atq; auxilio, sua templa, atque vrbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari atque implorare debetis, vt quam vrbem, pulcherrimam, florentissimam potentissimamq; esse voluerunt, hanc omnibus hostium copijs, terra mariq; superatis à perditissimorum ciuium nefario scelere defendant.

IN M. T.

IN M. T. CIC. ORATIONEM CATILINARIAM SECVNDAM.

CVM *L. Catilina prima Ciceronis oratione perterritus, cum trecentis armatis ex vrbe, ruinam & exitium reipub. minitans discessisset, inq; Manliana castra contendisset. M. Cic. postridie contione aduocata, hanc secundam in Catilinam orationem ad Quirites habuit: in qua primum Catilinæ profectionem ex vrbe gratulatur Reipub. significans iam ab eo foris, non ita timendum esse, sicut ab eius coniurationis sociis, quorum magnam turbam adhuc in vrbe remansisse innuit. Quare post eis, etiam suadet, ducem vt comitentur suum, in eosq; seuerum se fore minatur, si cuius factum, vel conatum contra patriam deprehenderit. Tum ad confirmandos ciues, exercitum Catilinæ non esse pertimescendū indicat, commemorans certa quædam hominum perditorum, & effœminatorum nebulonum genera, qui se Catilinæ adiunxerint. Ad extremum tandem Quirites hortatur, vt ab eorum insidiis domos suas, custodiis vigiliisq; defendant, spem se magnam concepisse dicens conseruandæ vrbis, Deorum quibusdam significationibus, quorum opem quoque implorandam suadet, vt suo præsidio, rempub. defendere velint.*

Genus Quæstionis.

QVæstio huius orationis est definita, estq; composita, non simplex. Est enim & de facto, & de eo quod

facere oporteat. De facto talis. Cur Catilina non sit interemptus, sed potius crudeliter eiectus, De eo quod facere oporteat, talis. Bellum est necessarium contra hostem patriæ Catilinam.

Genus causæ.

Causa generis est deliberatiui: ornata enim est ornamentis generis deliberatiui, recipitq; inde & locos & tractationem. Nam locis illis ferè duobus constat. Necessario & facili. Nam & necessarium esse bellum ex periculis ostendit: & facile ex copiis. Dum autem occulte tractat eius partes, cur Catilina potius eiectus quam interemptus sit? Demonstratiuum erit genus causæ. Vtraq; enim non publica populi, sed priuata Ciceronis causa adhibita est. Atq; in prima quia plus periculi habebat, plus etiam elaborat: & quamuis seueritas lenitati permisceatur: lenitati tamen plus concessit.

Constitutio causæ.

Status in hac oratione non incommode spectari posse, hæc verba Cic. fere in fine Topic. docent. Atque etiam in deliberationibus, atque laudationibus, idem existunt status. Nam & negantur sæpe ea futura, quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore: si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In priori parte is status est. Sit ne laudandum quod Catilina eiectus potius quam interfectus sit: In posteriori. Sit ne bellum contra Catilinam necessariũ.

Dispositio.

Quatuor potissimum partibus constat hæc oratio. Exordio, Confirmatione, Confutatione & Conclusione.

sione. Narratione hic non multum opus est: quoniam hæc præteritarum, aut præsentium rerum est: suasio autem futurarum. Sparsim tamen hic Cic. de iis quæ cum Catilina acta sunt populum docet, omnemque hanc orationem ad fidem & motum, sed ad motum maxime refert. Propositione non semper vti oratorem Quintil. lib. 4. cap. 4. docet. Tum autem non vtitur, cum quid in quæstione versetur manifestum est. Expressit Cic. in hac oratione & illud de cælanda arte præceptum: inter dicendum enim è re nata, Confirmatio & probationes variæ & multiplices sequuntur. Ea enim grauiora sunt, quæ inuenta subito, non domo allata esse videntur. vide Quintil. lib. 4. cap. 5. Quare hoc loco Cic. partitionem seu propositionem significanter exprimere neglexit, quia manifestum erat quid versabatur in quæstione. De Catilina enim consultatio fuit. Si tamen diligentius consideraueris, hanc propositionem colliges Tempora ita postulabant, vt Catilina potius emitteretur, quam interficeretur.

Elocutio.

VTitur Cic. graui dicendi genere, & vario, & ad concitandos Quiritum animos accommodato.

EXORDIVM.

Inuentio.

EXordium sumptum est ab adiunctis rerum & personarum. Primo à persona Catilinæ, dum eũ apud Quirites in odium inducit, eius conatus describens,

furentem audacia, scelus anhelantem, &c. Secundo ab adiunctis rerum, dum dicit, Nulla pernicies parabitur. Tertio à persona Catilinæ, Catilinam dolere quod non interfecit nos. Beneuolentia paratur hinc quod tantam pestem, suo labore & industria sustulerit. Attentio excitatur, dum digna narrat, dum atrocia sublata esse pericula demonstrat. Non enim inter latera nostra sica versabitur. Docilitas ipsa non ex verbis, sed ex facto ipso, tragœdiaq; Catilinæ, quam facere inceptabat patuit. Proinde hic manifesta non est, nisi in sequentibus forte futura sit. Deinde hos fines, beneuolentiam, attentionem, docilitatem, parat penè in omnibus periodis. Docet enim & explanat, quis fuerit Catilina, nempe furens audacia, scelus anhelans, pestis patriæ, vrbis incendium moliens. &c. Deinde dum ita sublatum esse malum dicit, vt neque in campo, neque in curia, neque in foro, neque inter parietes domesticos quicquam periculi amplius superfuerit. Postremo dum gestum Catilinæ dolentis exprimit, ita vt quasi ipsũ ante oculos ponere videretur. Attentos vero, crebro & tota oratione, in excitandis mentibus iudicum, non modo prima denunciatione facit. Potest etiam hoc exordium dici, ab expectatione vulgi.

Dispositio partium exordij.

DIspositione Hermogenis vti videtur: ille enim quatuor partibus omne exordium constare vult. 1. Prothesi seu propositione. 2. Paraskeui seu confirmatione. 3. Apodosi seu reditione. 4. Basi seu exitu, vel conclusione. Quod exordium hisce quatuor partibus constat.

Proposi-

Propositio, *Catilinam scelus anhelantem & incendium molientem vrbe emisimus.*

Confirmatio, *Nullum periculum ab eo nobis intra mœnia comparabitur.*

Reditio, *Sed apertum bellum, cum aperto hoste, geremus. Eam partem amplificat à consiliis Catilinæ, quod ille, non aperte contra rempub. volebat pugnare, sed moliebatur ex insidiis cædem & incendia: hoc quia sibi Ciceronis Consilio ereptum videt, maximo dolore afficitur.*

Basis, *Ergo lætari debemus.*

Dispositio argumentorum exordij.

HOc *exordium in eiusmodi quæstione consistit. An ex discessu Catilinæ ex vrbe lætandum sit; Cuius quidem quæstionis primam partem à principio ex iis verbis*, Tandem aliquando Catilinam emisimus, *Posteriorem ex vltima periodo cognosces. Ergo Respub. lætari debet dum dicit*, Quæ quidem lætari mihi videtur, *sit talis Propositio.*

Lætari debemus. hæc post omnia argumenta collocata est.

Probatur autem rationibus.

1. *Ratio*, *Ex adiunctis sceleribusq; Catilinæ*, tandem aliquando, *Quia Catilina audax, furiosus, & reipub. pestem machinans profugit. Ergo lætandum est. Obseruabis vnicam tantum modo esse vniuersalem conclusionem argumentorum omnium, quæ in fine exordii collocata est.*

2. *Ratio*, Nulla enim, *à consequentibus*, *Quia*

Quia nullæ insidiæ sunt iam metuendæ à Catilina.

3. *Ratio,* *Ex adiunctis, Quia victus est Catilina.*

Confirmatio rationis. *Nam loco motus est; loco autem moti propemodum pro victis habentur.*

4. *Ratio,* Palam cum hoste, *Quia facilior erit belli gerendi ratio.*

Rationis confirmatio. *Nam Catilinam, ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus.*

5. *Ratio,* Quod vero, *ex adiunctis Catilinæ. Quia dolet Catilina, quod non cruentum gladium, vt voluit, extulit: ferrum enim ei de manibus extorsimus.*

6. *Ratio,* *Quia incolumes ciues, stantemq; vrbem reliquit.*

Conclusio, Quæ quidem lætari mihi, *Ergo nos lætari debemus.*

Elocutio.

GEnus dicendi est graue, *quod tum ex sententiis cognoscitur grauibus, & iis quæ tractant animos auditorum, aduersariorum autem perturbant, & attonitos reddunt: tum ex verbis sonantibus & grauibus vt furentum audacia, scelus, eiecimus, excessit, euasit, pestem: item ex verbis iunctis, vt emisimus, excessit, pertimescemus, depulsus: translatis: hîc enim sunt insignes metaphoræ, graues metonimiæ, addo, descriptio gestus Catilinary, ad viuum plane expressa: vt non narrari, sed res ipsa exhiberi oculis audientium videatur. Hoc ipsum quoque genus cognosci*

potest ex compositione, periodis, & numeris.

Compositio.

HAC *cum superioris orationis compositione concordat: ad asperitatem enim, suam componit orationem, in acerba, atque iram mouente causa: iustas enim querimonias parit iustus dolor. Eas itaq; vocales adhibet, quæ plenum sonum per se efficiunt, eumq; ad iracundiam compositum. Sæpius vtitur A & E vocalibus. vt. Tandem aliquando Quirites, Catilinam, furentem, audacia, pestem anhelantem, &c. quas excipit molestum atque sonorum V. vt, vrbe eiecimus, misimus, persecuti sumus, pulcherrimam tamen mutationẽ istius facit & gratã, dum A & I dèinde I & E, O, I, & O permutat, vt abiit, euasit, nulla iam pernicies, à monstro illo, atque prodigio. deinde finit A in I,* Comparabitur. *Ex consonantibus N & M frequentissimæ, & d, l, in principio sæpius. Postea vt varietas sit, s in medio assumit: vt domestici, sine controuersia, versabitur, sica, domesticos, pertimescemus.*

Periodi.

IN *graui genere solent esse breues & artificiosæ periodi. Sed hoc loco, quia est oratio ad asperitatem & vehementiam accommodata paulo longiores sunt. Prima periodus est monocolos, pluribus incisis ornata, incisa interiecit, abiit, excessit, &c. Sequitur deinde periodus trimembris, cuius protasim priore, apodosim posterioribus duobus absoluit membris, quodlibet verbum suis membris donat, membratim deinde suam orationem pronunciat.* Quod vero, *periodus bimembris, cu-*

bris, cuius principium duobus incisis, finem simplicibus verbis adornauit Reliquæ *sunt periodi vnius membri.*

Numeri.

IAcobus Strabeus, *hos numeros principiis conuenire docet, creticum, pæanem primum, quartum, Dochimum, Dichoræum, Molossum, Anapæstum. Vtitur in hoc exordio trocheo, & pæane tertio, dactylo, molosso, Tertiam periodum incipit à cretico & choriambo, finit in trochæum & dactylum; vltimam periodum finit in creticum, pæanem primum, Amphibrahim, & Ionicum maiorem,* pestem euomuerit, foraſq; proiecerit.

Figuræ ſententiarum.

PRima *est amplificatio morum Catilinæ, & sceleris, furentem audacia, scelus anhelantem, & cætera. Altera amplificatio à loci distributione, in campo, in curia, in foro, in priuatis ædibus, Tertia ex ipsius frustratione,* Non extulit cruentum mucronem, nobis viuis excessit, ferrum illi extorsimus, ciues incolumes, stantem vrbem reliquit: *ista vno verbo satis exprimere erat, quæ variis atque variis phrasibus effert, Est & insignis characterismus, quo Catilinæ corpus, & mores, gestumque exprimit ab eo loco. Iacet ille nunc prostratus. Talis est descriptio filiarũ Erebi apud Virgil. lib. 6. Vestibulum ante ipsum primusque in faucibus orci luctus, & vltrices posuêre cubilia curæ, pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus, & metus, & malesuada fames, & turpis egestas, terribiles visu, formæ, læthumque laborque. & cæ-*

Sic Te-

Sic Terentius mores exponit Trasonis, Mitionis, Menedemi.

Figuræ verborum.

FVrentem, anhelantẽ, peſtem, *metaphoræ*, vrbi ferrũ flamma, *metonimiæ*, vel vel, *diuiſio*, Eiecimus, emiſimus, proſecuti ſumus, *ſimiliter deſinens & diſſolutum*, Abijt exceſſit, *articulus, & congeries verborum idem ſignificantium*, Monſtro prodigio, *metonimiæ & metaphoræ*, Mænibus mænia, *traductio & ſynechdoche*, verſabitur, depulſus, impediente, *metaphoræ*, hominem, *metonimia*. Mucronem, viuis nobis, ciues vrbis, *ſynechdoche*, ferrum, *metonimia*, Afflictum, profligatum, iacet, proſtratus, perculſum, abiectum, ſentit, retorquet, faucibus ereptam, euomuerit, proiecerit, *metaphoræ*.

Secunda pars orationis confirmatio,

At ſi quis eſt talis.

PArtes huius confirmationis ſunt tres. *In prima* rationem ſui conſilii Cicero declarat, cur non interficiendum potius, quam emittendum Catilinam duxerit. *In ſecunda parte.* Reuocat orationem à Catilina, ad vrbanos coniuratos, tanquam magis timendos, & in vniuerſum diſſerit, omnes coniuratos deſpiciendos eſſe, quæ eſt pars præcipua orationis. *In tertia* adhortatur Quirites, ad bellum contra Catilinam ſuſcipiendum.

Inuentio confirmationis & diſpoſitio.

EX variis locis tum propriis, tum communibus, tum ab arte ſumptis, tum extra artem poſitis vtitur Cic. argumen-

argumentis in confirmando. Dispositio autem qualis esse debeat Cic. in partitionibus oratoriis docet. Varii sunt inquit ordines collocandi. Nam aut temporum seruantur gradus, aut generum distributiones, aut à minoribus ad maiora ascendimus: aut hæc, in æquabili varietate distinguimus, cum parua magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, lætatristibus, incredibilia probabilibus inteximus. Quæ omnia Cic. hoc loco exprimit. Seruat temporum gradus, dum exaggerans Catilinæ scelus & audaciam, primum præteritū, deinde præsens tempus scelerum diligenter notat. Generis distributionem obseruauit hoc loco potissimum, dum scelus per species diduxit, homicidium, latrocinium, subiectionem testamentorum, deceptionem, adulterium, stuprum, cædes, &c. A maioribus ad minora delabitur, cædes, incendia, rapinæ, A minoribus ad maiora, Quod si in vino, & alea, & cætera. Distinguit varietate, dum nunc exclamat, nunc triumphat, quasi iam adeptus victoriam, nunc timorem incutit. Atque hæc est in sententiis collocatio. Verborum collocatio prope ea est, quam ipse Cic. 3. de orat: complexus est. Hæc collocatio conseruanda verborum, quæ iunctam orationem efficit, quæ coherentem, quæ lenem, quæ æquabiliter fluentem, Id assequimini, si verba extrema cum sequentibus, primis, ita iungetis: vt neque aspere concurrant, neque vastius diducantur. Et paulo superius. Collocationis est componere, & statuere verba, sic: vt, neque asper eorum concursus, neque hiulcus sit, sed quodam modo coagmentatus & lenis. Coagmentatū cursum hoc loco specta, patri-

monia

monia sua profuderunt, fortunas abligurierũt. *Argumentorum collocatio hæc est. firma in principio, in medio probabilia, in fine firmissima ponuntur. Posuit enim Cic. primo argumenta ab vtili. In medio amplificationes de sceleribus Catilinæ sunt: In fine illud argumentum à minori ad maius, quod acerrimum est & efficax, collocauit.*

Prima pars confirmationis.

NE hæc pars vagetur per incertos fines, certus terminus constituendus, ad quem omnia argumenta dirigantur. Sed quia orator propter copiam & ornatum dicendi, eum terminum variat, ne videatur idem multoties dicere, singulis argumentis eandem conclusionem repetere, ideo quibusdam ista expositio forsan videbitur friuola esse. Sed tamen si diligentius rem quam tractat, spectes, inuenies ad eum scopum tendere, vt confirmet.

Melius Reipub: esse ex Catilina emisso, quam eiecto.

QVam propositionem statim in principio habes, hisce verbis prolatam. Quod Catilinam non interfecerem non est hæc mea culpa, sed temporum. Quid enim hæc verba aliud sonant, quam sic postulabat res, mores hominũ, vt emitteretur, potius quã occideretur. Itaq; emissus est. Sumit autem initium confirmatio ab his verbis, Interemptum esse L. Catilinam, *quam callide Cic. à concessione inchoat, ne auditorũ animos offendat, si statim ex abrupto neget. Quasi dicat. Accusatis me, quod Catilinam emiserim potius, quam occiderim: ita est, sim accusandus, si atrocitatem facti*

spectetis, si rem ipsam, incommoda multa, quæ consequutura erant interfectum Catilinam, immerito à vobis accusor. Itaque ad eam propositionem omnia argumenta referemus.

Melius fuit Catilinam emittere, quam interficere.

Hanc probat & confirmat iis argumentis.

Primum argumentum, ac si sublato, *ab vtili, tum ab adiunctis.*

Propositio, Si iudicarem interfecto Catilina à vobis omne periculum depelli posse, interfeciſsem.

Assumptio, Sed non iudicaui.

Maiorem exprimit, minorem vero aliis verbis immutat, cuius præmisit probationem, quia alii non crederent improbe, alii stultè, coniurationem à Catilina esse factam, alii fauendo illi, defenderent eum: itaque grauius malum timui.

Conclusio, Rem huc deduxi, *Melius ergo erat efficere apertum hostem, quam occultos, quos persequi non possem. Sed emissione, apertus est hostis factus, cæde multi occulti essent, hostes. Ergo melior est Catilinæ emissio quam cædes.*

Secundum argumentum, Quem quidem ego, *Ab adiunctis egressorum, & eorum qui remanserunt in vrbe.*

Propositio, Abitu seu emissione, hostem Catilinam effeci potius contemnendum: hos vero qui remanserunt, metuendos.

Ratio primæ partis ex adiunctis exercitus. Is enim hostis, habet exercitum ex senibus, mendiculis, decoctoribus,

cōctoribus, vadimoniorum desertoribus, & cæteris id genus collectum.

Amplificatio, A minori ad maius. Ab edicto prætoris concident. Ergo multo magis ab exercitu.

Ratio secundæ partis, Hoc quos video, *Non tam enim illi, qui sunt extra vrbem, coniurati, sunt metuendi, quam ij qui remanserunt in vrbe, formidandi.*

Confirmatio, Non permouentur enim, tametsi scit magistratus eorum consilia prona esse ad euertendum rempublicam, dum Catilina ipse pertimuit, & profugit, ideo contra eos seuerum se fore comminatur, iubet que eos otius ex vrbe discedere, næ illi vehementer, *Amplificans suum officium & prætermissæ lenitatis finem ostendens. Officium consulare exigit: vt in tanta scelerum multitudine & atrocitate finis sit lenitati, seueritas adhibeatur. Hoc autem facit, vt minis compellat ad exeundum eos, qui remanserunt, quod palam ostendit infra.* Exeant, proficiscantur, &c. *Hortaturque eos obiter ironicè, ab æquo. Quia iniquum est pati, tabescere desiderio, ducem suum Catilinam. Item à facili, quia via facilis est, & breue tempus est ad cōficiendum iter.*

Tertium argumentum, O fortunatam Remp. *à comparatis, proprio vero vtili.*

Catilina emissō, eiectum est malum: occiso foueretur.

Ergo melius est emittere, quam occidere.

Antecedens amplificat, me hercule, *per frequentationem, siue congeriem variorum malorum,*

quibus respub. post discessum Catilinæ liberata sit: & enumerationem Catilinæ & coniuratorum eius, scelerum. Potissimum autem hic enumerat, audaciam, intemperantiam, cæteraq; naturalia virtutum semina, in habitus vitiosos conuersa.

Quartum argumentum, Hunc vero, *à minori ad maius.*

Propositio, Catilina emisso, ciuitas melius habere cæpit.

Amplificatio per congeriem incommodorum. Multis siquidem incommodis liberauit Catilina Romam: iam enim non sunt mediocres hominum libidines. Quod si hunc sui comites secuti fuerint, quam beata, quam fortunata respub. quæ præclara laus mei consulatus esset.

Conclusio, Melius ergo erat Catilinam emittere, quam eijcere.

Quintum argumentum, quod si in vino, *A proprio, tuto, communi vero dissimili.*

Propositio, Melius est apertum hostem emittere, quam insidiatores relinquere.

Assumptum, Sed egressus Catilina, apertus hostis est: relicti vero insidiatores non ferendi.

Probatio assumpti, Quia hic qui sunt relicti in vrbe coniurati, bonis viris insidiantur, eructant sermonibus suis nihil, nisi cædem bonorum, & vrbis vastationem: quibus Cic. ominatur exitium: reipub. vero victoriam, vt eos ab instituto deterreat: populum vero aduersum eos confirmet.

Ergo tutius insidiatorem emittere quam fouere.

Sextum

Sextum argumentum, Quod si meus, *à consequentibus.*

Si sustulissem ex vrbe & hos qui remanserunt, adhuc permulta tempora floreret respub.

Ergo melius erat, & Catilinam emittere.

Antecedentis ratio, Quia consequeretur bellum apertum & contemnendum, sicut Catilina emisso consecutum est, & ita hostes facile delere possemus: omnes enim hostes externi pacati sunt: cum ijs solum nobis pugnandum esset. Hanc rationem primo à suo in rempub. conseruando studio amplificat, Huic ego me bello, *dum se ducem contra Catilinam eiusq; socios ex vrbe egressuros fore pollicetur: deinde ab officio, dum se, non crudelem ducem, qui omnia prosternat, vastet, euertat profitetur: sed prudentem, qui quos viderit resipiscentes, & contra rempub. non rebelles, hos cum repub. reconciliet.*

Septimum argumentum, At etiam sunt, *A consequentibus.*

Accusant me, quod Catilinam eiecerim, cum emissus sit.

Ergo si occideretur, consequeretur, vt me crudelissimum tyrannum vocarent.

Antecedens probat primo à pari: Hos qui hæc dicunt non possum vno verbo eijcere. Ergo neque Catilinam potui.

Secundo ab adiunctis Catilinæ.

Antecedens Catilina timidus non est. Quod probat à signis. Quia vix me heri non interfecit, & tamen audebat venire in senatum: & cum nemo illum salu-

tasset cum omnes fugerunt: tamen ille sedebat.

Conclusio. *Ergo non pareret, si vellem eum ejicere vi. Est autem hic occupatio, per quam diluit, quod objici poterat. Satius scilicet fuisse tantum hostem patriæ interfici, quam emitti.*

Octauum argumentum, hic ego vehemens ille consul, *à genere ad speciem, vel à toto ad partem.*

Neminem ejicio. Ergo nec Catilinam.

Deinde narrat, qua occasione & quibus verbis permotus Catilina, exiuerit, eius scelera indicans.

Nonum argumentum, ab oppositis, Qui egressus est, *ad bellum, non ejicitur in exilium,* cum hæsitaret, *Catilina egressus est ad bellum. Ergo non ejectus est. Maiorē ponit dum dicit,* in exilium ejiciebam, *Minor probatur superius, scilicet quod ad bellum egressus. Quia arma, secures, fasces, aquilam præmisit.*

Decimum argumentum à signis.

Manlius non facit bellum suo nomine, expectat itaq; ducem Catilinam.

Ergo non ejectus est Catilina, sed vltro cessit.

Antecedens probat. Et illa castra. *Quia castra ducem Catilinam expectant, quia Catilina se ad illa recta contulerat. Exclamatione deinde querimoniaq; vtitur aduersum iniquissima hominum de sua fide iudicia, qui se crudelem tyrannum appellaturi fuissent si in exilium Catilina abijsset, vbi clandestinos Catilinæ fautores oblique perstringit, atq; adextremum ostendit, Catilinam ex vrbe discessisse, non vt iret in exilium, sed vt bellum contra patriam susciperet. Hinc*

conclu-

concludit. Concedo istud maleuolis, vt dicatur, à me eiectus. Eat igitur, & liberet nos metu. Si ibit in exilium: ego magnam inuidiam subibo: sed ego eam non recuso, nec peto à dijs, vt hanc mihi leuarent.

Vndecimum argumentum.

Sed cùm sint homines, *ex consequentibus, quæ tractatur per minoris & maioris comparationem*

Eiecto Catilina magnum incommodum est.

Ergo interfecto maius esset. Itaq; melius erat emittere quam eijcere, quod ego feci. Hanc rationem amplificat à scelere maleuolorum, quanquam isti, *probatq; iterum Catilinam in exilium non iturum, ex adiunctis ipsius, quem ea voluntate, & his moribus præditum esse docet, vt etiam si non ex animi sententia bellum sibi contra patriam succederet, malit tamen latrocinans interfici, quam in exilio viuere. Quæ omnia Cic. ad debilitandos coniuratos, bonos autem ciues confirmandos commemorat.*

Elocutio.

QVoniam rebus ipsis par & æqualis debet esse oratio, *Res enim magnæ maiestatem & grauitatem orationis, humiles & familiares subtilitatem, mediocres mediocritatem requirunt. Hæc quoq; causa, quoniam grauis & magna est, sublimi quoq; genere ornata est. Sunt adhibitæ figuræ graues, quæ augustam & grauem orationem efficiunt: vt grandes metaphoræ, interrogationes vehementes, exclamationes, articuli,*

repetitiones. Affectus adhibentur, vtriq; & leniores, & concitatiores. Leniores sunt in ijs sententijs. Vtinam ille omnes suas copias eduxisset. ô fortunatam Remp. si quidem hanc sentinam huius vrbis eiecerit & cætera Concitatiores hoc loco: Quæ cædes per hosce annos sine illo facta est, &. Hoc vero quis ferre posit inertes homines, fortissimis viris insidiari stultissimos, prudentissimis. Et in antitetis. Non diligentissimum Consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Et cùm profectus sit, eiectum esse dicunt: ijdem si interfectus esset quid dicerent.

Figuræ.

AT si quis est talis. *Prolepsis seu præoccupatio*, interemptum esse, *paromologia seu concessio.* At si sublata, *continua est, densa, & continens frequentatio verborum, cùm argumentatione conclusa.* Vtinam ille, *optatio*, Quos viros, *Emphasis.* Collectum ex senibus, *Congeries, seu coacervatio verborum idem significantium.* Quibus ergo, *amplificatio per non modo, sed etiam.* Hos quos video. *congeries*, quos si hic, *cõminatio*, cui Apulia, *polioptoton.* Exeat proficiscantur. *concessio*, nisi vero, *ironia*, ô fortunatam, *exclamatio*, Quid enim mali, *Amplificatio quæ longissime protrahitur, quã exornat interrogationibus per vices.* Quæ cædes per hosce annos, *amplificatio à præterito tempore*, in angulo, *hyperbole*, nemo, *anaphora*, mediocres libidines, *auxesis*, cædes, *gradatio, qua à maximis ad minora gradatim descendit. obseruandum etiam est, quod ordinem*

dinem naturalem in verbis non immutat: nam ex cædibus, incendijsq́, rapinæ, fortunas suas, *Congeries & omioteleuton,* inertes fortissimos, *antiteta.* Qui mhi accubantes, *Characterismus, quo gestus voluptariorum elegantissime describit.* Quibus ergo, *ominatio:* improbitate nequitiæ, *Expolitio ex verborum coaceruatione,* Quos si, *promissio & asseueratio,* nulla est enim, *enumeratio & congeries sententiarum,* Domesticum bellum, *expolitio verborum & congeries sententiarum,* sanari sanabo, *polyptoton,* Quæ sanari, *consultatio,* proinde exeant, *concessio cum cõminatione,* At etiam sunt, *prolepsis seu occupatio,* timidus & permodestus, *ironia,* vocaui detuli, *similiter desinens,* perditum ciuem, *auxesis,* Quin etiam principes, *expolitio,* vehemens eijcio, *ironia,* Quæsiui à Catilina, *prosopopœia seu dialogismus,* Quid ea nocte, *apophasis,* cum arma *congeries,* quæsiui quid, *prosopopœia,* credo, *ironia,* ò conditionem, *exclamatio quam sequitur congeries & amplificatio,* non improbum, *antiteta,* dicũtur sane, *concessio,* emiserim eiecerim, *omioteleuton.*

Ex minutioribus illis sunt.

CRebræ *metaphoræ, vt exultat, triumphat, capitalis oppressus persequi, deduxi videritis, sublato, depelli, motum, decoctoribus, concident, sentiunt, patefeci, errant, assecutus, aperte, flagitant, tabescere, sentinam, ex hausto, releuata, recreata, greges, prosuderunt, abligurierunt, impendere, eructant, sanare, sustulerit, intus, inclusum, resecanda, erunt, perniciem*

manare, circumclusus, debilitatus, abiecerit cursu, iter, spoliatus, obstupefactus, depulsus, leuanda, volitare. Metonimiæ. vt prætexta, popinam, agresti, purpura, noctis lenitatem, respublica, iuuentutis, fortunas, libido, alea, vino, vrbis, improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini, luxuriæ, amentia, scelere, ciuitatis, mente, vocem, castra, Reipublicæ, consiliis, laboribus, periculis, nefarii. frequenter etiam Cic. vtitur synechdoche, vt foro, curiam, sicarius, virtutis, fatum, homo. Vtitur etiam periphrasibus, vt sceleris, sadus, pro coniuratione: anaphoris, dissolutis.

Secunda pars confirmationis,
Sed cur tam diu.

PRæcisione reuocat cursum orationis ad socios coniurationis Catilinæ, quorum per prolixam distributionem, enumerat sex genera, ostenditque quid de vnoquoque genere sentiendum sit, quamque nihil, vel parum omnes sint metuendi. Ad quam quidem enumerationem idoneum sibi facit aditum, dum dicit. *Exponam vobis Quirites*, vbi proponit simul ac diuidit, de quo deinceps dicturus est, quod pertinet ad docilitatem. Conciliat etiam beneuolum auditorem, quos quidem ego, *dum dicit se eos, qui sese Catilinæ coniunxerunt, velle potius sanare, ac reconciliare Reipub. quam bello persequi. Genus autem causæ huius partis est deliberatio. Porrò in hac parte placuit eiusmodi constituere propositionem, ad quam omnia argumenta dirigantur.*

Coniura-

Coniuratorum consilia irrita sunt.

Hanc probat sex argumentis.

Primum argumentum sumptum ex primo genere coniuratorum, vnum genus est eorum.

In hoc argumento primo personas describit seditiosorum & perditorum hominum, quos facit locupletes, obæratos, vsuris grauatos, qui cum amplas possessiones haberent, æs tamen quod debebant soluere creditoribus, nolebant. Verum nouas tabulas de ære alieno remittendo & vsuris minuendis, expectantes à Catilina, ad eum ipsum accesserunt. Sed hanc eorum iniquam spem ex repugnantibus Cic. refellit, significans se prolaturum quidem tabulas, verum auctionarias, quibus videlicet cogerẽtur omnes isti, qui creditoribus suis satisfacere nolunt, suas possessiones auctioni, & venditioni publicæ subijcere, vt sic ex redacta per auctionem pecunia, si non sua sponte, magistratuum tamen authoritate impulsi, suis creditoribus omnia persoluerent debita, & ita fidem suam atque famam liberarent.

Secundo, Quid expectas, *consilium eorum explicat & refutat dilemmate.*

Propositio, *Vel expectatis bellum, vel tabulas:*

Confirmatio, Neque enim, *Quia alia ratione non potestis retinere possessiones.*

Assumptum, *Si bellum, frustra.*

Ratio, Nam *in vastatione non erunt tutæ vestræ possessiones.*

Si nouas tabulas eas non consequemini, sed potius auctio-

auctionarias. Hoc amplificat, Quid si maturius, *ab eorum inertia & stulticia. Si non expectaretis vt vsuræ, fructus prædiorum vincant. & meliores, & locupletiores, essetis.*

Tertio, Sed hosce, *Hos primi generis aduersarios, non esse pertimescendos ait.*

Primam rationem dat, quia illi possunt deduci de sententia.

Alteram, Quia illi suis possessionibus timentes, magis pro rep. vota facturi domi quiescentes, amore possessionum suarum, quam eam ipsam oppugnaturi videantur.

Secundum argumentum ex altero genere coniuratorum, Alterum genus est eorum.

In hoc primo personas & qualitatem Cic. describit coniuratorum. Personas notat, indicans obnoxios esse æris alieni, egenos: qualitatem, dum eos ambitiosos honorum, hoc motu ciuilis belli notat, quos quieta repub. se consequi posse non arbitrabantur.

Secundo, quibus hoc præcipiendum, *Refutat eorum consilium per inficiationem.*

Propositio, Nego vos consequi posse honores, *dominationem.*

Ratio 1. Primum omnium, *ab impossibili: Quia ego vigilabo, & magni sunt animi, in bonis viris ad resistendum vestris conatibus, magna concordia, maxima multitudo, magnæ copiæ militum, adextremum ipsi auxiliatores erunt.*

Ergo non consequemini honores & dominationem.

Ratio 2. à repugnantibus. Quod si iam sint.

Quia

Quia etiã si vicerint coniurati, optatos tamen honores in seditione, & vrbis exitio nequaquã assecuturi sunt.

Confirmatio. *Quia nulla dignitas consulis, aut regis, vel dictatoris potest esse in vastatione vrbis. Hãc amplificat,* non vident, *ab eorum præcipiti stulticia cuius loci sensus est. Hæc area quæ extabit post vastatam vrbem, potius gladiatoribus & fugitiuis, quam honores capientibus, concedetur.*

Tertium argumentum.
A tertio genere coniuratorum ductum.
Tertium genus.

PRimò personas huius generis coniuratorum describit. *Sunt autem in hoc ordine, veterani Syllæ milites, rustici quidam mendiculi, profundentes bona sua, qui in tantum æs alienum inciderunt; vt si salui esse velint, suscitandus esset Sylla à mortuis, vtriq; rapinis ac cædibus inhiantes. Tandem ijs consulit, vt turbare ciuitatem desinant, cùm sint omnibus inuisi, adeo, vt eorum insolentiam, pecudes etiam perpessuræ non sint, nedum ciues Romani tollerare debeant.*

Quartum argumentum.
A quarto genere coniuratorum
Quartum genus est.

IN *hoc genere Cic: primo constituit homines oberratos, ignauos, profusos, decoctores, iudicijsq; damnatos. Quos,* hosce ego, *per contemptum transit, non refutando acrius, ijsq; turpissimum exitum ominatur.*

Prime

Primo à consequenti. Stare non possunt. Corruent igitur. Deinde expolit conclusionem: Ita cadent, vt in illorum casu nulla sit iactura Reip. & vicinis omnibus. Secundo ex adiũctis, nam illud non, *vixerunt turpiter. Ergo corruent. Tertio ex adiunctis.* aut cur minori, *Malunt cùm multis in bello, quam domi soli perire. Ergo corruent.*

Quintum argumentum.
A quinto genere coniuratorum.

IN quinto genere ponit insigniter scelestos parricidas, sicarios, facinorosos, quos tanquam perditos & desperatos omittit, & perire simul cum Catilina optat.

Sextum argumentum.
Ex sexto genere coniuratorum.
Postremum.

IN hoc primo cõiuratos per hypotiposim suis coloribus depingit, eosq; statuit homines delicatos, libidinosos, & luxu perditos. Secundo, quorum omnis industria. *adducit eos in contemptum ex antecedentibus, sensus est. Omnes suam industriam in voluptatibus consectandis consumunt. Ergo ad bellum inepti sunt: Tertio.* Verum tamen quid sibi isti, *Eosdem resutat ex adiunctis belli, quæ repugnant eorum delicijs. Nam ad bellum proficiscentibus relinquenda sunt voluptates, tædium omne perferendum, asperitas hyemis, quamuis maxima sit tolleranda est. Hi istis carere non possunt. Ergo nihil in bello efficient. Confert tandem,* nisi

nisi idcirco, *eorum conuinia ad castra, & nuditatem ad armaturam.*

Vltimo hanc secundam confirmationis partem vniuersaliter concludit exclamatione per ironiam posita. Ergo bellum, ex tantis hominibus collectum non est pertimescendum. Habet autem hæc conclusio magnam occasionem sequentis adhortationis, in qua enumerabit Romanorum copias, vt sic per collationem virium, ciuium bonorum, & coniuratorum exercitus, à Romanis timorē depellat. Dispositio autem huius partis talis est. Primo, personā coniuratorū describit. Deinde qualitatem eorum notat, vt primi generis species honesti, reuera impudentissimi; secundi ambitiosi. Tertio consilia eorum tangit. In primis quidem duobus significanter, in cæteris vero generibus non exprimit: quoniam idem est consilium eorum, cum superioribus, vt Remp. inuadant. Postremò eorū consilia suis argumentis reprehendit, ac irrita facit.

Elocutio.

GEnus dicendi est temperatum ac mediocre, *vt in narratione fieri par est. Adhibet affectus leniores eosq; varius, vt in illa amplificatione stulticiæ.* Quod si maturius. & mihi illi in cinere vrbis & sanguine ciuium, &c, &, tantum illorum temporum &c. &, nam illud intelligo. &, num suas secum mulierculas, *Exclamatio in fine semel, sed admodum apte adhibita est.*

Figuræ sententiarum.

SEd cur, *transitio*, Quos quidem ego *consultatio*, magno maioris, *parnomasia*, sunt enim, *parentesis*,

rentesis, agris tu, *apostrophe*. Quid enim, *prolepsis*, Quod si, *amplificatio grauissima*, Expectant *articulus cum antitetis*, Quibus præcipiendum, *prolepsis*, primum omnium, *congeries rerum & causarum*, Quod si iam, *concessio* quæ mente, *parentesis non sine affectu*, non vident, *amplificatio*, vt si salui, *prolepsis tertij generis per impossibile*, Hosce ego, *antitesis*, Qui homines, *prolepsis quarti generis*, Sed ita, *Expolitio & correctio sententiæ*, Et pereant sane, *optatio vel potius execratio grauissima*, In his gregibus, *congeries cum summa animi contentione*, Amare, amari, *paria paribus reddita*, scitote, *comminatio*, verumtamen, *consultatio*, ô bellum, *exclamatio cum interrogatione*.

Figuræ verborum.

HOste hostem *polyptoton*, sanare, *metaphora*; Reip. *metonimia*, (medicinam, *disolui*, *maturius deduci*, *premuntur*, *consequi*, *clarissimo*, *robustum*, *sentio*, *repentinus*, *iactant*, *tenues*, *furere*, *inustus*, *Mixtum*, *turbulentum vacillant*, *defatigati*, *stare corruant*, *sentiant*, *diuelli*, *complexu*, *sinu*, *gregibus seminarium*) *metaphoræ*. Argento, familia, sceleris, cinere, sanguine, colonus, temporum, ciuitas, pruinas, niues, *metonimiæ*, tabulæ, magnos, amare, *polyptoton*, vrbis, ciuium, dictaturas, sicariorum, latrocinio, mulierculas, *synechdoche*.

Tertia pars confirmationis.

Instruite nunc Quirites.

ADhortatur Quirites ad bellum contra Catilinam susciendum, estq; generis deliberatiui. cuius tanta

tanta est energia, vt rebus ipsis quam verbis incitet, nulla enim est mentio suscipiendi belli, nulla conclusio, sed bellum ipsum gestu & voce exprimit, milites quasi iam in acie congressuros ordinat, in pugnam strenuè educit, tanquam non oratorem, sed imperatorem belli ageret, exitum belli victoriam, quasi in vera pugna facit, dum ait, virtutibus tot, & tanta vitia superari.

Dispositio partis huius.

Propositio. Quirites arma sumite aduersus nefarium Catilinam.

Ratio. Superabitur enim facile.

Confirmatur ratio quinq; argumentis communibus ferè omnibus à comparatione ductis; propriis vero, honesto & facili, quibus plurimum persuadet. Confert enim, primo personas interse, principes cum principibus, milites cum militibus, deinde vrbium praesidia, quae ciuibus bonis, firma satis adesse, seditiosis autem & coniuratis, non esse, tradit. Postea causas ipsas belli, ex adiunctis variis, quibus Catilinae & sociorum eius conatus, modis omnibus, inferiores esse demonstrat, quod prolixa congerie tractat: singula primum singulis, deinde pluribus: tum paria paribus opponens.

1. *Argumentum*, instruite, *comparatorum sumptum ab adiunctis exercitus vtriusq;, Catilinae & Quiritum, proprius vero est à loco facili. Catilinae copiae contemnendae sunt, nostrae vero firmissimae. Ergo Catilina superabitur.*

2. *Argumentum*, Deinde contra illam, *ab*

adiunctis ducum & militum, item à loco possibili. Catilina dux est fugitiuus, gladiator, vulneratus: nostri duces integri, firmi: Catilinæ milites sunt vulnerati, prima congressione confecti: electi, naufragi: nostri flos & robur totius Italiæ. Ergo Catilina superabitur.

3. *Argumentum*, neque vero, *ex loco communi comparatione adiunctorum, rerum necessariarum ad bellum, proprio vero loco possibili. Nos omnibus rebus ad bellum necessariis abundamus; ille eget. Ergo Catilinam vincemus.*

4. *Argumentum*, si, inquam, *Ab adiunctis causarum belli, proprio vero honesto. Nostra belli causa honesta est, illorum inhonesta. Ergo pro honestate merito depugnandum. Antecedens probat*, ex hac enim parte, *paria paribus conferens. Catilinarios fraus, scelus, petulantia, incitat ad bellum: nos fides, pietas, pudor. Ergo nostræ causæ belli meliores, & proinde honestiores sunt.*

5. *Argumentum*, in huiusmodi, *à loco communi proprietate & officiis rerum, proprio vero necessitate, sumptum. Bonas causas necesse est sortiri bonum finem. At nostræ causæ belli, meliores sunt, illorum pessimæ. Ergo nostras causas finem bonum assequi necesse est, illorum vero malum. Nos ergo victores, illi victi cuadent. Obseruanda sunt hoc loco diligenter contraria, quæ inter se conferuntur satis prudenter & erudite.*

Dispositio argumentorum est iudicij: non enim sequitur artis præcepta in argumentis collocandis, sed iudicium

iudicium suum. Primo enim à facili, deinde à possibili, postea ab honesto, vltimo à necessario argumenta collocat Sententiarum dispositio etiam est iudicij, dum gladiatori, consules: naufragis, florem Italiæ opponit. Deinde sequitur ordo naturalis, dum prius præstantia ponit. vt in ornamentorum præsidiorumq; cum inopia & egestate comparatione. In hoc quoq; loco dum virtutes, cum vitiis confert: virtutibus primum, vitiis secundum assignat locum.

Elocutio.

Elocutio est ad commouendos animos apta summi generis dicendi, dum bonos cum malis, virtutes cum vitiis summa animi contentione comparat. Metonimiæ frequentissimæ sunt. Amplificationes & verborum & rerum insignes, ex variis rerum circumstantiis sumptæ, congeries, contentiones, summo & graui animi motu continuatæ. Affectus vehementes quos non tantum sententiæ, sed etiam verba ipsa excitant. vt, gladiatori, confecto, & saucio, latronis, inopia, & egestate, ad extremum in comparatione virtutum & vitiorum.

Figuræ sententiarum.

Præclaras, ironia est acris, est quoque in tota sententia characterismus hoc est belli descriptio, neq; vero, Amplificatio grauissima à rebus sumpta, ex hac enim parte, Antitesis, & congeries causarum grauissima & vehemens, in huiusmodi certamine,

ominatio in qua bene, bonis: male, malis, ominatur.

Figuræ verborum.

VEstra, *polyptoton*, præsidia, *metonimia*, gladiatori, debilitatam, florem, robur, coloniarum, municipiorum tumulis, *metaphoræ*, præsidia, inopia, egestate, senatu, ærario, italia, prouinciis, exteris, pudor, petulantia, stuprum, fraudatio, *metonimiæ*, iaceant certamine præclarissimis, *metaphoræ*, tot & tanta, *polyptoton*.

Compositionem grauem & concitatam, verba ipsa declarant, augentur atque insurgunt sententiæ, naturalis ordo vbi commode fieri potuit seruatur, interdum pro affectus exigentia variatur, ad extremum ingreditur continuo fluxu, & nusquam offendit oratio.

Quoniam autem ad affectum grauem componitur oratio, ideo negligentius periodos obseruat, vt non præmeditatus videatur dicere, sed ex ipso rerum affectu.

Numeri in hac oratione, sunt qui maximè probantur, vt est pæan primus, pæan tertius, epitriti, creticus, ionici antibachius, trochæus, dactylus.

Peroratio, *Quæ cum ita sint,*

Inuentio & dispositio.

Hæc constat partibus quinque.

1. *Est adhortatio, in hac ciues ad vrbis defensionem hortatur, simulq; operam suam in comparandis præsidiis pollicetur.*

2. *Est*

2. *Est breuis antedictorum repetitio*, coloni omnes, *in hac ex illis quæ hactenus in oratione dixit præcipua enumerat. vbi primum præsidia vrbis, coloniarum, & municipiorum cum nouis præsidiis Catilinariorum confert, magnamq; spem victoriæ in Q. Metelli, contra Catilinam, exercitu, & in sua senatorumque diligentia ponit.*

3. *Est adhortatio*, nunc illos, *in qua eos qui remanserunt in vrbe, hortatur, vt exeant, libertatemq; ipsis, egressionis promittit.*

4. *Est comminatio*, Qui vero, *in hac grauissimè comminatur ei, si quis se in vrbe contra rempub. mouerit, simulq; officium suum atq; diligentiam in propulsandis & vindicandis hostibus promittit: & vt omnem eius rei à se inuidiam remoueat, significat se omnia sedulo facturum, vt ex tanti periculi metu, rempub. ad tranquillitatem pacemque reducat: & vt vel in neminem, vel certe in paucos, si requirat necessitas, animaduertat. quod studium suum viuo testimonio, ad maiorem populi confirmationem auget.*

Vltima est commemoratio signorum atque indiciorum diuinæ beneficentiæ erga populum Romanũ, quæ quidem ego, *In hac commemorando beneficia Deorum, spem firmiorem in animis Quiritum, consequendæ pacis excitat, simulq; eosdem adhortatur, ad venerandos Deos, vt ij tam graui periculo, & calamitate Romam liberent.*

Elocutio.

GEnus dicendi ratione compositionis est ferè mediũ, sed si rem ipsam potius, quam verba & sententias

intuemur, graui generi poterimus hanc partem subijcere: ineſt enim maxima vis in enumeratione, eſt ſummus terror in comminatione, deniq; magna grauitas in amplificatione. Affectus ſunt magni pondere, dictione prope parui.

Eſt quoq; moderata dictionis compoſitio: qua oblitus Cic. vehementiæ ſuperioris, & acrimoniæ apertiſsimè vtitur. Nulla hic interrogatio, nulla vehementia cernitur: ad tranquillitatem componit orationem: quia vult ſedare commotos animos coniuratorum contra rempublicam. Ait enim de peroratione ad Trebatium in Topicis, cuius effectus hic debet eſſe. Vt aut perturbentur animi, aut tranquillentur: & ſi ita iam affecti ſunt ante, vt augeat eorum motus, aut ſedet oratio. Quod quidem præceptum exprimit Cic. dum pacare, & tranquillos animos coniuratorum efficere ſtudet.

Pars item hæc iuxta præcepta rhetorum periodis maximè ornanda eſt: numerus enim & comprehenſiones faciunt orationem iucundam. Hic prima periodus bimembris, membra vero ſunt vix non paria numero ſyllabarum, quam vehementer Ariſtoteles probat Vltimo loco ponit periodum, cum ſummo animi affectu quatuor membrorum, cuius principium tribus membris continetur, reditus vltimo.

Adhibet principio pæanem primum, epitritum ſecundum, Quæ cum ita ſint, *in clauſula media ionicum maiorem,* defendite, *in fine epitritum 3. finem orationis claudit Moloſſo, præcedente tribracho vt ſcelere defendant Reliqua diligenti obſeruatione colliges.*

Figuræ

Figuræ.

TVmultu *similiter cadens*, quam sibi quanquam, *parentesis*, mea lenitas, *consultatio*, tecta, *synechdoche*, custodiis, vigiliis, senatum, arma, scelerum, audaciæ, patriæ, vrbem, nefario, *metonimiæ*, prospiciens, maturandis, latebat, erumperet, commouerit, domesticum, impendens, deduxerint, ducibus, ingressus, florentissimam, *metaphoræ*, meam, *paranomasia*, Qui vero, *comminatio*, quæ quidem, *pollicitatio*.

M. T. CICERONIS
IN L. CATILINAM
Oratio III.

REmpublicam, Quirites, vitamq; omnium vestrûm, bona, fortunas, coniuges, liberosq; vestros, atq; hoc domicilium clarissimi imperij, fortunatissimam pulcherimamq; vrbem hodierno die, Deorum immortalium erga vos summo amore, laboribus, consilijs periculisq; meis ex flamma atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conseruatam ac restitutam videtis. Etsi non minus nobis iucundi atq; illustres sunt hi dies, quibus conseruamur, quàm illi quibus nascimur, quòd salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio: & quòd sine sensu nascimur, cum voluptate conseruamur: profectò quoniam illum qui hanc vrbẽ condidit, Romulum ad Deos immortales beneuolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosq; vestros in honore debebit dies is, qui eandem hanc vrbem conditam amplificatamq; seruauit Nam totius vrbis tẽplis, delubris, tectis omnibus subiectos propè iam ignes, circundatosque restinximus: itemq; gladios in Remp. districtos retudimus, mucronesq; eorum à iugulis vestris reiecimus. Quæ quoniam in Senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me, vobis iam ex-

ponam breuiter, Quirites, vt & quanta & quàm manifesta, & qua ratione inuestigata & comprehensa sint, vos qui ignoratis, ex actis scire possitis. Principio, vt Catilina paucis ante diebus erupit ex vrbe, cùm sceleris sui socios & huiusce nefarij belli acerrimos duces Romæ reliquisset, semper vigilaui & prouidi, Quirites, quemadmodum in tantis & tam absconditis insidijs salui esse possemus. Nam tum cũ ex vrbe Catilinã eijciebam (non enim iam vereor huius verbi inuidiam, cùm illa magis sit timenda, quod viuus ingressus est) sed tum, cùm illum exterminari volebam, aut reliquam coniuratorum manũ simul exituram, aut eos qui remansissent infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atq; ego, vt vidi, quos maximo furore & scelere esse inflammatos sciebam, esse nobiscum & Romæ remansisse, in eo omnes dies noctesq; consumpsi, vt quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem: vt, quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris, maiorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, tum demum animis salutiq; vestræ prouideretis, cùm oculis maleficium videretis. Itaq;, vt comperi, legatos Allobrogum belli Transalpini & tumultus Gallici excitandi causa, à P. Lentulo esse solicitatos: eosq; in Galliam ad suos ciues, eodemq; itinere cum literis mandatisq; ad Catilinam esse missos comitemq; his adiunctum esse, Vultur

tium, atq; huic datas esse ad Catilinam literas: facultatem mihi oblatam putaui, vt quod erat difficilimum, quodque ego semper optabam à Dijs immortalibus, tota res non solùm à me, sed etiam à Senatu & à vobis manifestè deprehenderetur. Itaq; hesterno die L. Flaccum & Cn. Pontinium prætores fortissimos atque amantissimos Reip. viros ad me vocaui, rem omnem exposui, quid fieri placeret ostendi. Illi autem qui omnia de Repub. præclara atq; egregia sentirent, sine recusatione ac sine vlla mora negocium susceperunt, & cùm aduesperascceret, occultè ad pontem Miluium peruenerunt, atq; ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, vt Tybris inter eos & pons interesset: eodem autem & ipsi sine cuiusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt, & ego ex præfectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera vtor assiduè in Reip. præsidio, cum gladijs miseram: interim tertia ferè vigilia exacta, cùm iam pontem Miluium cũ magno comitatu legati Allobrogũ ingredi inciperent, vnaque Vulturtius, fit in eos impetus: educuntur ab illis gladijs à nostris: res erat Prætoribus nota solis, ignorabatur à cæteris. Tum interuentu Pontinij atque Flacci, pugna quæ erat commissa, sedatur. Literæ, quæcunq; erant, in eo comitatu integris signis prætoribus traduntur. Ipsi comprehensi, ad me, cùm iam diluceseeret deducuntur. Atq; horum omnium scelerum

lerum improbissimum machinatorem Cimbrũ Gabinium statim ad me nihil dum suspicantem vocaui. Deinde item accersitur P. Statilius, & post eum Cethegus: tardissimè autem Lentulus venit. Credo quòd literis dandis præter consuetudinẽ proxima nocte vigilârat. Cùm verò summis & clarissimis huius ciuitatis viris, qui audita re frequentes ad me manè conuenerant, literas à me prius aperiri, quàm ad Senatum referri, placeret: ne si nihil esset inuentum, temerè à me tantus tumultus iniectus ciuitati videretur: negaui me esse facturũ, vt de periculo publico, non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea quæ erant ad me delata, reperta non essent: tamen ego non arbitrabar in tantis Reip. periculis esse mihi nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum frequentem celeriter, vt vidistis, coègi. Atq; interea statim admonitu Allobrogum, C. Sulpitium prætorem, fortem virum misi, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferet. Ex quibus ille maximum sicarum numerũ & gladiorum extulit. Introduxi Vulturtium sine Gallis, fidem ei publicam iussu Senatus dedi: hortatus sum, vt ea quæ sciret, sine timore indicaret. Tum ille dixit, cùm vix se ex magno timore recreasset, à P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata & literas, vt seruorum præsidio vteretur, & ad vrbem quam primùm cum exercitu accederet. Id autem eo consilio, vt

cùm

cùm vrbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptũ distributumque erat, incendissent, cædemque infinitam ciuium fecissent, præstò esset ille, qui & fugientes exciperet, & secum his vrbanis ducibus coniungeret. Introducti autem Galli, iusiurandum sibi & literas à P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt. Atque ita sibi ab his & à L. Cassio esse præscriptum, vt equitatum in Italiam quàm primùm mitterent, pedestres sibi copias non defuturas. Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis, aruspicumq; responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum vrbis huius atque imperium peruenire esset necesse. Cinnam ante se, & Syllam fuisse, eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius vrbis atque imperij, qui esset decimus annus post virginum absolutionem: post Capitolij autem incensionem vigesimus. Hanc autem Cethego cum cæteris controuersiã fuisse dixerunt, quòd cum Lentulo & alijs cædem Saturnalibus fieri, atque vrbẽ incendi placeret: Cethego nimium id longũ videretur. Ac ne longũ sit, Quirites, tabellas proferri iussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primũ ostendimus Cethego: signũ cognouit: nos linum incidimus, legimus, erat scriptũ ipsius manu, Allobrogum Senatui, & populo sese, quæ eorum legatis cõfirmasset, esse facturum: orare vt item illi facerent, quæ sibi legati eorum præ

cepissent

cepissent. Tum Cethegus, qui paulò antè aliquid de gladijs ac sicis quæ apud se erant deprehensæ respondisset, dixissetque se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse recitatis literis debilitatus atque abiectus, conscientia conuictus repentè conticuit. Introductus est Statilius, cognouit & signum & manum suam, recitatæ sunt tabellæ. In eadem ferè sententia confessus est, Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsiui, cognosceretné signum: annuit. Est verò, inquam, notum signum & imago aui tui clarissimi viri, qui amauit vnicè patriam & ciues suos: quæ quidem te à tanto scelere & iam mutare & reuocare debuit. Leguntur eadem tatione ad Senatum Allobrogum populumque literæ: si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille quidem primò negauit, post autem aliquantò toto Vulturij iam indicio exposito atque edito surrexit. Quæsiuit à Gallis, quid sibi esset cum his: quamobrem domum suam conueniissent? Itemq; à Vulturtio. Qui cùm illi breuiter constanterq; respondissent, per quem ad eum quotiescunq; veniissent, quæsissentque ab eo, nihilné secum esset de fatis Sybillinis locutus: tum subitò ille scelere demens, quanta conscientiæ vis esset, ostendit. Nam cùm id posset inficiari, repentè præter opinionem omnium confessus est: ita cum non modò ingenium illud, & dicendi exercitatio qua semper valuit, sed etiam pro-

am propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes improbitasq; defecit. Vulturtius verò subitò proterri literas atq; aperiri iussit, quas sibi à Lẽtulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehemẽtissimè perturbatus Lentulus, tamen & signum & manũ cognouit: erant autem scripta sine nomine, sed ita: QVI SIM, EX EO QVEM AD TE MISI, COGNOSCES: CVRA VT VIR SIS ET COGITA QVEM IN LOCVM SIS PROGRESSVS: ET VIDE QVID IAM TIBI SIT NECESSE: CVRA VT OMNIVM TIBI AVXILIA ADIVNGAS, ETIAM INFIMORVM. Gabinius deinde introductus, cùm primũ impudenter respõdere cœpisset, ad extremũ nihil ex iis quæ Galli insimulabant, negauit. At mihi quidẽ. Quirites, cùm illa certissima sunt visa argumẽta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique vniuscuiusq; confessio: tum multò certiora illa, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terrã intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant, vt nõ iam ab illis indicari, sed ipsi se indicare vidērẽtur. Indiciis expositis atq; editis, Quirites, Senatum consului de summa Reipub. quid fieri placeret. Dictæ sunt á principibus acerrimæ ac fortissimæ sententiæ, quas Senatus sine vlla mora est consecutus. Et quoniam nondum est perscriptum Senatusconsultũ, ex memoria vobis, Quirites, quid Senatus censuerit, exponam. Primum mihi gratiæ verbis amplissimis aguntur, quod

quod virtute, consilio, prouidentia mea, Resp. periculis sit maximis liberata: deinde L. Flaccus, & C. Pontinius, prætores, quòd eorum opera forti fideliqué vsus essem, meritò, ac iure laudantur: atque etiam viro forti, collegæ meo, C. Antonio, laus impertitur, quòd eos, qui huius coniurationis participes fuissent, à tuis, & Reip. consilijs remouisset. atque ita censuerunt, vt P. Lentulus, cùm se prætura abdicasset, tum in custodiam traderetur: itemq; vti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes præsentes erant, in custodiam traderentur: atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendæ vrbis depoposcerat: in M. Cæparium, cui ad sollicitandos pastores, Apuliam esse attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui ex his colonijs, quas Fesulas L. Sylla deduxit: in Q. Manlium Chilonem, qui vnà cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Vmbrenum libertinum hominem, à quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate Senatus est vsus, Quirites, vt ex tanta coniuratione, tantaque vi, ac multitudine domesticorum hostium, nouem hominum perditissimorum pœna, Rep. conseruata, reliquorum menteis sanari posse arbitrarētur. Atque etiam supplicatio dijs immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est, Quirites: quod

mihi

mihi primum post hanc vrbem conditam toga to contigit: & his decreta verbis est, quòd vrbem incendijs, cæde ciueis, Italiam bello liberassem. Quæ supplicatio si cum cæteris conferatur, Quirites, hoc interfit, quòd cæteræ, bene gesta, hæc vna, conseruata Rep. constituta est. Atque illud, quod faciendum primum fuit. factum, atque transactum est. nam P. Lentulus, quanquam patefactus indicijs & confessionibus suis, iudicio senatus, non modo prætoris ius, verùmetiam ciuis amiserat: tamen magistratu se abdicauit: vt quæ religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glaucia, de quo nihil nominatim erat decretum, prætorem occideret, ea nos religione in priuato P. Lentulo puniendo liberaremur. Nunc, quoniam, Quirites, sceleratissimi, periculosissimique belli nefarios duces captos, iam, & cõprehẽsos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinę copias omnes spes, atq; opes, his depulsis vrbis periculis concidisse. Quẽ quidem ego cum ex vrbe pellebã hoc prouidebam animo, Quirites, remoto Catilina, nõ mihi esse P. Lentuli somnũ nec L. Casij adipem, nec C. Cethegi furiosã temeritatem pertimescendam. Ille erat vnus timẽdus ex his omnibus, sed tamdiu, dum mœnibus vrbis continebatur. omnia norat, omniũ aditus tenebat: appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat: erat ei consilium ad facinus aptum: consilio autem neque lingua, neque manus

manus deerat. Iam ad cæteras res conficiendas certos homines delectos, ac descriptos habebat. neque verò cùm aliquid mandauerat, confectum putabat. nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem (dicam id quod sentio, Quirites) non facilè hanc tantam molem mali à ceruicibus vestris depulissem. Non ille vobis Saturnalia constituisset, neque tanto antè exitium, ac fati diem reip. denuntiasset, neque commisisset, vt signum, vt litteræ suæ, testes denique manifesti sceleris deprehenderentur. quæ nunc, illo absente, sic gesta sunt, vt nullum in priuata domo furtum vnquam sit tam palàm inuentum, quàm hæc tanta in rep. coniuratio, manifestò inuenta, atque deprehensa est. Quòd si Catilina in vrbe ad hanc diem remansisset: quanquam, quoad fuit, omnibus eius consiliis occurri, atque obstiti, tamen, vt lenissimè dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset, neque nos vnquam, dum ille in vrbe hostis fuisset, tantis periculis rem p. tanta pace, tanto otio, tanto silentio, liberasse-mus. Quanquam hæc omnia, Quirites, ita sunt à me administrata, vt deorum immortalium nutu, atque consilio & gesta, & prouisa esse

videantur. idq; cùm coniectura consequi possumus, quòd vix videtur humanis consiliis tam molem rerum gubernatio consequi potuisse: tum verò ita præsentes his temporibus opem, & auxilium nobis tulerunt, vt eos pene oculis videre possemus. Nam, vt illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faceis, ardoremque cæli, fulminum iactus, vt terræmotus, cæteraque, quæ tam multa, nobis consulibus, facta sunt, vt hæc quæ nunc fiunt, canere dij immortales viderentur: hoc certè, Quirites, quod sum dicturus, neq; præter mittendũ neq; relinquendũ est. Nã profectò memoria tenetis, Cotta, & Torquato Coss. cõplureis in Capitolio turreis de cælo esse percussas, cùm & simulacra deorum immortaliũ depulsa sunt, & statuę veterum hominum deiectæ, & legum æra liquefacta. tactus est etiam ille, qui hanc vrbem condidit, Romulus: quem inauratum in Capitolio paruum, atque lactantem, vberibus lupinis inhiantem fuisse meministis. Quo quidem tempore, cùm aruspices ex tota Etruria conuenissent, cædes, atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile, ac domesticum, & totius vrbis, atque imperij occasum appropinquare dixerunt, nisi dij immortales omni ratione placati, suo numine propè fata ipsa flexissent. Itaq; illorum responsis tunc & ludi decem per dies facti sunt, neque res vlla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est: ijdemq;

iusserunt,

iusserunt, simulacrum Iouis facere maius, & in excelso collocare, & contrà, atque antè fuerat, ad orientem conuertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum, & forum, curiamq; conspiceret, fore, vt ea consilia, quæ clàm essent inita contra salutem vrbis, atque imperij, illustrarentur, vt à S. P. Q. R. perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, vt neque à superioribus consulibus, neque à nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hîc quis potest esse, Quirites, tam auersus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui neget, hæc omnia, quæ videmus, præcipueq; hanc vrbem, deorum immortalium nutu, atq; potestate administrari? Etenim cùm esset ita responsum, cædeis, incendia, interitumque reip. comparari, & ea á perditis ciuibus, quæ tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur: ea non modò cogitata á nefariis ciuibus, verùm etiam suscepta esse sensistis. Illud verò nonné ita præsensit, vt nutu Iouis optimi maximi factum esse videatur, vt cùm hodierno die manè per forum meo iussu & conjurati, & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato, atq; ad vos, senatumq; conuerso, omnia & senatus, & vos, quæ erant contra salutem omnium cogitata, illustrata, & patefacta vidistis. Quo e-

tiam maiore sunt isti odio, supplicioq; digni, qui non solùm vestris domiciliis, atque tectis, sed etiam deorum templis, atque delubris sunt funestos, ac nefarios igneis inferre conati: quibus ego si me restitisse dicam, nimiùm mihi sumam, & non sim ferendus. ille, ille Iupiter restitit: ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc vrbem, ille vos omneis saluos esse voluit. diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad hæc tanta indicia perueni. Iam verò illa Allobrogum sollicitatio, sic á Lentulo, cæterisque domesticis hostibus, tanta res, tam dementer credita & ignotis, & barbaris commissæque litteræ nunquam essent profectò, nisi á diis immortalibus huic tantæ audaciæ consilium esset ereptum. Quid vero? vt homines Galli ex ciuitate malè pacata, quæ gens vna restat, quæ populo R. bellum facere & posse, & non nolle videatur, spem imperii, & rerum amplissimarum vltrò sibi á patriciis hominibus oblatam negligerent: vestramque salutem suis opibus antepone rent id nonné diuinitus factum esse putatis? præsertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt? Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia puluinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum coniugibus, ac liberis vestris. Nam multi sæpe honores diis immortalibus iusti habiti sunt, ac debiti, sed profectò iustiores nunquam. Erepti enim ex crudelissimo, ac miserrimo interitu, &

erepti

erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, me vno togato duce, & imperatore, viciſtis. Etenim recordamini, Quirites, omneis ciuileis diſſenſiones, neque ſolùm eas, quas audiſtis, ſed & has, quas voſmetipſi meminiſtis, & vidiſtis: L. Sylla P. Sulpicium oppreſſit: ex vrbe eiecit C. Marium, cuſtodem huius vrbis: multoſque forteis viros partim eiecit ex ciuitate, partim interemit. Cn. Octauius, Coss. armis ex vrbe collegam ſuum expulit. omnis hic locus aceruis corporum, & ciuium ſanguine redundauit. Superauit poſtea Cinna cum Mario. tum verò, clariſſimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta ſunt. Vltus eſt huius victoriæ crudelitatem poſtea Sylla. ne dici quidem opus eſt, quanta diminutione ciuium, & quanta calamitate reip. Diſſenſit M. Lepidus à clariſſimo, & fortiſſimo viro Q. Catulo. attulit non tam ipſius interitus reip. luctum, quám cæterorum. Atque illæ diſſenſiones erant huiuſmodi, Quirites, quæ non ad delendam, ſed ad commutandam remp. pertinerent. non illi nullam eſſe remp. ſed in ea, quæ eſſet, ſe eſſe principes: neque hanc vrbem conflagrare, ſed ſe in hac vrbe florere voluerunt. Atque illæ tamen omnes diſſenſiones, quarum nulla exitium reip. quæſiuit, eiuſmodi fuerunt, vt non reconciliatione concordiæ, ſed internecione ciuium diiudicatæ ſint. In hoc autem vno poſt hominum memoriam maximo, crudeliſ-

simoque bello, quale bellum nulla vnquam barbaria cum sua gente gessit: quo in bello lex hæc fuit à Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, vt omnes, qui salua vrbe salui esse possent, in hostiũ numero ducerentur: ita me gessi, Quirites, vt omnes salui conseruaremini: &, cùm hostes vestri tantum ciuium superfuturum putassent, quantum infinitæ cædi restitisset: tantum autem vrbis, quantum flamma obire non potuisset: & vrbem, & ciueis integros, incolumeisque seruaui. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego a vobis præmium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo, præter quàm huius diuestrã memoriã sempiternãln animis ego vestris omneis triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi, & collocari volo. nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique huiusmodi, quod etiam minùs digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, literarum monumentis inueterascent, & corroborabuntur: eandemque diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem vrbis, & ad memoriam consulatus mei, propagatam: vnoq; tempore in hac rep. duos ciueis exstitisse, quorum alter fineis vestri imperii, non terræ, sed cæli regionibus terminaret: alter ciusdem imperii domicilium, sedemq; seruaret. Sed, quo-

niam

niam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem fortuna, atque condicio, quæ illorum, qui externa bella gesserunt: quòd mihi viuendum sit cum illis, quos vici, ac subegi: illi hosteis aut interfectos, aut oppressos reliquerunt: vestrum est, Quirites, si cæteris recta sua facta prosunt, mihi mea nequando obsint, prouidere. mentes enim hominum audacissimorum sceleratæ, ac nefariæ ne vobis nocere possent, ego prouidi; ne mihi noceant, vestrum est prouidere: quanquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil iam ab istis noceri potest. magnum enim est in vobis præsidium, quòd mihi in perpetuum comparatum est: magna in rep. dignitas, quæ me semper tacita defendet: magna vis est conscientiæ, quam qui negligent, cùm me violare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is animus, Quirites, vt non modò nullius audaciæ cædamus, sed etiam omneis improbos vltrò semper lacessamus. Quòd si omneis impetus domesticorum hostium depulsi à vobis, se in me vnum conuerterint; vobis erit prouidendum, Quirites, qua condicione post hac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint inuidiæ, periculisque omnibus. Mihi quidem ipsi quid est, quod iam ad vitæ fructum possit acquiri, præsertim cùm neque in honore vestro, neq; in gloria virtutis quidquam videam altius, quò quidem mihi libeat adscendere? Illud perficiam profectò, Quirites, vt ea, quæ

gessi in consulatu, priuatus tuear, atq; ornem: vt, si qua est inuidia in conseruanda rep. suscepta, lædat inuidos, mihi valeat ad gloriam. deniq; ita me in rep. tractabo, vt meminerim sem per quæ gesserim, curemque vt ea, virtute, non casu, gesta esse videantur. Vos, Quirites, quoniam iam nox est, veneramini illum Iouem, custodem huius vrbis, ac vestrum, atque in vestra tecta discedite: & ea, quanquam iam periculum est depulsum, tamen æquè, ac priori nocte feciſtis, custodiis, vigiliisque defendite. Id ne vobis diutius faciendum sit, atque vt in perpetua pace esse possitis, prouidebo.

ADAMVS

ADAMVS STEZICIENSIS IN TERTIAM CIC. ORATIONEM CATILINARIAM.

Argumentum orationis.

EXpectantes ciues Romanos Cic: primo docet, qua industria, quoué consilio coniurationis principes in vrbe relictos deprehenderit, quibus indicijs deprehensos oppressérit, quidq; ea de re censuerit Senatus: cuius quidem coniurationis oppressionem, talem extitisse affirmat, qualem sua consilia, vix ad exitum deducere potuissent nisi diuinitus adiutus foret. Deinde magnitudinem periculi ostendit, comparans eam coniurationem, cum cæteris ciuilibus, inteſtinisq; bellis. Postremo commendat se liberosq; suos populo Romano, & se in incepta Reipub. defensione, etiam priuatum constantem, atq; infractum fore promittit.

Genus Quæstionis.

QVæstio est ea quæ vocatur hypotesis, descripta certo tempore, notata facto, vtrum apud ciues Romanos posterosq; eorum, in honore debeat esse dies, is, quo Cic. vrbem seruauit. Quæ quidē quæstio satis euidens est in principio orationis, magisq; indicata, quam disputata. In eius vero cursu admodum obscure eam inuoluit; hoc autem facit, ne inuidiam sibi apud ciues conciliet, si sæpius & apertiùs, eo dic à se seruatam Rempublicam

dixerit. Sed partim reiecit hoc factum in ipsos Deos, qui portentis & prodigijs ante significabant, eam coniurationem futuram: partim etiam magnitudinem mali exaggerat..

Genus causæ.

ORatio est deliberatiui generis: *suadet enim in ea Quiritibus Cic: vt diem illum quo ex coniuratorum manibus Resp. erepta est, ad perpetuam rei memoriam celebrent, vt supplicationibus decretis, deorum immortalium in se beneficia agnoscant, adeoq; sine metu sint, ac Deo grati.*

Status seu constitutio.

STatus huius causæ is est. *An sit dies is perpetua memoria celebrandus, quod faciendum esse ab æquitatis locis probat. Quamobrem ad qualitatis statum pertinet. Non quidem ex illa conflictione causarum, vt in genere iudiciali: in illo enim loco, ex quo eam orationem habuit Cic. non exercebantur iudicia, neq; etiam Cic: hoc loco accusat. Sed est status extra contentionem natus. Cuius sensus. Dies quo à Cic. oppressa coniuratio est, perpetua memoria temporis notandus est.*

Quo loco dicat

DIspositio consistit in duobus, *in verbis, & rebus: rerum autem dispositio triplex est. Partium orationis, argumentorum, & partium argumentationis. Hæc oratio constat quatuor ijs partibus. Exordio, quo*

dio, *in quo latet orationis totius propositio. Narratione, Confirmatione, & Conclusione. Estq; earum ordo naturæ. In exordio Cic modeste suum erga Remp. beneficium commemorat, in narratione modum ac viam complectitur coniurationis patefactæ: quo nimirum pacto coniurati principes in vrbe deprehensi, conuicti & custodijs dati sint. Confirmatio continet indicia varia, quibus probat Deos ipsos, vrbem Romam conseruare voluisse, atq; Remp. ex præsenti coniuratione liberasse,*

Verborum vero dispositio, argumentorum, & partium argumentationis, suis locis patebit.

Quomodo dicat.

GEnus *dicendi est medium. Quod primo ex ipsa materia iudicari potest: In hoc enim genus cadit omnis virtutis ratio, vt nunc Ciceronis pietas erga Remp. & officium magistratus, erga ciues commemoratur: cadit quoq; omnis laudatio, vt Deorum immortalium, quibus curæ est imperium Romanum. Secundo ex verborum elocutione eorumq; compositione, quæ leniter coeunt, ipsaq; compositio plurimum suauitatis habet, vt pote quod æquabili verborum dignitate constet. Demum ex sententiis earumq; amplificatione. denique ex ipsis quibus est aspersa affectibus. Magis tamen inclinata est ad grande genus. Ornataq; est ijs potissimũ figuris, & luminibus verborum quidem methonimia, Synechdoche metaphora, epanaphora polysindeton, paranomasia, & id genus cæteris. Orationis vero ac Sententiarum Prolepsi, prosopopœia, diggressione, dialogismo, præteritione, & alijs.*

Exor-

Exordij explanatio.

AD celebrandas per Senatum constitutas supplicationes excitaturus populum Cicero, statim ab initio summam præsentis orationis apperit, commemorans, primum sua erga vrbem conseruatam beneficia, deinde ad diem solenniter obeũdum inuitans. Quorum illud congerie, hoc collatione exornat & auget. Est autem hoc exordium eius generis, quod Rhetores insinuationem vocant: quo quidem vtitur, non quia turpe genus causæ sit, aut inhoneſtũ, sed quia paradoxon, hoc est admirabile fuit, præter hominum opinionem. Etenim plebs Catilinæ fauebat, vt Salustius testatur. Quod cũ Cic: animaduertisset, quasi curis & laboribus anhelans inopinatũ plebi profert. Rempublicam Quirites videtis esse ex faucibus, fati, meis consiliis laboribus periculis, ereptam ac conseruatam. Deinde dicit Rempub. esse iam seruatam, cùm tamen nondum bello Catilinario liberata fuerit, sed tantum aliquot coniuratores capti & in custodiam traditi. Inopinatum est igitur genus causæ, cùm dicat se perfecisse, quod nondum perfecerit. Postremo expectanti populo, & tædio expectationis laboranti, inopinata rei gestæ naratione animum erigit, ac ad spem bonam pertrahit. Conciliat beneuolentiam, à laboribus & curis suis in Rempub. à denunciatione, à se seruatæ vrbis. Attentionem parat ex comparatione salutaris & natalis diei. Docilitatis locus est, in prima & vltima periodo, dum narrat quid laboribus suis effecerit, Subiectos ignis restinximus, districtos gladios retudimus, mucrones à iugulis vestris

lis vestris reiecimus. Habet autem hoc exordium locum communem comparatorum parium: paria enim sunt condere vrbem & conseruare vrbem. Habet quoq; exordium hoc eas virtutes de quibus præcipiunt rhetores: Primam, quia non est longum. 2. Quia non est commune cùm sit futuræ confirmationis præparatio ex penetralibus ipsius causæ nata. 3. Quia est verecundum ac modestum. Affectus sunt mitiores ex amore Deorum, & suis periculis propter patriam susceptis, ex magnitudine facti. vt ex flamma, ex ferro & alijs & in principio, à commemoratione conseruatæ vitæ ciuium omnium, sic in vltima periodo ex facti sui exaggeratione.

Dispositio exordij.

In hoc exordio syllogismum, si bene animum intenderis integrum inuenies, in tali forma.

Propositio. Si is qui vrbem condidit, innumerum Deorum relatus est, vt Romulus. Certe & qui conditam seruauit, in honore apud vos, posterosq; esse debet.

Ratio expressa est. Non minus enim iucundi sunt dies, quibus nascimur, quam quibus conseruamur.

Confirmatio rationis. 1. Quia salutis certa ratio est, nascendi incerta conditio.

2. Quia sine sensu nascimur, cùm voluptate autem conseruamur.

Assumptum. Rempub. Quirites. *At qui ego seruaui.*

Ratio. Nam totius vrbis, templis, delubris, tectis omnibus

Elis omnibus, subiectos prope iam ignes, circumdatosq; restinximus &c. & in prima periodo. Consilij, periculisq; meis, ex flamma atq; ferro ac pene ex faucibus fati ereptam &c.

Conclusio non est expressa, sed post narrationem vsq; reiecta, vel quia in minore patuit, vel quia vltro mentibus auditorum occurrit. Est ergo dispositio huius, argumentatiois iudicij. Verborum vero dispositio est naturalis, totum enim primo ponit, deinde eius partes enumerat, vt Remp. vitam q; omnium vestrum, bona, fortunas, & reliqua. Attende autem prudentiam summam oratoris, dum primo amorem Deorum, deinde consilia, labores, pericula sua ponit, digniora præmittendo. Facit quoq; vt crescat non decrescat oratio, dum dicit ereptam, conseruatam, ac restitutam: primum enim eripimus, ereptum conseruamus, conseruatum restituimus. Hoc vero loco grata est collocationis varietas in vna sententia, dum primo ponit lætitiam salutis, deinde quasi abiectum, incertitudinem conditionis: postea hunc eundem ordinem inuertit: prius posuit sensum nascendi, deinde voluptatem conseruandi. Cætera diligens lector obseruet.

Obseruatio circa hoc exordium.

VIdetur hoc exordium esse contra præcepta rhetorum maxime autem Quintiliani, qui lib. 4. cap: 1. argumentis locum esse negat in exordio. Cuius hæc verba sunt. Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi, similis esse in proemio debet oratio: neq; tamen deducta semper atq; circumdata, sed sæpe simplici atq; illaborata

illaboratæ similis, nec verbis vultuq; nimia promittens hæc ille. Hoc igitur exordium cùm sit argumento sum, non simplex, sed circumductum elaboratumq;, videbitur, quod est contra rhetorum præcepta. Sed sciendum est, quod oratores non sequuntur præcepta, non quatenus non liceat, sed quatenus non vtile putant, vt idem Quintilianus eo loci docet. Neq; enim illud scriptores artium, quia non liceat, sed quia non putent vtile, vetant. Ita si vincet vtilitas, propter eandem causam, facere debebimus, propter quam vetamur. Hoc tamen exordium non debet videri elaboratum: nam quasi quiddam inopinatum, populo Romano nunciat.

Elocutio.

EXordium hoc ad graue genus est deflexum. Eius iunctura siue compositio grauis & elegans. Eas enim vocales principio adhibet, quæ clarissime & plenissime sonant: vt sunt A & O, vt Remp. vitamq; omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberos, atq; hoc domicilium clarissimi & cætera. Ita tamen ne videatur affectata compositio, grata vicissitudine variet vt hoc loco crebrius permista sonant, hoc domicilium, clarissimi, fortunatissimam erga vos, summo amore, laboribus, &c. Infine A & E crebrius, vt conseruatam, ereptam, restitutam videtis. Ex consonantibus amplæ sonant M P vt Remp. vitam omnium bona, liberos, &c. Aspere sonant R & geminatum M vt pulcherrimam diem, hodierno die, Deorum immortalium, summo & cætera. Asperitas in fine ex litera R

tera R posita, vt ereptam, conseruatam, restitutam. Sequenti periodo R cum L mollius sonant: vt non minus nobis iucundi dies, atq; illustres dies & cætera. Quod tamen in medio immutauit. Conseruamur, nascimur, salutis. In ea quoq; compositione ordo maxime seruandus est in verbis singulis & contextis. Quo quidem loco Fabius præcipit lib. 9. cap. 4. vt crescat oratio, & sententiæ augeri & crescere videantur: quod fiet, si infirmiori iungatur fortius, & naturalis ordo rerum seruetur. Quod quidem obseruatum est in hac oratione, totum præcedit partes naturæ ordine posuit enim prius totam Resp. vitamq; omniũ, bona, fortunas, & cætera. Hoc loco insurgit sententia, ignes restinximus, gladios retudimus, à iugulis vestris reiecimus.

Periodi.

GEnera periodorum duo facit Fabius. alterum simplex cum longiore ambitu sensus vnus circumducitur: alterum quod constat mẽbris & incisis, quæ plures sensus habent. Primi generis in hac oratione, est prima periodus, quæ multis incisis est ornata, vt pronunciando anhelans curam & solicitudinem suam in Remp. significet. Satis enim erat, dicere, Rempub. Quirites laboribus meis conseruatam videtis, ille multis incisis auxit vt vides. Secundo loco est periodus tetracolos, cuius principium duobus, reditus duobus membris continetur. Postremo monocolos est tribus incisis ornatum.

Numeri.

ADhibentur numeri potissimum in principijs, non-

nunquam

nunquam in mediis, maximè vero in clausulis. pedes vno in loco, non plures tribus, non pauciores duobus obseruantur. Hoc loco primo Ionicus maior & Bacchius. Rempub. Quirites. *In medio diambis vtitur, interposito choriambo claudit dispondeo & Bacchio.* Conseruatam videtis, *Secundam periodum à molosso incipit, frequentius in mediis repetito, in dactilum & molossum terminat. Vltima enim cuiusque syllaba longa siue breuis fuerit, communis censetur, Tertiam incipit ab epitrito tertio, claudit in diambum, omnium pedum mordacissimum.*

Figuræ sententiarum.

PRima est *amplificatio totius & partium: Rempublicam enim diducit in suas partes, quæ quidem oratorem satis moratum & circumspectum esse arguit: Estque hic maxima congeries partium. Secunda incrementum*, ereptam, restitutam, conseruatam, &, ignes restinximus, gladios retudimus, mucrones reiecimus. *Tertia Aetiologia, cum causam statim propositioni subiungit,* Quod salutis certa lætitia est, *Quarta parentesis, quam si sustuleris, planiorem, sed simpliciorem facies orationem. Vltimo expolitio, quæ eandem sententiam vt priorem periodum commutatis verbis explicat,* Nam totius vrbis, & cætera.

Figuræ verborum.

REmpub. fortunas, amore, laboribus, con-

silijs, periculis, flamma, ferro, *methonimia, quia bus aliud pro alio intelligitur*, Domicilium clarissimi imperij, fauçibus ereptam, *metaphora*, ferro, *polyptoton*, imperij vrbem, fati, *synechdoche*, ex flamma ferro incendijs, *hyppallage*, illustres, *metaphora*, quibus nascimur, *polyptoton*, certa, *paronomasia*, vrbis tectis, *synechdoche*, gladios Rempub. *methonimia*, reiecimus, *metaphora*, & *similiter desinens*.

De Narratione, *Quæ quoniam*.

ANtequam aggreditur *narrationem præmittit propositionem*, non totius orationis, sed tantum ipsius narrationis. Propositio enim non solum in ostendenda quæstione principali, sed nonnunquam in singulis argumentis quæ epicheremata vocantur proponi solet. Propositio vero totius orationis latuit in exordio: vsitatum enim est oratoribus in manifesta ratione dicendorum, vel in ea quæ facilè conciliare possit oratori inuidiam, multo orationis tractu circumducere, nec expresè ponere propositionem. Post propositionem narrationis instituit veram narrationem, copiosam, & illustrem, qua inprimis exponit populo, quibus modis coniuratos in vrbe comprehenderit. Deinde, introduxi Vulturcium, *quibus rationibus comprehensos coniurationis contra patriam susceptæ convincat*: tum, iudicijs expositis, *quod senatus consultum has eorum insidias consecutum sit, quod* circumstantiis exornat, *quia nimirum seuerum &* summo

summo consensu factum, adhibens quoque suas causas cuilibet senatus consulto. cæterum in explicanda hac narratione considerandum erit genus narrationis, species, partes, & officia eius.

Genus narrationis quale sit.

GEnera narrationis tria fecêre rhetores: vnum proprium causæ, vbi sedes est argumentorum: alterum quæsitum, quando narratio seruire potest causæ, sed non est ex causa, vt illa de raptu Proserpinæ contra Verrem, quod vocant digressionem. Tertium alienum & remotum à causa, veluti sunt historiarum & fabularum, locorum, personarum, rerum, morumque descriptiones. Hæc narratio est generis primi, quia ex ea profluunt argumenta confirmationis: veluti cum hoc loco dicit, captos esse coniuratos, in confirmatione dicit, tutos esse ciues Romanos, operæ Ciceronis, seruatam rempub. Ergo supplicatio, seruatoris nomine, hoc est Ciceronis, celebranda est.

Species narrationis.

IN vno quoque genere, duæ sunt species narrationis: quarum altera simplex, quæ rem vti facta est, sine rationibus, syllogismis, & apparatu exponit, vt hoc loco. Introduxi Vulturtium, sine Gallis, fidem ei publicam dedi: hortatus sum, vt ea quæ sciret, sine timore indicaret: tum ille dixit, cum se ex magno timore recreasset, & cætera. Altera apparata, quæ

argumenta, causas facti continet, dictis diuersorum hominum argumenta & confirmationes adhibet, vt videatur quodammodo testata loqui. Confirmat dictum hoc loco Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sybillinis, & cætera. Facti causam subiungit hoc loco. Id autem eo consilio, vt cum vrbem omnibus ex partibus incendissent. Has itaque species narrationis, cum mistas esse in hac oratione videamus, vt plerumque vsu venire solet: iam non vna forma narrationis erit, sed multiplex, vt ex vtraque confarcinata.

Partes narrationis.

IN *omni expositione est principium, medium & finis: ea namque quæ præcesserunt totum negotium, & quæ subsecuta sunt considerari etiam solent, si causæ prosunt. Veluti narraturus de bello inter C. Cæsarem & Pompeium gesto, primum docet præcedentia totum bellum, vt fuit repulsa Cæsaris principium capit in conscribendis militibus, actum est per aliquot annos: finem accepit in interitu Pompeij, & liberorum eius. Subsecutæ seruitutes, egestates, exilia ciuium Romanorum & Reipub. oppressio. In ea quoque oratione, narraturus Cicer. captos esse coniuratos. Primum antecedentia exponit, suam diligentiam, prætorum militumque præsidium. Principium rei gestæ atque comprehensionis in ipsa prætorum profectione fuit, cum Roma egressi sunt ad pontem Milui-um, Medium occursus, & conflictus, cum coniuratis. Finis in confessione sceleris consistit. Post finem quid sub-*

quid subsecutum sit ponit, traditio in custodiam coniuratorum, gratiæ Ciceroni actæ, & supplicatio decreta, Collegæ eius Antonio, prætoribus, Allobrogibus laus tributa, & cætera.

Officia seu virtutes narrationis.

Qvatuor sunt, sine quibus nusquam potest esse optima narratio, perspicuitas, quæ efficit narrationem apertam, breuitas, probabilitas, & suauitas. Hæc narratio est dilucida, quia ad summum ordine naturali ab imo tendit, vt primo comprehensi, examinati, in custodiam traditi, Et in iis. Ad me vocaui, rem omnem exposui, quid fieri placeret ostendi. Non omittit quoque quicquam eorum quæ necessaria sunt, nec gestæ rei, causas, rationes, exitus, negligit. Postremo verba ex communi vsu loquendi decerpta, & suo ordine dispositæ, claritati & perspicuitati deseruiunt. Est quoque hæc narratio breuis ob verba simplicia, resque tales, quæ tantum modo ad negotium seruiunt: Adhæc verisimilis est, ob circumstantias: non solum enim narrat quomodo quicquam contigerit, sed etiam quibus de causis: complectens circumstantias personarum vt quis comprehenderit, quos, qualis. Item circumstantias locorum, temporum: à quibus maxima materia narrandi & argumentandi sumitur. Principio vero causam facti enumerat. Efficientem ait consistere in diligentia & vigiliis suis; adiuuantes vero in prætoribus, Allogobribus, in militibus, quibus vsus est in præsidio Reipub. Est vltimo hæc nar-

ratio suauis, ob modestam officii prædicationem, ac commemorationem, prosopopœiam, expositionem colloquii. dum dicitur. Est vero inquam signum notum, imago aui tui, clarissimi viri, qui amabat vnicè patriam & ciues suos.

Elocutio.

QVoniam optimus est ille orator, qui grauia magnificè, humilia subtiliter, mediocria temperatè dicit. Hanc idcirco varietatem seruauit, in hac narratione Cic. grauiter enim effert hunc locum. Quæ quoniam illustrata, patefacta, comperta, & cætera. &. Illi autem qui omnia de repub. præclara atque egregia sentirent, sine recusatione, atque sine vlla mora negotium susceperunt, grauitatem ex literis pleno ore sonantibus, nempe A & E. ex consonantibus Q, S, T. venaberis. mediocriter efferuntur, quæ E, & I, ex vocalibus. M, & N, ex consonantibus frequentius habent. vt cum vero summis ac clarissimis viris huius ciuitatis, qui audita re, frequentius ad me venerunt. Humiliter & neglecto filo, texuntur illa. Introducti autem galli, iusiurandum sibi, & literas à P. Lentulo Cethego Statilio, ad suam gentem data esse dixerunt. Narrationis ergo elocutio, accommodatur rebus ipsis.

Compositio.

IVnctura compositionis, à compositione siue structura dicta: nam vt duarum tabularum, nisi partes

exactè

exactè coaluerint: aut certe hiabit, aut inæqualis & male complanata subsiliet: vtroque autem modo vnguis per eam deductus hærebit, ac sistetur. Ita in oratione, vel ex vocalium crebro concursu, hiat dictio: vel consonãtium positu, eminet ac resistit. Medium igitur eligendum est, quod est in omnibus rebus congruentissimum, in hacque oratione euidentissimum. Ordinem verborum, qui compositioni energiam quandam addit, considera: vt hoc loco augetur sententia, illustrata, patefacta, comperta, quibus respondent hæc verba, paulo inferius posita, manifesta, inuestigata, comprehensa. Et quid agerent, quid molirentur, respondent, sentirem, ac viderem. Sic cætera non erunt perspicaci obseruatu difficilia.

Periodi.

Periodis & orationis circumductiones, negligentius in narrationibus seruantur: sed membratim cæsimque proferri narrationem rhetores iubent. Hoc tamen non debere esse perpetuum, et obseruationes plurimæ, & hæc narratio nostra indicat. Membratim quidem ille cæsimque suam construit narrationem, sed passim etiam ponit circuitus. Dum enim dicit, At ego vt vidi quos maximè scelere, ac furore esse inflammatos, & cætera. *Periodus est quatuor membrorum. Principium est duorum membrorum: reditus quoque duorum est. cætera vero cæsim membratimque persequitur. Vsque ad hunc locum.* cum vero summis, *vbi periodus est trimembris, cætera rursus membratim,* Cæsimque *feruntur.*

Numeri.

NVmerum non vbique de industria adhiberi Cic. ipse admonet, ne nimium numerosa videatur oratio, neue deprehendatur affectatio, aut ex similitudine, & continuatione fastidium fiat Principio Choriambus est, in medio vtitur anapæstis claudit trochæo & molosso. Deinde incipit à molosso, claudit pyrrichio & amphibrachi, fore putabam. *Pæan primus est hoc loco,* Atque ego, *iambus & trochæus dum dicit videretis. Cætera vicissitudinaria varietate ornata diligens obseruabit lector.*

Figuræ.

ILlustrata, patefacta, comperta, manifesta, inuestigata, comprehensa, *incrementum & synonimia, metaphoræ,* erupit, acerrimos, exterminari, furore inflammatos, sentirem, viderem, præclara, egregia, machinatorem, iniectus, abiectus, demens acerrimè, remouisset, solicitatione, versatus, domesticorum, sanari, *metaphoræ,* vrbe, gallici, galliam, pons, vigilia, prætoribus, rem, vrbem in finitam, virginum, ferramentorum, signum, patria, principibus, gallos. *synechdoche,* Manuum reipub. senatum, equitatum, copias, tabellas, ingenium, manus, senatũ fortissimum, senatus, virtute, consilio, prudentia, *metonimiæ,* sceleris socios, *periphrasis coniuratorũ,* non enim, *parentesis & præoccupatio,* Aut reliquam, *merismos,* superuenerunt susceperunt, *omioteleuton,* quorum opera, *parentesis,* & ab illis,

merismos,

merismos, publico, *metaboli*. Quam alii, *polyptoton*, Negaui, *prosopopœia* Etenim, *expolitio*, à Pub. Lentulo *prosopopœia*, Ac ne longum, *transitionis particula*, Primũ ostendi, *diatiposis* dixisset q; *prosopopœia*, quæsiui, *dialogismus*, nam cũ id, *expolitio*, Argumenta, *diatiposis & verborũ congeries*, *qualis est hoc loco* virtute cõsilio prudentia, hic enim, *Aetiologia*

De confirmatione orationis.

Post narrationem confirmatio sequitur, cuius principiũ in propositione, seu quæstione principali describendа versatur. Refert enim suo nomine Dijs immortalibus decretam esse honorificam supplicationem, propter conseruatam ab incendijs vrbem. Sciendum porro est morem fuisse apud Romanos, vt ex senatus decreto, imperatorum nomine, qui bella gererẽt prospera, supplicationes ad Deorum templa, cum coniugibus & liberis causa gratulationis celebrarentur: supplicationes autem tales, non in vnum diem, verum in decem, quindecem pro cuiusq; merito decernebantur. Ad has ergo supplicationes latenter agendo, neq; exprimendo celebrandas, Quirites præmissis prius causis exhortabitur.

Inuentio confirmationis.

Confirmatio est generis suasorij. Suadet enim celebrationem diei, quo per se conseruata est Respub. Locos autem quos habeat confirmatio in deliberatiuo genere causæ Cic. lib. de orat 2. & Fabius lib. 3. cap. 9 docent. Aiunt enim sumi argumenta debere, ab

honesto, vtili, iucundo, facili, necessario. Argumenta ergo omnia huius confirmationis ad honestum reduci possunt. Honestum enim rhetores natura, legibus, virtutum descriptionibus, quæ ex efficientibus & effectis sumuntur, constare dicunt. Natura rei tangitur, dum dicit sibi supplicationem decretam, propter conseruatam vrbem, tanquam aliquod honorificum præmium pro laboribus, Reip. causa susceptis, cuius reddendi, natura ipsa, author est. Leges nullas recitat, sed senatus consultum, quod ad leges maxime pertinet exponit: Senatus enim consultum est. lex viua. Virtutum descriptiones sequuntur, in commemoratione facti, amplificatione, atq; in ipsos Deos translatione: dicit enim se tanto consilio esse vsum, vt quod videbatur, vix esse humani consilij, talem coniurationem comprehendere, hoc se Deorum auxilio, sine cæde, & sanguinis effusione consecutum esse. Descriptiones quoq; virtutum & meritorum suorum, a comparatione elucent, dum comparat antecedentia ciuilia bella, cum bello Catilinario, dum explicat finem bellorum ciuilium, & finem belli huius: dum deniq; repressionem illorum, cum repressione coniurationis huius confert. Hoc genus causæ exemplis potissimum illustrandum præcipiunt rhetores: quia futura ex præteritis facile colliguntur, cuius præcepti Cic: non immemor exempla ponit ciuilium bellorum quinq;. Ad vtile, iucundum, facile, necessarium nullum prorsus argumentum pertinet; quia non est necessarium, vt orator vbiq; omnibus vtatur locis.

Dispositio

Dispositio confirmationis.

Locorum & argumentorum dispositio est iudicij vt plerumq; solet. Porro argumentorum dispositio est inusitata. Etenim vel assumptionem tantum ponit, cum eius confirmatione; vel propositionem subiecta confirmatione, cùm tamen interim argumentationum complexiones reticeat, easq; in finem omnium syllogismorum reijciat. Quod facit primò vt artem celet. Etenim videtur tantum referre in hac oratione modum comprehensæ coniurationis: sed tamen in eum finem tendit, vt excitet ad celebrandam supplicationem. Secundò vt inuidiam maleuolorum vitet: nam si frequentius cupiat celebrandam supplicationem, inuidiam sibi cõciliaret. Tertiò vt modestiam suam ostendat: nam si frequenter inculcaret supplicationem celebrandam esse, arrogans quodam modo videretur. Quarto, vt positis præmissisq; causis, tanquam validioribus conclusionis fundamentis, firmius hæreat conclusio, acriusq; auditorem incitet. Hoc quoq; animaduertendum est, quod de industria principalem quæstionem longissimis confirmationibus assumptionum obruit. Quod in Catilina summum erat periculum, quod Deorum immortalium auxilio suppresserit coniurationem, diutius moratur in hisce assumptionibus, vt magnitudine mali ostensa, facilius ad celebrandam supplicationem persuadeat. Deinde, post principalis quæstionis complexionem, aliam argumentorum seriem instituit: nempe ab exemplis, quæ ad suum factum aptissimè comparat: vt ostendat

vt ostendit longè esse præstantius & commodius, quam illorum qui cum magna ciuium clade ciuilia bella suppressêre. Ad extremum dicit ita se in ea comprehendenda coniuratione gessisse, vt omnes ciues salui conseruarentur, quod a superioribus factum non erat. Sed iam ingrediamur singula argumenta. quorum sit hæc Propositio.

Supplicationes diis immortalibus meo nomine celebrandæ sunt.

Quam probat octo rationibus.

1. *Ratio*, quod vrbem incendiis, *in qua tangitur rei natura. Nam mihi supplicatio decreta est propter conseruatam vrbem, tanquam aliquod honorificum premium pro laboribus reipub. causa susceptis, cuius reddendi natura ipsa author est. Vbi obserua circumstantias qualitatis & modi talis est decreta supplicatio qualis antea nemini. Modus tangitur, dum ait*, Quibus verbis decreta.

2. *Ratio, ab exemplis & collatione. Nam si aliis benè administratæ reip. supplicatio decreta, multo magis Ciceroni, ob seruatam, decernenda est.*

3. *Ratio, ab honesto communi vero antecedentium*, Atque illud, *Præcesserit meritum subsequi ergo oportet præmium, ipsa nempe supplicatio. Quod autem hoc sit meritum, explicat, illudque æquum esse à dissimili ostendit*, nam P. Lentulus, *Si cuiquam consuli prætorem occidere licebat, certe mihi in priuatum animaduertere licuit. Sed C. Mario Glauciam occidere licuit. Ergo & ego Lentulum, qui ius ciuis & prætoris,*

prætoris, amiserat, iure conuictum, iuste punio, & sine cuiusquam inuidia. Dissimile est prætor & priuatus, & de illo nominatim nihil decretum. Lentulus autem literis conuictus, deq; eo superius nominatim fuisse decretum dixit.

4. *Ratio, ab honesto, communis vero ab effectis,* nunc quoniam, *omnia pericula mea opera conciderunt, salus & pax reipub. data est. Confirmatur ratio,* Quem quidem ego, *Quia & Catilina à quo maximum erat periculum eiectus, & cæteri coniurati capti, ac in custodiam traditi. Locus est ab effectis. An autem maximum periculum in Catilina situm fuit, probat ab adiunctis,* ille erat, *Qui omnium aditus tenet, consilia ad facinus, manu, linguaq; promptus est, in eo summum est periculum. At Catilina est talis, cæteri coniurati non. Ergo. Minor tantum est posita pro vtraq; parte. Nam superius dixit Lentulum somniculosum, Cassium præpinguem, & cætera. Quod vero sit in Catilina promptitudo, declarat dum dicit,* Neque vero cum aliquid mandauerat, confectum putabat, *Nihil erat, quod non ipse obiret, occureret, vigilaret, laboraret, & cætera. Amplificatur hæc ratio,* Hunc ego, *A consequentibus. Propositio. Si ego tam acrem hominem Catilinam vrbe non eiecissem, non facilè tanta moles mali, à ceruicibus vestris depulsa esset. Confirmatur,* non ille saturnalia, *ex dissimilitudine aliorum coniuratorum. Quia ille non constituisset diem saturnaliorum ad incendendam vrbem, vt alij coniurati, sed negotium celeriter, sine strepitu perfeciisset. Assumptum,* quæ nunc, *At qui eieci Catilinam*

linam quod exornat collatione minoris cum maiore, furti nempe, cum coniuratione. Ergo depulsa est tanta moles malorum à vobis.

5. *Ratio*, Quod si Catilina, *Quia si Catilina eiectus non esset, dimicandum nobiscum eo esset: nec tantis periculis liberata esset respub.*

6. *Ratio*, quanquam hæc omnia, *conuenit prope cum superioribus, excepto quod per correctionem tractatur, in qua explicanda, diutius Cic. moratur, sumiturq; ab effectis. Qui Rempub. non suo, sed Deorum immortalium Consilio adiutus liberauit, eius nomine supplicatio, dijs decreta, celebranda est.*

Sed Cicero non suo, sed Deorum immortalium consilio adiutus rempub. summis periculis liberauit.

Ergo.

OBserua quam callidè correctionem expoliat, dum enim dicit, vix videtur, *id facit, vt & suæ diligentiæ & dijs laudem tribuat. Propositio maior argumenti non est. Assumptionem. Nempe Deorum immortalium consilio, & nutu, se tantam rem perfeciſſe probat Cic:*

Primò, à testimonijs vel signis diuinis quorum duo genera facit: alterum obscurum. facis ardorem cæli, *ex quo non ita coniectura facile potest capi, quod ex arte per præteritionem ponit, quum enim dicturi sumus, quod causæ nostræ valde vtile sit & non nulla quæ minus vtilia videantur, nos omittere simulamus, præparamus hac ratione auditores, ad audiendum attentè*

attente id, quod causæ nostræ sit vtilius. Alterum signum vel testimonium est euidens. Memoria tenetis Cotta & Torquato. ex quo facile cognoscitur, quid protendat: aperte enim ostendit, coniurationem diuinitus esse patefactam: & hoc ob collocatam statuam, quam ponere iusserunt aruspices. Hac absoluta vtitur digressione, quo maiores. in qua inuehitur in coniuratos, qui non solum hominum domicilijs, sed etiam Deorum delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati.

Secundo, Assumptionem probat. Quibus ego fine. A proprio Deorum, quorum instinctu, beneficioq; voluntatem hanc Cic: suscepit, & ad tantum iudicium peruenit. Sensus ergo huius probationis est. Dij mihi inspirârunt hanc mentem, hocq; consilium dederunt. Ergo eorum ope coniuratio est, per me comprehensa. Conclusio præposita est Antecedenti.

Tertio, Assumptionem probat. Iam vero illa Allobrogum. Ab adiunctis iudiciorum. Deorum voluntate Lentulus ignotis & barbaris hominibus, arcanum coniurationis, stulte credidit. Ergo diuinitùs per Cic. comprehensa coniuratio.

Quarto eandem probat. Quid vero. Ex adiunctis Gallorũ. Diuinitus factum est, vt Galli impatientes seruitutis, spem imperij oblatam negligerent. Ergo diuinitùs comprehensa per Cic. coniuratio. Complexio, Quamobrem Quirites. per exhortationem. Celebrate igitur supplicationes: sub qua intelliguntur causæ supra allatæ. Quia scilicet omnia pericula concidderunt, Catilina eiectus, in quo summum erat periculum,

lum, coniurati comprehensi, Deorum immortalium auxilio Ressp. per Ciceronem liberata periculis. Post hãc aliam argumentorum seriem instituit. Nempe ab exemplis, quæ ad suum factum aptissimè comparat, vt ostendat, longe esse præstantius, & commodius, quam illorum, qui cùm magna ciuium clade ciuilia bella supprefsêre.

7. *Ratio.* Nam multi, *à minori ad maius. Si antea iusti & debiti honores Dijs habiti sunt, profecto nunc iustiores haberi debent. Sed primum est. Ergo. Maior propositio neglecta est. minor expresse posita est. Quæ cõfirmatur.* Erepti enim. *ex collatione exemplorum, quia coniuratio hæc sine sanguinis effusione comprehensa est. Cætera autem dissensiones cùm maxima crudelitate reconciliatæ sunt. exempla vide L. Syllæ Gnei Octauij.*

8. *Ratio.* Atque ille. *in qua probat iustiores sibi honores decretos, estq; locus à fine. Si honores decreti, ijs, qui dissensiones ad commutandum Reip. statum pertinentes, cùm maxima ciuium crudelitate sopierunt iusti fuerunt: profecto iustiores sunt mihi decreti, qui ciuile bellum ad delendam Remp. susceptum, sine cæde, & sanguine suppressi. At illud est. Ergo & hoc debet esse. Tractatur argumentum, per comparationem. Maior propositio neglecta. Assumptum pro vtraq; parte explicatur, comparat enim factum suum, cum alieno: pericula, cum periculis: dicitq; se ita in ea comprehendenda coniuratione gessisse, vt omnes ciues, salui conseruarentur, quod à superioribus factum non erat. Conclusio ad peroratienem reijcitur.*

Elocutio.

Elocutio.

VErba accommodata sunt rebus, in eorum autem compositione, maxima inuenitur soni amplitudo, præsertim autem in principio, quod maximè requirebat amplitudinem. Admista quoque est asperitas, vbi rei atrocitas tractatur, dum dicitur. Nunc quoniã sceleriſſimi periculoſiſſimiq;, & cætera. & omnia norat, omniũ aditus tenebat, quæ cum magno animi motu proferenda sunt. Adhibetur quoque compoſitionis mediocritas, in medio confirmationis dum dicitur, Quanquam hæc omnia Quirites, vsque ad hunc locum, Hic quis poteſt eſſe Quirites, tam auerſus à vero, quem locum ad grauitatem, & acrimoniam quandam compoſuit. In digreſſione, quo etiam maiore, maxima eſt acerbitas. Vtitur quoque orator de induſtria magna vocis suauitate, dum dicit, ille ille Iupiter reſtitit, Exempla cum maxima commiſeratione, & dolore narrat. Cætera diligenter obſeruator facilè olfaciet, quid gratum, quid ingratum auribus ſit.

Periodi & numeri.

PEriodos frequentes & elegantes hæc confirmatio habet, prima periodus eſt tricolos, cuius principiũ vnico, reditus duobus membris conſtat. Sequitur monocolos antitetis exornata, nam pub. Lentulus, periodus trimembris, nunc autem, periodus trimembris. Cætera membratim profert, hunc ego, periodus duorum membrorum, cuius principium multis epite-

tis ornatum, reditus est paulo breuior, non ille, *periodus tetracolos, cuius pincipium, tribus simplicibus membris constat, reditus vnico, dissimilitudine ornato.* Quod si Catilina, *periodus trium membrorum*, quanquam hæc omnia, *periodus vnius membri, quæ ad spiritum inclinat, cuius longior verborum tractus, ad continuum vocis sonum spectat*, nam vt illa, *periodus duorum membrorũ*, & enim cum, *periodus bimembris elegans*, illud vero, *pneuma*, quid vero vt homines, *periodus duorum membrorum, cuius principium est multis incisis ornatum, reditus antiteto & interrogationibus*, quamobrem Quirites, *Cæsim membratim, fluit hoc loco oratio, in qua compositionis grauitatem, ex sesquipedalibus verbis, venari licet*, atque illæ dissensiones, *periodus trium membrorum, cuius principium vnico continetur membro, reditus duobus, vnico verbo clausis*, atque illæ, *periodus monocolos*, in hoc autem, *tetracolos periodus cuius principium ad affectum compositum tribus membris constat, reditus vnico, eleganti expolitione ornato. Numerus & pedes, cum ex ipsis figuris, tum etiam ex industria positi, magni & concinni sunt. Sponte currens est in epistrophis, in omioteleutis, omioptotis, & similibus. Vt hoc loco*, ille erat vnus timendus, omnium aditus tenebat, audebat, tentare, appellare, occurreret, vigilaret, laboraret, &, constituisset, denunciasset, commisisset, *similes sunt numeri. Dum vero dicit*, ille, ille Iupiter, capitolium. *vtitur numero celeri, & vrgenti, qui ex trochæis, & dactylis constat.*

Figuræ.

Figuræ.

VRbem, ciues, mœnibus, vrbis, sceleris, vrbis, imperii, signum, tectis, puluinaria, vrbem, ciuium, *synecdochæ*, togato, senatus, sceleratissimi, periculosissimi belli, copias, opes, hominum, adipem, furiosam temeritatem, lingua, manus, signum, furtum, coniuratio, rempub. consilium, funestos, ignes nefarios, mentem audaciæ, *metonimiæ*, faciendum, factum, consilium, tanto, iusti, iustiores, vrbem, vrbe, bellum bello, vrbi vrbem, *polyptota*, patefactus, clarissimo, ceruicibus, depulissem, nutus consequi conspiceret, illustrarentur, leniſſime, dimicandum, interitum, occasum, ducibus, imperatore, redundauit, lumina extincta, calamitate reipub. *metaphoræ*, atque illud, *parekbasis seu digressio*, vt quæ religio, *paradigma per comparationem*, prætoris ius, *merismos seu distributio iuris*, tenetis, *omioteleuton in qua par numerus resonat*, sceleratissimi, *omioptoton*, erat ei, *paronomasia non tam in voce, quam in significatione, posterius enim, consilium, audaciam significat*, nil erat, *omioteleuta in quibus orbis numerosus continetur*. Hunc ego hominem, *congeries verborum, & omioptoton quæ numerosam facit orationem*, compulissem, depulissem, *omioteleuton & paronomasia seu agnominatio*, dicam id, *parentesis*, non ille, *numerorum concinnitatem hoc loco obserua, & ex membrorum quantitate, qua compar dicitur, & omioteleutis*, quæ nunc,

antapodosis contraria positio, vt nullum furtum, *ikon*, nam vt illa, *apophasis*, *præteritio & Aetiologia*, Hic quis potest, *congeries sententiarum idem ferè significantium*, *& interrogatio*, etenim, *expolitio qua eandem rem commutatis verbis explicat*, omnia & senatus & vos, *merismos qua genus diuidit in species*, qui non solum vestris domiciliis, *Hipophora qua intendit posterius ex priore*, ille capitolium, *anaphora & congeries conseruatarum rerum*, credita & ignotis, *merismos*, quid vero, *Aetiologia*, præsertim, *antitesis & interrogatio*, L. Sylla, *paradigmata*, partim eiecit, *merismos*, omnis hic locus, *topographia*, lumina ciuitatis, *ikon*, non illi, *antitesis cum hipophora*, vt non reconciliatione, *eadem cum hipotiposi qua rem ita describit, vt oculis subijcere videatur*, quale vnquam, *adinaton*, restituisset: potuisset, *omioptoton numeris per se re dolens*, & vrbem, & ciues seruaui, *adiunctio*.

Peroratio, *Quibus pro tantis.*

PErorationis *duas partes Rhetores statuunt, enumerationem & amplificationem: illa repetuntur summa præcipuorum argumentorum capita, hac affectus concitantur. Nulla argumentorum enumeratio euidens est*, nisi velis hoc loco vocare repetitionem, dum præmia laborum commemorat, & insigne honoris, monumentum laudis præmium virtutis, *quæ neglecta est, propter inuidiam. Et quemadmodum in confirmatione assumptionum, probationibus quæstio-*

quæstionem principalem obscurauit: ita in peroratione, non vult artem suam prodere. Amplificatio vero in affectibus mouendis est clarissima: & tota ferè peroratio ad affectus mouendos composita est.

Dispositio.

Quatuor partibus hæc peroratio constat.

In prima concludit ex superioribus supplicationem celebrandam esse, adhibita exornatione à dissimili. non desiderare se dicens magistratum, non triumphum, non statuam: tantum eius diei memoriam, hoc est supplicationem Deorum, quam partem amplificat ex contrariis. Nil me mutum dicens, delectat: at viuum delectabit. Huic rationem subiungit. Hoc enim sæpè, intellige statuas, minus digni assequi possunt. Hanc tandem amplificat, memoria vestra, *ab ijs quæ consequuta sunt memoriam illius diei scilicet supplicationem, dicens, se assecuturum incrementum virtutum, & perpetuitatem suarum laudum.*

In secunda, vnóque tempore, *collationem facit aliorum imperatorum secum, vt ostendat se esse in periculis: quo facto postulat vt defendatur, non sua, sed reipub. causa. Si enim ego prouidi, ne noceant vobis hostes: ne mihi noceant, prouidendum quoque vobis est. Argumentum à pari. Et si opprimetur Cic. nemo posthac rempub. defendet. Defendite ergo non tam me Ciceronem, cui nihil iam ad honorem, nihil ad gloriam acquiri potest. quam potius vestram rempub.*

In tertia, illud profecto, *promittit se in defendenda repub. constantem fore in posterum, ne putetur casu potius, non consilio conseruasse rempub. quod exornat adiunctis inuidiæ.*

In vltima, vos Quirites quoniam, *incitat ad celebrandam supplicationem & ad defensionem vrbis Dispositio verborum naturalis. prius ponit virtutem, deinde honorem, postremò monumentum. Sic in cæteris facilis erit talis dispositionis obseruatio.*

Vide in hac peroratione affectus, tota enim ferè ad hos mouendos composita est. Et statim in principio euidens est, affectuum commotio, dum dicit se ea negligere, quæ alij admirantur, & expetunt, in eoq; amplificando diutius versatur. dum dicit. Nullum ergo à vobis præmium virtutis, &c. *& paulo inferius. Dum describit optare se præmium, pro repub. conseruata, memoriam: quem locum synonimis exornat,* memoria, sermonibus, monumentis, *Excitat quoque commiserationem dum dicit sibi deteriorem esse conditionem conseruatæ reipub. quam alijs amplificatæ. Si tuti illi inter hostes fuerant, inter quos ipse viuens minime tutus esse potest. Excitat affectus, dum eligit deteriorem partem. Benefacta, inquiens, vobis aliorum prosunt. hoc ego curo ne mea mihi noceant. A pollicitatione constantiæ mouentur affectus hoc loco,* Est etiam in nobis is animus, *ex adiunctis inuidiæ. Non lædet me inimicorum inuidia, sed proderit ad gloriam. Denique affectus constant sententijs grauibus, pronunciatione, & gestu, quæ postremæ videre facilius est quam explicare.*

Elocutio.

VErba cum *sua compositione grauia sunt, & ad delectationem iucunditatemque accommodata. Compositionem porro, vel synonima, vel sententiarum par quantitas vel figura, iucundam orationis seriem efficientes, declarant: vt sunt anaphoræ grandes, comparia, synonima, antiteta, & cætera. Iucunditas, cum alibi, tum in principio & hoc loco spectatur.* Magnum enim in vobis est præsidium.

Periodi hic reperiuntur, Quibus pro tantis, *periodus dicolos, habens principium longius exitum breuiorem, quæ Hermogeni iucunda videtur. Quinimò in hoc loco & sequentibus akmi, quæ est, cum spiritus productione sententiæ vnius in aliam mutatio,* sed quoniam, *periodus tricolos elegantissima, cuius principium duobus membris, constat, reditus vnico eoque circumducto in orbem, vt quasi orbis in orbe esse videatur,* mentes enim, *periodus duorum membrorum cuius principium longius, reditus breuior, vt prioris,* Magnum est enim, *periodus quatuor membrorum, cuius principium tribus membris constat, reditus vnico: principij membra duobus incisis constant, quasi per antistrophin ornatis, tertium simplex, quia quarto circumductum,* Est etiam, *periodus vnius membri, vel si mauis cum Cic. appellare, membrum circumductum,* Quo si omnis, *periodus duorum membrorum,* illud perficiam profecto, *periodus duorum membrorum parium se-*

rè syllabarum, denique, *periodus vnius membri*, vos Quirites, *periodus duorum membrorum*, idne, *monocolos*.

Numeri.

TOtam *numerorum rationem ex iudicio oratoris pendere*, Cic. *author est. In dicendo enim*, *inquit*, *id numerosum putatur*, *non quod totum numeris constet*, *sed quod ad numeros proximè accedit. Concinnam & numerosam orationem faciunt*, *exitus casuum similes*, *vt hoc loco*, virtutis, honoris, laudis, & cætera. &, tacitum mutum, &, alentur, crescent, inueterascent, terminaret, seruaret, *est enim non quæsitus*, *sed vltro accersitus*, *in hac concinnitate numerus. Primam periodum incipit ab anapæsto*, & *spondæus*, *claudit dichoræo. quod genus clausulæ est lepidum & suaue*, Cic. *in fine sententiæ frequens. Secundam periodum incipit à syllabis celeribus*, *claudit tardissimis. Inter cæteros dichoræum pedem numerosum* & Cic. *laudabilem frequenter positum obserua. In verbis*, propagatam, terminaret, prouidere, iudicabunt, prouidendum, prouidebo.

Figuræ.

BEllum, *anaphora & compar*, *sententiæ enim sunt pari numero syllabarum*, virtutis honoris, *omioptoton*, insigne, ornamenta, insignia, condi & collocari, *metaphoræ*, omnes triumphos, *paria paribus collata*, nil me mutum, *expolitto*, omnes, *polyptoton*,

lyptoton, diei, *metonymia*, nil, *anaphora & dissolutum*, alentur crescent, inueterascent, corroborabuntur, *metaphoræ*, quam spero, *ominatio*, & ad salutem, *merismos*, vrbis consulatus, *metonymiæ*, quorum alter, *dialysis & epanodos*, fortuna, *metonymia*, mihi, mea, magnum, magna, *polyptoton*, mentes enim, *Aetiologia*, quanquam, *correctio*, violare, conuerterint, fructum, ascendere, altius, ornem, depulsum, *metaphoræ*, quod quæ defendet, *polyptoton & paria paribus collata & expolita*, est etiam, *assèueratio*, quod si omnes, *paromologia*, illud perficiam, *assèueratio*, inuidia, *paronomasia qua in contrarium sensum, eandem vocem detorquet*, tractabo, virtute, gesta, custodiis, vigiliis, *metonymiæ*.

M. T. CICERONIS
IN L. CATILINAM
Oratio IIII.

VIdeo, P. C. in me omnium vestrûm ora atq; oculos esse conuersos: video vos non solùm de vestro ac Reip. verùm etiam si id depulsum sit, de meo periculo esse solicitos. Est mihi iucunda in malis, & grata in dolore vestra erga me voluntas: sed eam per deos immortales (quæso) deponite, atq; obliti salutis meæ, de vobis ac liberis vestris cogitate. Mihi quidem si hæc conditio Consulatus data est, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusq; perferrẽ, feram non solùm fortiter, sed etiã libenter, dummodo meis laboribus, vobis, populoq; Romano dignitas salusq; pariatur. Ego sum ille Consul, P. C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur: non campus consularibus auspicijs consecratus non curia, summum auxilium omnium gentium: non domus commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non denique hæc sedes honoris sella curulis, vnquam vacua mortis periculo, atq; insidijs fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa cõcessi, multa meo quondam in vestro timore sanaui: nunc si hunc exitum consulatus mei, Dij immortales esse voluerunt, vt vos P. C. Populumq; Rom. ex cæde

misera, coniuges, liberosq; vestros, virginesq; Vestales ex acerbissima vexatione, templa, atq; delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrûm ex fœdissima flamma, totam Italiam ex bello & vastitate eriperem, quæcunq; mihi vni proponetur fortuna, subeatur. Etenim si P. Lentulus suum nomẽ inductus à vatibus fatale ad perniciem Reip. fore putauit, cur ego non læter meum consulatum ad salutem Reip. propè fatalem extitisse? Quare P. C. consulite vobis, prospicite patriæ: conseruate vos, coniuges, liberos, fortunasque vestras: populi R. nomen salutemq; defendite: mihi parcere, ac de me cogitare desinite. Nam primùm debeo sperare, omnes deos qui huic vrbi præsident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam esse. Deinde, si quid obtigerit, æquo animo paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura Consulari, nec misera sapienti: nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris charissimi atque amantissimi præsentis mœrore non mouear, horumque omnium lachrymis, à quibus me circumsessum videtis: neq; non meam mentem, nõ domũ; sæpè reuocat exanimata vxor, & abiecta metu filia, & paruulus filius, quem mihi videtur amplecti Resp. tanquam obsidem Consulatus mei: neque ille, qui expectans huius exitum diei adstat in conspectu meo gener. Moueor his rebus omnibus, sed in eam partem, vt salui sint vobiscum

scum omnes, etiam si vis aliqua me oppresserit, potiùs quàm & illi, & nos vna cũ Rep. peste pereamus. Quare P.C. incũbite ad salutẽ Reip. circumspicite omnes procellas quæ impendent nisi prouidetis, non Tib. Gracchus. qui iterum Trib. pleb. fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus est: non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, indiscrimen aliquod, atq; in vestræ seueritatis iudicium adducitur: Sed tenentur hi, qui ad vrbis incendium, ad vestrũm omnium cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ restiterunt. Tenentur literæ, signa, manus, denique vniuscuiusq; confessio: solicitantur Allobroges, seruitia excitantur. Catilina accersitur. Id est initum consilium, vt interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem Reip. nomen, atque ad lamentandam tanti imperij calamitatem relinquatur. Hæc omnia indices detulerunt, rei confessi sunt: vos multis iam iudicijs iudicauistis. Primùm, quòd mihi gratias egestis singularibus verbis, & mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse coniurationem decreuistis. Deinde, quòd P. Lentulum, vt se abdicaret Prætura, cõegistis. Tum quòd eum, & cæteros, de quibus iudicauistis, in custodiam dandos censuistis: maximeq; quòd meo nomine supplicationem decreuistis: qui honos togato habitus ante me est nemini. Postremò, hesterna die præmia legatis Allobrogum, Titoq;

Vulturti

Vulturtio dediſtis ampliſſima. Quæ ſunt omnia eiuſmodi, vt ij in cuſtodiam nominatim dati, ſunt, ſine dubitatione à vobis damnati eſſe videantur. Sed ego inſtitui referre ad vos P. C. tanquam integrum, & de facto quid iudicetis, & de pœna quid cenſeatis. Illa prædicam, quæ ſunt Conſulis. Ego magnum in Rep. verſari furorem, & noua quædam miſceri, & concitari mala iam pridem videbam. Sed hanc tantam, tam exitioſam haberi coniurationem à ciuibus nunquam putaui. Nunc quicquid eſt, quocunq; veſtræ mentes inclinant, atq; ſententiæ, ſtatuendum vobis ante noctem eſt. Quantum facinus ad nos delatum ſit, videtis: huic ſi paucos putatis affines eſſe, vehementer erratis: latius opinione diſſeminatum eſt hoc malum: manauit non ſolùm per Italiam, verùm etiam tranſcendit Alpes, & obſcurè ſerpens, multas iam prouincias occupauit. Id opprimi ſuſtentando ac prolatando nullo pacto poteſt. Quacũq; ratione placet, celeriter vobis vindicandũ eſt. Video duas adhuc eſſe ſententias: vnam D. Syllani, qui cenſet eos qui hæc delere conati ſunt, morte eſſe mulctandos. Alteram L. Cæſaris, qui mortis pœnam remouet, cæterorum ſuppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Vterq; & pro ſua dignitate, & pro rerum magnitudine in ſumma ſeueritate verſatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vita priuare conati ſunt, qui delere imperium:

qui

qui populi Romani nomen extinguere, puncto temporis frui vita, & hoc communi spiritu, non putat oportere. Atq; hoc genus pœnæ, sæpè in improbos ciues in hac Rep. esse vsurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem á Dijs immortalibus non esse supplicij causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum, aut miseriarum quietem esse. Itaq; eam sapientes nunquam inuiti, fortes etiam sæpè libenter oppetiuerunt. Vincula verò & ea sempiterna certè ad singularem pœnam nefarij sceleris inuenta sunt. Itaq; municipijs dispertiri iubet. Habere videtur ista res iniquitatatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare. Decernatur tamen, si placet: ego enim suscipiam, & (vt spero) reperiam, qui id quod saluti omnium causa statueritis, non putet esse suæ dignitatis recusare. Adiungit grauem pœnam municipibus, si quis eorum vincula ruperit, horribiles custodias circumdat, & digna scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum pœnam quos condemnat, aut per Senatum, aut per populum leuare possit. Eripit etiam spem, quæ sola hominem in miserijs consolari solet, bona præterea publicari iubet. Vitam solam relinquit nefarijs hominibus: quam si eripuisset multas vno dolore animi ac corporis & omnes scelerum pœnas ademisset. Itaq; vt aliqua inuita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quædam illi antiqui supplicia impijs

constituta

constituta esse voluerunt: quòd videlicet intelligebant his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam. Nunc P: C. ego mea video quid intersit. Si eritis secuti sententiam C. Cæsaris, quoniam hanc is Reip. viam, quæ popularis habetur, secutus est, fortasse minus erunt hoc autore & monitore huius sententiæ mihi populares impetus pertimescendi. Sin illam alteram secuti eritis, nescio an amplius mihi negocij contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes vtilitas Reip. vendicat. Habemus enim etiam à C. Cæsare, sicuti ipsius dignitas postulabat, & maiorum eius amplitudo, sententiam tãquam obsidẽ perpetuæ in Remp. voluntatis: intellectum est, quid interest inter lenitatem concionatorum, & animum verè popularem, saluti populi consulentem. Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse, non neminem, ne de capite videlicet ciuium Rom. sententiam ferat. Is & nudiustertius in custodia ciues Rom. Cethegum & Pub. Lentulũ dedit, & supplicationẽ mihi decreuit, & indices hesterno die maximis præmijs affecit. Iã hoc nemini dubium est, qui reo custodiã, quæsitori gratulationem indici præmiũ decreuit, quid de tota re & causa iudicârit. At verò C. Cæsar intelligit legẽ Semproniam esse de ciuibus Rom. cõstitutam. Qui autẽ in Rep. sit hostis, eum ciuẽ esse nullo modo posse. Deniq; ipsum latorem legis Semproniæ, iussu populi pœnas Reipub.

dependisse.

dependisse. Idem & ipsum largitorem Lentulum & prodigum non putat, cùm de pernicie Reip. & exitio huius vrbis tam acerbè, tamque crudeliter cogitârit, etiam appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat, P. Lentulum æternis tenebris vinculisq; mandare: & sancit in posterum, ne quis huius supplicio leuando, se iactare, & in pernicie Reip. post hac popularis esse possit. Adiungit etiam publicationem bonorum, vt omnes animi cruciatus, & corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur. Quamobrem siue hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad concionem pop. Rom. charum atque iucundum: siue illâ Syllani sententiâ sequi malueritis, facilè me atq; vos à crudelitatis vituperatione defendetis: atque obtinebo eam multò leniorem fuisse. Quanquam P. C. quæ potest esse in tanti sceleris immunitate punienda crudelitas? Ego enim de meo sensu iudico: nam ita mihi salua Repub. vobiscum perfrui liceat, vt ego, quòd in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moueor (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate & misericordia. Videor enim mihi hanc vrbem videre lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, subitò vno incendio concidentem. Cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos aceruos ciuium. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde

cæde bacchantis. Cùm verò mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est, purpuratum esse, & Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrum familiâs, tum fugam virginum atq; puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco. Et quia mihi vehementer hæc videntur misera atq; miserâda, idcirco in eos qui ea perficere voluerunt, me seuerum vehementemq; præbebo. Etenim quæro: si quis patersamiliâs liberis suis à seruo interfectis, vxore occisa, incensa domo, supplicium de seruis quàm acerbissimum sumpserit, vtrum is clemens ac misericors, an inhumanus & crudelissimus esse videbitur? Mihi verò importunus ac ferreus, qui non dolorē cruciatu lenierit. Sic nos in ijs omnibus qui nos, qui homines coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt: qui singulas vniuscuiusq; domos, & hoc vniuersum Reip. domicilium delere conati sunt: qui id egerunt. vt gentem Allobrogū in vestigijs huius vrbis atq; in cinere deflagrati imperij collocarent, si vehemētissimi fuerimus, mi sericordes habebimur: sin remissiores esse voluerimus, summæ nobis crudelitatis in patriæ ciuiumq; pernicie fama subeunda est. Nisi verò cuipiā L. Cæsar vir fortissimus & amantissimus Reip. crudelior nudiustertius est visus, cùm sororis suæ fœminæ electissimæ virum præsentem, & audientem, vita priuandum esse dixit:

cùm Flaccum iussu Consulum interfectum, filiumque eius impuberem ligatum, à patre missum in carcerem, necandum esse dixit. Quorum quid simile fuit factum? quid initum delendæ Reip. consilium? largitionis voluntas tum in Rep. versata est, & partium quædam contentio. Atque illo tempore huius auus Lentuli clarissimus vir, armatus, Gracchum est persecutus: ille graue tum vulnus accepit, ne quid de summa Reipub. dignitate minueretur: Hic ad euertenda fundamenta Reipub. Gallos accersiuit, seruitia concitauit, Catilinam euocauit, attribuit nos trucidandos Cethego, cæteros ciues interficiendos Gabinio. Vrbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinæ: Veremini, censeo, ne in hoc scelere tam immani ac nefario nimis, aliquid seuere statuisse videamini? Cùm multò magis sit verendum, ne remissione pœnæ crudeles magis in patriam, quàm ne seueritate animaduersionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamini. Sed quæ exaudio, P. C. dissimulare non possum: iactantur enim voces, quæ perueniunt ad aures meas, eorum qui vereri videntur, vt habeam satis præsidij ad ea quæ vos statueritis hodierno die tãfigenda. Omnia prouisa, parata & constituta sunt, P. C. cùm mea summa cura atque diligentia, tum multò etiam maiore populi Romani, ad summum imperium retinendum, & ad communes

fortunas

fortunas conseruandas. Voluntate omnes adsunt omnium ordinum homines, deniq; omnium ætatum: plenum est forum, plena templa, pleni omnes aditus huius loci ac templi. Causa enim est post vrbem conditam hæc inuenta sola, in qua omnes sentirent vnum atque idem, præter eos, qui cùm sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potiùs, quàm soli perire voluerunt: hosce ego homines excipio, & secerno libenter, neq; enim in improborum ciuium, sed iam acerbissimòrum hostium numero habendos puto. Cæteri verò Dij immortales, qua frequencia, quo studio, qua virtute ad communem dignitatem salutemq; consentiunt? Quid ego hîc Equites Romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consilijque concedunt, vt nobiscum de amore Reipublicæ certent. Quos ex multorum annorum dissensione huius ordinis, ad societatem concordiamq; reuocatos, hodiernus dies vobiscũ atq; hæc causa coniungit: quam coniunctionẽ si in Consulatu confirmatam meo, perpetuam in Rep. tenuerimus, confirmo vobis nullum posthac malum ciuile ac domesticum, ad vllam Reip. partem esse vẽturum. Pari studio defendendæ Reip. conuenisse video Tribunos ærarios fortissimos viros: Scribas item vniuersos, quos cùm casu huc dies ad ærarium frequentes aduocauit, video ab expectatione huius sortis ad communem salutem esse conuer-

sos: omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tenuissimorum. Quis enim est, cui non hæc templa, aspectus vrbis, possessio libertatis, lux denique hæc ipsa, & hoc commune patriæ solum cùm sit charum, tum verò dulce atq; iucundum? Opere præcium est. P. C. libertinorum hominum studia cognoscere, qui sua virtute, fortunam ciuitatis consecuti, hanc verè suam patriam esse iudicant. Quam quidam hinc nati & summo nati loco, non patriam suam, sed vrbem hostium esse iudicauerunt. Sed quid ego huiusce ordinis homines cõmemorem? quos priuatæ fortunæ, quos communis Resp. quos deniq; libertas ea, quæ dulcissima est, ad salutem patriæ defendendã excitauit? Seruus est nemo, qui modò tolerabili conditione sit seruitutis, qui non audaciã ciuium perditorũ perhorrescat qui nõ obstare cupiat qui non tantum quantum audet & quantũ potest, conferat ad communem salutis voluntatẽ. Quare si quem vestrũm fortè cõmouet hoc, quod auditum est, lenonem quẽdam Lentuli concursare circum tabernas, precio sperantem sollicitare posse animos egentium atque imperitorum: est id quidem cæptum atque tentatum: sed nulli sunt inuenti tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellæ atque operis & quæstus quotidiani locum, qui non cubilia ad lectulum suum, qui denique non cursum hunc ociosum vitæ suæ saluum esse velint, multo verò maxima

pars

pars eorum qui in tabernis sunt, nisi verò (id enim potiùs est dicendum) genus hoc vniuersum amantissimum est otij. Etenim omne eorum instrumentum, omnis opera ac quæstus, frequentia sustinetur, alitur otio. Quorum si quæstus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum est? Quæ cùm ita sint P. C. vobis populi Romani præsidia non desunt. Vos, ne Reip. deesse videamini, prouidete. Habetis Consulem ex plurimis periculis & insidijs, atque ex media morte, non ad vitam uam, sed ad salutem vestram reseruatum: omnes ordines ad conseruandam Remp. mente, voluntate, studio. virtute, voce consentiunt. Obsessa facibus & telis impiæ coniurationis, vobis supplex manus tendit patria communis. Vobis se, vobis vitam omnium ciuium: vobis arcem & Capitolium: vobis aras, penates: vobis illum ignem Vestæ perpetuum ac sempiternum: vobis omnia templa Deorum atq; delubra: vobis muros atque vrbis tecta commendat. Præterea de vestra vita, de coniugum vestrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris hodierno die vobis iudicandum est. Habetis ducem memorem vestri, oblitũ sui, quæ non semper facultas datur, vt sui oblitus, Cõsul ciuium suorũ sit memor. Habetis omnes ordines, omnes homines, vniuersam Remp. Id quod in ciuili causa hodierno die primùm videmus, vnũ atque idem sentientem

tientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas, nox vna penè delêrit. Id ne vnquam posthac non modò confici, sed ne cogitari quidem possit, vobis hodierno die prouidendum est. Atque hæc non vt vos, qui mihi studio penè præcurritis, excitarem, locutus sum: sed vt mea vox quæ debet esse in Rep princeps, officio functa Consulari, videretur. Nunc antequam P.C. ad sententiã redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est coniuratorum quã videtis esse per magnam tantam me inimicorũ multitudinẽ susceptisse video: sed eã esse iudico turpem & infirmam, contemptam & abiectam: quòd si aliquando alicuius furore & scelere concitata manus ista plus valuerit quàm vestra ac Reipublicæ dignitas, me tamen meorum factorum atque consiliorum, P. C. nunquam pœnitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata. Vitæ tantam laudem, quanta vos me vestris decretis honestatis, nemo est assecutus. Cæteris enim semper bene gestæ, mihi vni conseruatæ Reip. gratulationem decreuistis. Sit Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute Annibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus est. Ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas vrbes huic imperio infestissimas Carthaginẽ, Numantiamque deleuit. Habeatur vir

egregius

egregius L. Paulus ille, cuius currum rex potentissimus Perses honestauit. Sit in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione & metu seruitutis liberauit. Anteponatur omnibus Pōpeius, cuius res gestæ atq; virtutes ijsdē quibus Solis cursus è regionibus ac terminis continentur. Erit profectò inter horum laudes aliquid loci nostræ gloriæ: nisi fortè maius est patefacere nobis prouincias, quò exire possimus: quàm curare, vt etiam illi qui absunt, habeant quò victores reuertantur. Quanquam est in vno loco conditio melior externæ victoriæ, quàm domesticæ, quòd hostes alienigenæ aut oppressi seruiunt, aut recepti, beneficio se obligatos putant. Qui autem ex numero ciuium dementia aliqua deprauati, hostes patriæ semel esse cœperunt, eos cùm à pernicie Reip. repuleris. neque vi cōércere, neque beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis ciuibus æternum bellum susceptum esse video, quod ego vestro bonorumque omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum, quæ non modò in hoc populo qui seruatus est, sed etiam in omnium gentium sermonibus, ac mentibus semper hærebit, à me atque à meis facilè propulsari posse confido: Neque vlla profectò tanta vis reperietur, quæ coniunctionem vestram equitumque Rom. & tantam conspirationem bonorum omnium perfringere & labefactare possit. Quæ cùm ita sint, P. C. pro imperio, pro

exercitu,

exercitu, pro prouincia, quam neglexi: pro triumpho, cæteriſque laudis inſignibus, quæ ſunt à me propter hanc vrbem veſtram, veſtrasq; ſalutis cuſtodiam repudiata: pro clientelis, hoſpitijſque prouincialibus, quæ tamen vrbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo. Pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos ſingularibus ſtudijs, proque hac, qua proſpicitis ad conſeruandam Remp. diligentia nihil à vobis, niſi huius temporis totiuſq; mei Conſulatus memoriam poſtulo. Quæ dum erit veſtris mentibus infixa firmiſſimo me muro ſeptum eſſe arbitrabor. Quòd ſi meam ſpem vis improborum fefellerit atque ſuperauerit, commendo vobis paruum meum filium: cui profecto ſatis erit præſidij, non ſolùm ad ſalutem, verùm etiam ad dignitatem, ſi eius qui hęc omnia ſuo ſolius periculo conſeruauerit, illum eſſe filium memineritis. Qua propter de ſumma ſalute veſtra populique Romani, P. C. de veſtris coniugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius vrbis tectis ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deq; vniuerſa Rep. decernite diligenter vt inſtituiſtis ac fortiter. Habetis enim Conſulem, qui & parere veſtris decretis non dubitet: & ea quæ ſtatueritis, quoad viuet, defendere, & perſeipſum præſtare poſſit.

ADAMVS

ADAMVS STEZICIENSIS IN QVARTAM CIC. ORATIONEM CATILINARIAM.

Argumentum orationis.

POstridie quam deprehensi coniurati, iudicati, confessi, & in custodias liberas traditi sunt, legatis Allobrogum, Titoq; Vulturcio ex senatus decreto, præmia data sunt amplissima. Huius diei postridie, quum sentiret Cic. quorundam manus comparari, ad eripiendos vi è custodia coniuratos, habuit senatum in curia, vt de coniuratorum pœna, senatus decerneret. D. Syllanus consul designatus, primus sententiam rogatus, eos vltimo supplicio afficiendos censuit: eius sententiam multi secuti. Postea G. Cæsar censuit eos publicatis bonis, per municipia dispertiendos, inque publicas custodias tradendos: denunciatis pœnis ijs qui eximerent, vel qui vt reuocarentur, ad senatum referent. Hanc Cæsaris sententiam, multi sequebantur, pluresq; secuturi videbantur, propterea quod minorem Cic. inuidiam coniuratorum pœna ex hac sententia decreta, conflatura esse videbatur. Cicero ne in hanc sententiam reliqui omnes concederent, vtq; sua vox officio functa consulari videretur, hanc orationem in senatu habuit: in qua hortatur senatores, vt cogitent magis de suo, de coniugum & liberorum periculo, quam ipsius Ciceronis. Cæsaris sententiam vere popularem

esse dicit, eam laudat, eam sibi minus periculosam fatetur: sed hortatur senatores vt Syllani potius quam Cæsaris sententiam sequantur: nec verendum vs esse ostendit, vt videantur crudeles, si deprehensos coniuratos, vltimo afficiant supplicio: sed potius verendum, ne si in coniuratos lenes & clementes sint, in patriam crudeles esse videantur.

Genus Quæstionis.

QVæstio est descripta personis, & circumstantia modi. Vtrum in puniendis coniuratis sententia Syllani, qui censet eos morte multandos esse: an Cæsaris, qui mortis quidem pœnam remouet, sed omnes supplicíorum acerbitates adhibet sequenda sit? vtramq; laudat, sed priorem sequi oportere censet.

Genus Causæ.

ORatio refertur ad genus deliberatiuum. Suadet enim potius interficiendos esse coniuratos, quam publicatis eorum bonis in perpetua custodia seruandos. Quia hostes sunt: quia sententia Cæsaris popularis est: quia animaduersio euidentis facinoris, non est crudelitas: quia cines interficere coniurati voluerunt, funestos ignes inferre vrbi. Ergo interficiendi.

Dispositio Orationis.

ORatio constat, quinque partibus. Exordio, propositione, refutatione, confirmatione, & epilogo. Estque eau ordo iudicij non naturæ: contra enim naturalem

turalem ordinem partium, refutationem præmittit confirmationi.

Elocutio Orationis.

GEnus dicendi in hac oratione, mediocre quidem est: sed tamen ita tractatum, vt proximè ad summum accedere videatur. Affectus mouet crebro, quibus tanquam aculeis quibusdam animos auditorum capit, stimulat, atque ad sequendam Syllani sententiã animat sentẽtijs elegantibus multis, iisq; expressis scatet quæ facilè auditoris animũ retinent, vt forti viro, turpis mors non potest accidere, immatura consulari: misera sapienti. Iucunda in malis voluntas amicorum. Spes sola hominem in miseriis solatur. Hostis reipubciuis esse nequit. omnis opera ac quæstus frequentia sustinetur, alitur otio, & cætera.

De Exordio.

MVlti senatores Cæsaris sententiam quæ exilio coniuratos multabat, in rem Ciceronis esse putabant, quod hac coniuratorum pœna minus inuidiæ subiret Cicero: ideoque hanc Cæsaris sententiam sequabantur. Eos igitur senatores hortatur Cic. vt periculum suum, & coniugum & liberorum metuant magis, quam ipsius Ciceronis.

Genus Exordij.

GEnera exordiorum duo tradunt rhetores: proœmium, in quo continetur aperta beneuolentiæ captandæ ratio; & insinuatio, qua clandestinè ingredimur in cau-

in causam. Genus exordij in hac oratione est apertum, quod græci proœmium, latini principium vocant: quia tale genus exordij ipsa qualitas prodit. Honestum est genus causæ, aperta quoque est beneuolentiæ, attentionis, & docilitatis parandæ ratio: ob quæ attributa, seu fines, reperta sunt exordia. Parat Cic. beneuolentiam à persona sua, dum dicit se suam salutem negligere, publicam verò curare: ab incommodis suis, quod propter se propinqui mœrore afficiantur, seq; dicens non esse ferreum, qui fratris charissimi atque amantissimi præsentis mœrore non moueatur. Parat etiam à rebus ipsis, nempe à conseruata repub. Attentionem verò parat, dum metum iniicit Senatui, proposita ex collatione periculi magnitudine, dum dicit non T. Grachus, *quiiterum tribunus plebis esse voluit, paratur quoque attentio ex certitudine sceleris dum dicit,* Tenentur literæ, signa, manus, deniq; vniuscuiusque confessio. *Item,* Hæc omnia iudices detulerunt, rei confessi sunt, vos multis iam iudicijs iudicastis, *Docilitatem verò parat, in generali totius causæ expositione dum dicit,* sed ego institui referre P, C, & cætera. *hoc enim loco est totius orationis principalis propositio. Cuius sensus est, Institui referre ad vos, quid de pœna coniuratorum censeatis, hoc est pœna ne mortis, an perpetui carceris puniendi sint. Facit quoq; docilitatem & attentionem, ex magnitudine mali, quod impendet, nisi prouideant, ex authoribus coniurationis multis.*

Inuentio

Inuentio exordij.

HErmogenes ponit quatuor ſpecies exordiorum. Prima eſt ex opinionibus hominum ducta, qualis eſt Actione 1. *Si quis veſtrum iudices, aut eorum, qui adſunt mirantur, & in Ver. oratione 7. Nemini video dubium eſſe iudices, quin apertiſſimè C. Verres in Sicilia, ſacra, profanaq; omnia, & priuatim, & publicè ſpoliauit.* Secunda à diuiſione, quod adfert commendationem oratori, cum ſit ingenioſum, vt eſt pro Cluentio. *Animaduerti iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes.* & pro Cecinna *ſi quantum in agro locisq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro, iudicijsq; impudentia valeret,* & cætera. & pro Quintio, Tertia ex ſuperabundanti actione quod vel multa omittit, vel quædam aduerſario donat, quæ eſt morata, vt lib. 2. in Verrem. *Multa mihi iudices neceſſario prætermittenda ſunt, vt poſſim aliquando de iis rebus, quæ mihi commiſſæ ſunt dicere.* Et pro Archia poëta. *Si quid eſt in me ingenij quod ſentio quã ſit exiguum, aut ſi quæ dicendi exercitatio,* Quarta ex attributis & circumſtantiis locorum, temporum, perſonarum, locorũ vt pro Deiotaro, quo d intra priuatos parietes dicat. Perſonarum vt pro domo ſua: temporis, vt pro Cælio, quod die feſto iudicium coactum ſit Præſens exordium ductum eſt ab opinione hominum vel Senatus. Senatus minus periculum opinabatur Ciceroni ſubeſſe, ſi ſententiam Cæſaris ſequeretur: ille non de ſuis ſed de publicis periculis conſulere hortatur. Vi-

tur. Video patres conscripti, in me, omnium vestrum ora, atque oculos.

Dispositio Exordij.

Dispositio exordij est naturalis primo proponit, & aperit dicenda, deinde approbat, postea ad rem ipsam redit, denique concludit.

Propositio, Cogitatis de mea salute.

Approbatio, Grata mihi est voluntas vestra erga me.

Reditio, Sed obliti salutis meæ de publica salute cogitate.

Ratio reditionis pro prima parte, hoc est cur de Cic. salute cogitare non debeant, mihi quidem, Quia consulatus meus fatalis est, ad ferendos pro patria dolores. Locus ab adiunctis. Si consulatus meus subiectus est doloribus pro patria ferendis, eos ego feram vt salutem patriæ conseruem, Atqui primum est. Ergo & secundum: Maiorem posuit, minorem neglexit, sed eius probationem posuit, dum dicit. Ego sum ille consul, quæ ducta est ex euentis, quam in partes Cic. distribuit. Ille consule, nullus mihi locus vacuus fuit periculis. Ergo consulatus meus fatalis est, ad ferenda pericula & dolores. Ratio reditionis pro altera parte, nunc si hunc exitum. si meus consulatus, fatalis est, ad salutem patriæ, quæcunq; mihi obtigerit fortuna eam subibo locus est adiunctorū, Quod confirmat, & enim si publ. Lentulus, à contrariis: opponit enim Lentulum tam quam patriæ hostem sibi reipub. seruatori.

Conclusio, Quare P. C. consulite, Quæ ad salut

salute patriæ cogitate, de me cogitare desinite. Hanc primo confirmat tum à spe & fortitudinis definitione. Referent mihi inquiens dij pro meis in patria conseruanda laboribus gratiam. Ergo omnes labores & pericula subibo: tum ab adiunctis fortis viri, consularis, & sapientis. Parato animo fortiq; moriar. Ergo mors mihi, non poterit esse grauis, vel turpis, vel immatura, vel misera.

Secundo corrigit propositionem, nec tamen ego sum, *Moueor quidem periculis, moueor propinquorum lachrymis, qui metuunt, ne mihi aliquid mali accidat: quam amplificat à partibus propinquorum, & postea soluit per distinctionem. Sed tamen ita moueor, non vt ego, sed vt nos omnes salui simus.*

Tertio, Quare patres conscripti, *occasione ex se facta, quod moueatur periculo, sed publico, adhortatur eos ad consulendum de publico periculo, ex collatione dissimilium exemplorum id faciendum esse probans. Si enim illi, qui seditiones plebis concitârunt, vt Gracchi: si illi qui priuatum hominem interfecerũt vt Saturninus morte multati: multo magis coniurati, qui ad incendium reipub. ad cædem ciuium, Romæ remanserunt, multandi sunt. Diligenter ergo de publico periculo consulere debetis. An autem ij ad euertendam rempub. remanserint, probat*, tenentur literæ, signa, manus. *à testimoniis, signis, & iudicato.*

Dispositio quoque rerum & verborum naturalis est: veluti in rebus admirandis, primum vultum conuertimus, deinde oculis aspicimus, postea cogitatione reuoluimus. Hinc dicit videor P. C. omnium vestrum

ora,

ora, atque oculos conuersos. Sic inferius, quæ sunt priora tempore prius commemorat, vt frater, vxor, filia, filius, gener, & cætera. Res gestæ, vt sunt gestæ narrantur. literæ, signa, manus, confessio. Deinde prius iubet cognoscere scelus, deinde de pœna statuere. Et de facto quid iudicetis & de pœna quid statuatis.

Elocutio.

TOtum exordium *ad commiserationem spectat, suntque in eo affectus insignes in ijs locis primo dum gratam sibi dicit voluntatem sui defendendi 2. dum pericula sua longo orationis tractu recitat: humani enim ingenij est moueri iniuriis aliorum 3. dum suam curam commemorat in seruanda patria: beneficiorum enim necessaria commemoratio, officij memores efficit 4. dum suam constantiam in defendenda patria asseuerat, & in contemnendis pro patria periculis.* Neque enim turpis mors forti viro, & cætera. *Reliqua diligens lector obseruabit.*

Compositio.

LIterarum similium coagmentatio *frequens, reddit hiulcam, vel resistentem orationem: sed medium si quis inter raritatem & frequentiam teneat, iucundam efficiet orationem. Vocalibus in hoc exordio Cicvtitur frequentibus, in principio E, & O. consonantibus vero S, M. quod genus orationis est graue, iucundum, elegans, ac tersum: similis decursus vrgentem facit*

facit orationem, fortiter, libenter, *&*, consulite, desinite, perspicite, *& cætera.*

Periodi.

PEriodi *sunt frequentes & elegantes prima, secunda, & tertia sunt bimembres*, mihi quidem, *pneuma*, nunc si hunc, *periodus bimembris cuius primũ membrum incisis est ornatum, per diuisionem totius in partes*, quare P. C. *periodus bimembris, cuius primum membrum, multis incisis similibus est ornatum*, num primum, *periodus duorum membrorum*, neq; enim, *vnicum membrum interiecit sine circumductione, quale Gnomi esse solet, in reliquis membratim & cæsim dicit*, non T. Gracchus, *periodus tetracolos, cuius principium tribus membris constat, reditus vnico, tribus incisis ornato, cætera membratim incisimq; dicit*, ego magnum, *periodus bimembris*, nunc quicquid est, *membrum inciso ornatum quod habet quandam vim ad impellendum. Tale est in fine*, quacunque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est, *interiecta sunt membra duo similis compositionis*: *vt*, videtis, erratis.

Numerus.

NVmerus *est suauis & iucundus, qui & æqualitate grata, & varietate suauis constat. Incipit ab anapæsto & spondeo, terminatur in molossum*, est mihi, *Creticus, finit contrario pede amphibrachi: nam syllaba vltima cuiusq; dictionis est communis. obseruabis*

frequentes dichoreos, vt, cogitate, continetur, consecratus, extitisse, cogitare, restiterunt, & *Ionicũ maiorem*, defendite, incumbite, accersitur, confessio, & cætera. *Pæan primus frequens quoque est, vt*, consulite, prospicite, desinite, seruitia, incumbite, circumspicite, *cætera prosodiacis præceptis imbutus, facilè obseruabit.*

Figuræ sententiarum.

SEd eam per Deos immortales, *protropi seu adhortatio*, feram non solum fortiter sed etiam libenter, *epistrophe*, cui non forum, *amplificatio totius in partes, in qua vniuscuius que partis explicatio continetur. forum in quo æquitas continetur: curia summum auxilium omnium gentium: domus commune perfugium*, & cætera. Græci hipotiposin vocant. Multa tacui, *simploce, alias complexio, quæ eandem vocẽ, in principio, medio, fine repetit.* Nunc si, *amplificatio est*, & *totius in partes diuisio*, & enim si, *paradigma*, & *erotima*, quare, *complexio & congeries similium sententiarum*, neque enim, *epanodos numeri, & paria, paribus reddita*, neq; meam mentem, *amplificatio qua genus in suas species diuidit. Propinquos nempe, in fratrem, vxorem, filium*, & cætera. Non Tib. Gracchus, *paradigmata*, Tenentur literæ, *congeries sententiarum*, primum quid, *enumeratio*, quæ omnia, *complexio*, & de facto, *orbis numerosus, quo similes numeri ponuntur*, quantum facimus, *communicatio.*

Figuræ

Figuræ verborum.

VIdeo, *anaphora*, ora, oculos, *metonimiæ*, vos vestra, *polyptoton*, cruciatus, *synechdoche*, proferre, *polyptoton*, pariatur, *metaphora*, non non, *anaphora*, forum, campus, domus, lectus, omnium, *synechdoche*, æquitas, *metonimiæ*, vacua acerbissima, vexatione, sanaui, immatura, ferreus, abiecta amplecti, oppresserit, incumbite, circumspicite, impendent, prouidetis, patefactæ, ampliſſima, *metaphoræ*, tacui, *omiotoleuton*, lachrymis, domum vis reipub: seueritatis, incẽdium, cædem, manus, seruitia, nomen, togato, *metonimiæ*, vrbis, signa, *synechdoche*.

Propositio orationis,
Sed ego instituí.

PRopositio est futuræ deliberationis, cui adiuncta est adhortatio ad celeriter iudicandum, quæ nititur duabus rationibus tractatis amplificatione periculorum.

Prima ratio est, ego magnum, *ab adiuncta periculorum magnitudine. Exitiosa est coniuratio, & quam nunquam quisquam putaret suſceptam. Ergo*, nunc quicquid, *celeriter iudicandum est.*

Secunda ratio est, quantum facinus, *à causis adiuuantibus. Multi sunt præter omnium opinionem, huius facinoris authores. Ergo*, quacunq; ratione, *celeriter statuendum est. Antecedens tractat commu-*

nicatione, videtis, *paradoxo*, latius opinione diſſeminatum eſt hoc malum, *auxeſi*, manauit nō ſolum per Italiam, verum etiam tranſcendit Alpes, *Concluſionem amplificat diſſimili: diſſimilia enim ſunt, ſuſtentare, prolatare, & celeriter iudicare.*

Refutatio.

IN *hac primo oſtendit duas eſſe ſententias de coniuratis, quarum alteram ſibi probari, alteram non item, dicit. Non quod duo ſoli ſcilicet Syllanus & Cæſar deliberauerint. Neronem enim ante Cæſarem dixiſſe ſententiam Appianus, lib. 2. ſcribit: qui coniuratos cenſuit cuſtodiendos, quo ad Catilinā ſuperatus eſſet, vt rem diligentius certiusq; inquirerent, atque animaduerterent: ſed ideo dicit*, video duas adhuc eſse ſententias, *quod cæteri in eas iuerunt frequentes. Probat ergo maximè in hac refutatione ſententiam Syllani, Cæſaris improbat, ſed admodum callidè: Laudat enim Cæſarem & eius ſententiam improbat: vnde ſpectatur prudentia oratoris, qui cuius ſententiam reiecit, eius perſonam non offendit. Cur autem apertè nolit refutare, hæ ſunt cauſæ. Prima ne eum offendat ſibi. 2. Ne offenſum irritet in rempub. 3. Ne Cæſar per apertam refutationem putetur conſcius eſſe coniurationis Catilinæ. 4. Vt eum lenitate refutationis pertrahat ad ſuam ſententiam. 5. Vt prudentiam ſuam oſtendat in magiſtratu adminiſtrando: magiſtratum lenem eſſe debere in reprehendendis de repub. aliorum ſententiis. Hiſce de cauſis apparet Cic. de induſtria talem concinnaſſe refutationem.*

Secundo

Secundo refutat cuiusdam ciuis factum, qui in senatum non venit, ne de capite ciuium iudicaret, simulque Cæsarem laudat.

Porro refutatio, Cicerone teste, de inuentione, argumenta aduersariorum, aut diluit, aut infirmat, aut eleuat, Cic. hoc loco infirmat dilemmate, dum dicit nec rogando, nec imperando id perfici posse. Rhetores argumentum tale vocant ab incommodo. Eleuat etiam sententiam Cæsaris, sed simulatè: laudat hominem, eius tamen consilium minime sibi probari significat. dum dicit hanc pœnam similem esse pœnis fictis inferorum. Postea eius sententiam popularem ambiguo nomine vocat, quod vix in tanta oratoris astutia iudicare possis, ad laudem ne, vel ad improbationem pertineat. vtitur quoque refutatione ab inutili: dicit enim in sententia Cæsaris aliquid periculorum inesse: in Syllani & si quoque sit aliquid, tamen tutiorem & vtiliorem sententiam reipub. hanc esse dicit.

Inuentio & dispositio Syllani sententiæ, alter eos.

Propositio, Coniurati, mortis pœna, sunt puniendi.

Ratio 1. Quia rempub. delere voluerunt.

Ratio 2. Quia mortis pœna in improbos ciues vsitata fuit.

Conclusio, Ergo eos puncto temporis frui, vita, & hoc communi spiritu non oportet.

Argumentum est ab efficientibus causis, & exemplis.

Inuentio & dispositio Cæsaris sententiæ, *Alter intelligit.*

Sententia Cæsaris hæc est & eius dispositio.

Propositio, Mors non est supplicij causa inuenta.

Ratio 1. Quia inuenta est vel ob necessitatem naturæ, vel ob laborum, miseriarumque quietem.

Ratio 2. Quia plerique eam appetiuerunt.

Conclusio, Ergo coniurati non sunt morte puniendi.

Vincula autem sunt ad pœnam sceleris inuenta, eamque sempiternam.

Ergo vinculis sempiternis tradendi sunt Locus à descriptione pœnæ.

Refutatio Cæsaris sententiæ, *habere videtur.*

Tali dilemmate, primo refellit Cæsaris sententiam.

Vel iubet Cæsar imperare municipibus, vt seruent coniuratos, vel rogare. Sed vtrumque incommodum est. Nam iniquum est municipibus imperare, vt coniuratos in custodiam suam accipiant, & quod iniquum est, hoc est difficilè ad impetrandum. Ergo non est sequendum in vtramuis tamen partem se paratum esse dicit, ne offendat Cæsarem.

Secundo adducit reliquam partem sententiæ Cæsaris scilicet de pœna statuenda in eos, qui vincula ruperint. Item, de horribili custodia sancita & digna sceleribus

leribus hominum perditorum. Item, de ijs qui de coniuratis postea ad senatum referant, aut cum populo agant: quod si quis referat, aut cum populo ageret, senatum existimaturum dixerat eum contra rempublicam & salutem omnium facturum: quo eripit spem quoque quæ sola in miseriis hominem consolari solet. Item de bonis publicandis.

Tertio, vitam solam, *explicat Cæsaris sententiam, quam ostendit admodum esse grauem.*

Propositio. Cæsar vitam non eripit coniuratis.

Ratio, Quia vno dolore, omnes adimere videretur pœnas.

Confirmatio, Confirmat hanc similitudine, inferorum, quorum fictis pœnis, hæc vera pœna sit similis: Cæsar enim cruciatus adhibet, mortem amouet, quales sunt apud inferos cocyti fremitus, transuectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus, Sysiphus saxum voluens, & cætera. Quæ ficta esse non vera Cic. in Tusculana 1. asseuerat.

Quarto, nunc P. C. *vtramque sententiam assumit, & dicit, alteram scilicet Cæsaris esse minus inuidiosam, alteram vero non magis periculosam. Si tamen sunt aliqua pericula, dicit reipub. vtilitatem postulare, vt ea ipse suscipiat.*

Quinto, habemus, *laudat iterum sententiam Cæsaris, quod de industria facit, ne Cæsar cuius sententia non probatur, coniurationis nomine suspectus sit. Multi enim de G. Cæsare male sentirent, alij quod faueret coniuratis, alij quod hac leniore coniuratorum pœna sibi fieri aditum, ad vrbis dominatum putaret: & ideo*

distinguit populárem ſuſpectum, & verè populárem. Suſpectus popularis is eſt, qui cum magna lenitate in ſenatu contionatur, non quod reipub. expediat, ſed quod vel ſuis commodis, vel etiam ſuo ſenſui, idque ratum ac firmum eſſe vult. Vere popularis autem eſt, qui ſaluti reipub. nullo habito perſonarum reſpectu conſulit.

Refutatio cuiuſdam ciuis, *video de iſtis.*

IN *hac primo quidam Senator notatur, qui de ciuium capite iudicare noluerat, quem quoque Cic. de ciuium capite, tametſi abſens fuerat, iudicaſſe probat ab effectis.*

Propoſitio, Iam hoc nemini, *Qui reo cuſtodiam, quæſitori gratulationem, iudici præmium decreuit, de capite ciuium Romanorum iudicauit.*

Aſſumptio, Is & nudius tertius, *At is qui in Senatum non venit, hoc fecit.*

Complexio, Ergo de capite ciuium Romanorum iudicauit; hæc ſubeſt maiori propoſitioni.

Secundo, At vero G. Cæſar, *laudat Cæſarem quod non ſolum venerit, ſed etiam iudicauerit.*

Argumentum à contrariis.

Cæſar legem Semproniam intelligit eſſe de ciuibus.

At Lentulus non eſt ciuis, cum ſit hoſtis.

Ergo lex non ſpectat ad Lentulum.

Maiorem ponit & probat ab authoritate & exemplo. Quia idem ipſe legis eius lator morte damnatus eſt.

est. Minorem miscet simul cum conclusione Laudans igitur Cæsarem, itaque homo mitissimus. *concludit sententiam Cæsaris, eiusque circumstantias modorum colligit de custodia & publicatione.*

Conclusio refutationis, quamobrem, *concludit in vniuersum se paratum esse, vtramuis sententiam sequi, adiungens vtriusque consequentia.*

Elocutio:

Elocutio acris, sine amarulentia tamen: vt videatur amicè, non hostili animo improbare ea quæ sibi non probantur. Periodi negligentius adhibitæ: quia compositio ad docendum nō ad permouendum spectat. Numerus non affectatus, gratus tamen & iucundus, qui aurium iudicio, non artificiosa compositionis textura constat:

Figuræ:

VNam D. Syllani, *enumeratio*, delere amplectitur, acerbitates, versatur, extinguere, puncto, singularem, horribilis, leuaret, eripit, secutus, vendicat, lenitatem, dependisse, acerbè leuando, vitare perniciem, sequi, *metaphoræ*, Alter eos, *merismos*, qui non omnes, *amplificatio per diductionem generis in species*, quæ qui, *anaphora*, habere, *dilemma*, decernatur, *permissio & optatio*, ego enim, *Aetiologia*, aut per, *merismos*, nomen, spiritu, nefarii sceleris, custodias, scelere, dignitas, amplitudo, capite, *metonimia*, imperium,

vincula, cruciatus, *synechdoche*, eripit, *congeries sententiarum*, nunc patres, *communicatio*, si eritis, *dilemma*, sed tamen, *correctio*, intellectum, *expolitio*, iam vero hoc nemini, *orbem numerosum obserua*, *in quo paria paribus redduntur*, quamobrem, *complexio*.

De confirmatione orationis. *Quanquam P. C.*

INclinat iam manifestè in Syllani sententiam, probatq; non esse crudelitatem, si coniurati morte puniantur. Est autem hoc in more Ciceroni positum, vt quod ab aduersarijs illi obijcitur, vel obijci possit, illud in aduersarios reijciat. Miloni obiectum est ab aduersarijs, quod Clodio fecerit insidias, retorquet Cic. hoc crimen in aduersarios, & probat, quod Clodius Miloni insidiatus sit. Sex. Roscius occidisse patrem, ab aduersario accusatus est: id aduersarios fecisse Cic. contendit. Ab Aulo Cluentio, corruptos esse iudices dicunt aduersarij: ab Opimiaco aduersario eos corruptos esse Cic. docet. Mirantur fortasse nonnulli, quod Cic qui defendere alios solitus sit, ad Verrē accusandū descendat Cic. magis id se facere docet, vt defendat Siculos à Verre vexatos, quam vt Verrē accuset. Hic obijcitur crudelitatem esse, si morte mulctentur coniurati: probat Cic. non solum non esse crudelitatem, verum etiam nisi morte mulctentur, Senatus crudelitatis in patriam, suspitione laborabit.

Inuentio & dispositio confirmationis.

PRopositio huius confirmationis hæc est. Nulla esse potest crudelitas, si coniurati morte puniantur.

Qua

Quæ probatur ex locis honesto, vtili, facili, similium, comparatorum, exemplorum. Dispositio autem sententiarum est iudicij: prius enim improbauit sententiam Cæsaris, non offendens ipsum Cæsarem imò laudauit eum, quod sit misericors & sententia eius clemens. Nunc autem sententiam Syllani multo clementiorem innuit: cùm nullam habeat, adnexam crudelitatem: cum magna sit omnium ordinum consensio, in ea perficienda, & facultas. Dispositio argumentorum est ex arte petita: Primùm enim ab honesto, deinde ab vtili: Postremo firmissimum argumentum ab honesto & facili ponit. Dispositio porro syllogisticæ inuentionis ex iudicio dependet: non vbiq; enim tribus partibus syllogismus concluditur.

Inuentio & dispositio argumentorum.

Argumentum primum.

QVanquam, P. C. *Ad locum honesti & vtilis argumentum hoc referri potest. Communis vero locus est repugnantium.*

Propositio. quanquam, *in puniendo summi sceleris immanitate non est crudelitas.*

Approbatio. Ergo enim de meo. *Quia ego in iudicando, non ducor atrocitate animi sed misericordia & humanitate. Hanc exornauit contrarijs: vehemens enim & mitis contraria sunt.*

Assumptio. Videor enim mihi. *At qui in coniuratis summi sceleris est immanitas. Hæc circumscribitur, & simul probatur. Quia coniurati volebant*

incendere

incendere vrbem, interficere ciues, vexare virgines.

Complexio. Et quia mihi. *Ergo in ea punienda nulla est crudelitas.*

Secundum argumentum.

ET enim quæro. *Ductum hoc argumentum, ex eodem loco proprio, ex communi verò similitudinis, & collationis ciuitatis cum familia. Quemadmodum paterfamilias, in puniendis morte nefarijs seruis crudelis non est: Ita senatus inpuniendis sceleratis coniuratis crudelis non erit.*

Ratio. *Quia dolorem suum cruciatu nocentis leniet.*

Sed primum est verum. Ergo & secundum. Hæc exornauit suo iudicio, & interrogationis subiectione.

Tertium argumentum.

Ab exemplo L. Cæsaris sumptum, reduciturq; ad vtile.

Nisi vero.

SI. *L. Cæsar in condemnando sororis suæ marito & in approbanda Fuluii Melij Saturnij & aliorum morte, in minori delicto crudelis non est visus. Certe in puniendis hisce coniuratis propter maius delictum, nō erit crudelitas. Sed primum est. Ergo & secundum. Minor propositio tantum est posita, quam sequitur primo declaratio peccatorum*, quorum quod simile, *cuius loci sensus est. In damnatis seditiosis ciuibus, minus peccatum: in coniuratis vero maius.*

Ratio. *Quia illi liberales volebant esse in Reip.*

mutationem.

mutationem: Hi autem inierunt consilium delendæ Reipub. Secundo sequitur amplificatio. Atque illo tempore. initi consilij delendæ Reip. Ex dissimilitudine Lentulorum, aui, & nepotis. Ille Remp. defendebat, hic oppugnat. Quare, vereamini, in puniendis acerbissimis hostibus non est crudelitas, sed magis in remissione pœnæ.

Quartum argumentum

Ex efficientibus & adiuuantibus causis eadis coiuratorum, quæ reducuntur ad facile: ex communi vero adiunctis causarum efficientium, sed quæ exaudio.

Omnia sunt parata. Ergo satis est præsidij facileq; est perficere eædem coniuratorum. Quod argumentum tractat per occupationem. Antecedens probat, omnia prouisa, & amplificat à sua cura, & populi Romani voluntate, cuius præsidia amplificat ex adiunctis per diuisionem partium.

Quintum argumentum.

Ex honesto & facili sumptum, causa enim post.

Omnes, exceptis coniuratis, qui in mortem suam, consentire non possunt, in mortem coniuratorum consentiunt.

Ergo honestum est, & facile, coniuratos morte punire. Antecedens inductione probat. Quid ergo hic. Equites Senatores, tribuni, ærarij, scribæ, ingenui, libertini, serui, operarij, vnum sentiunt. Ergo omnes consentiunt. Locus ex enumeratione partium, qua singularum

larum, tractatio, & ordo obseruandus est. Item solutio eorum quæ obyci possunt, dum dicit, Quare si quē *quo loco respondet iis, qui putabant consulem minus præsidij habere.*

Elocutio.

Genus dicendi est summum, in quo sunt figuræ grandes, affectus frequentes, sententiæ graues.

Compositio orationis ad docendum & excitandū confert, euidentiamq; rerum maximam habet, qualis hoc loco est cùm vero mihi proposui regnantem Leutulum, & in inductione longa quæ ad finem ponitur.

Duo prima membra sine circumductione sunt posita. Posthæc sequitur periodus trium membrorum, nam ita mihi, *cuius principium duobus, reditus vno membro constat,* videor enim, *periodus sex membrorum, cuius principium quatuor, reditus est duorum membrorum,* Et enim, *periodus bimembris,* Sic nos in iis, *periodus quinq; membrorum. Cætera sine circumductione, membratim, cæsimq; dicit,* vere animi, *periodus duorum membrorum. Cætera obseruabit lector.*

Numerus frequens & clarus, quem passim ipsa compositio vltro facit, vt hoc loco, Gallos accersiuit, seruitia concitauit, Catilinam euocauit, *&* cæ. Omnia prouisa, parata, constituta sunt & cæte. *Spondei sunt frequentes, Cretici, Epitriti, Molossi, Anapesti, & parium temporum pedes,* Non desunt *& celeres, vt pæanes, tribrachi, choriambi.*

Figuræ.

Figuræ ſententiarum.

PRima eſt *correctio*, *qua aditum ad cauſam facit*, nam ita mihi, *optatio iureiurando ornata*, Quis enim, *parenteſis interrogatione ornata*, videor, *hypotipoſis*. Et enim quæro. *communicatio qua aduerſarius etiam arbitris vti vult, erotemate ornata*, mihi vero, *ſubiectio eſt interrogationis, & in toto hoc orationis tractu ſimilitudo*, Qui nos coniuges *Amplificatio ex adiunctis rerum ſumpta*, Si vehementiſſimi, *dilemma* nihi vero *ironia*, quorum quod, *orbis numeroſus ex erotemmate, & anaphora conſtans*, Gallos accerſiuit, *ſimilis eſt orbis numerorum, ex omioteleutis conſtans* vereamini, *per miſsio & comminatio*, Sed quæ exaudio, *occupatio quæ & oratorem prudentem arguit, & cauſæ maximum adiumentum adfert*, omnes adſunt, *amplificatio per diuiſionem partium*, Dij immortales, *exclamatio cum quadam admiratione*, Quid ego hic, *apophaſis cum interrogatione*, nullum malum, *paronomaſia* Quis enim hæc, *amplificatio ex ſubiectis rebus cum erotemmate*. Sed quid ego, *apophaſis*, ſeruus, *paronomaſia*, otioſum. *paronomaſia*. id enim potius *correctio*, Quorum ſi quæſtus *erotima*.

Figuræ verborum.

VIdeor, *polyptoton*, Lucem, arcem, bacchantis *metaphoræ* orbis omnium, patriam ciuium, fatis, *ſynecdoche*, aſpectus, cæde purpuratum, *metonimiæ*

metonimiæ, tum lamentatione, *anaphoræ*, vexationem, perhorresco, *metaphora obseruata verborum amplificationem, & immutatæ orationis varietatem*, videor videre cernò animo, versatur mihi ob oculos, proposui mihi, &, regnantem, purpuratum cum exercitu, *obserua etiam synonima*, crudelitas, immanitas, atrocitas, seuerus, vehemens, acerbus, inhumanus, importunus, ferreus, *& cæt.* Seruo *polyptoton*, Acerbissimum importunus, ferreus, trucidare, delere. vestigijs, remissiores, subeunda, *metaphoræ*, dolorem, cruciatum, *polypoton in vtroq;*, Qui nos, *anaphora*, imperij, *synechdoche*, Reip: voluntas impuberem, contentio, *metonimiæ*, Consulis largitionis, *synechdoche* clarissimæ. delendæ, versatæ, clarissimus, graue, minueretur, euertenda, fundamenta, sentirent, consentiunt tenuissimorum, dulce consecuti, excitauit, perhorrescat, sollicitari, cursum, alitur, minui, *metaphoræ*, Reipub. seruitia, scelera, immani, nefario, patriam patriæ, fortunam fortunæ Reip. libertatis, patriæ, animos, cursum, opera frequentia, *metonimiæ*, vereamini, omnes, plenum pecundum, qua, coniũgit, Quos, omne, *polyptoton*, concitauit. *omioteleuton*, transigenda, *periphrasis pœnæ*, prouisa, *omioptoton*. forum, vrbem, vrbis, ciuitatis, *synechdoche*, nati, *epanodos*, quantum, qui: *Anaphoræ*:

Peroratio. *Quæ cùm ita sint.*

Peroratio hæc tota ex arte petita est, constatq; enumeratione & affectibus. *Inuentio*

Inuentio & dispositio perorationis.

ANtonius Lullus *diligentius partes epilogi examinat, ex quarum numero, dispositio totius perorationis elucet. Hæ sunt prima transitus quo significamus omnia persoluisse, quæ promiseramus, vt auditoris animus ad audiendam repetitionem argumentorum excitetur, græci metabasin vocant. Secunda enumeratio qua breuiter colliguntur argumenta in probatione latius dicta, græci anakephaleosin vocant. Tertia concessio, qua de iure nostro cedimus, vt æquitate totam causam complanemus græci ipoboriſin appellant. Quarta motus, qui continet affectuum impetus, græce patopeia vocatur. Quinta suffragium, quo cessaturus orator petit, quod ex toto iudicio expectabatur, atque id propter quod vniuersa contentio dispositionis instituta fuerat. Græce Gnomi vocatur. Transitus duplex est officium, significare absolutam rem, & ad sequentia properare sermonem, quod plærumque fit figurate, rarius simpliciter. Hoc loco per cõminationem transitum ponit. Significatio rei absolutæ his verbis effertur,* Quæ cum ita sint P. C. vobis populi Romani præsidia non desunt, *facit sermonis aditum ad sequentia,* Vos ne populo Romano deesse videamini, prouidete, *Estque argumentum à pari. Non desunt vobis tot studia: Ergo vos vobis non desitis. Sequitur enumeratio,* Habetis consulem, *qua breuiter colligit quod per totam orationem dictum est, estque entinema propè integrum. cuius antecedens multis medijs conglobatum & amplificatum, estque huiusmodi*

ab officio populi Romani sumptum. In vestra potestate sita est respub. de vestra vita vobis consulendum est, habetis à vestris partibus ducem consulem, vniuersum populum, magnis laboribus, fundatum est vestrum imperium. Ergo prouidere debetis, vt non modo non deleatur, sed etiam, ne post hac de ea re cogitet alius. Cæterum videndum est in hac enumeratione, vt tota causa summatim cognoscatur. Primo repeti argumentum vltimum à facili. Vobis præsidia pop. Romani non desunt. Dum vero dicitur. Habetis consulem, *Hoc referri potest, ad illud quod in refutatione dixit.* Decernatur tamen, si placet: ego enim suscipiã. Dum vero dicitur. omnes ordines, iterũ repetitur illud, quod in longa inductione continebatur. *Repetitur primũ argumentũ ab honesto, dum dicitur,* obsessa facibus, *quod in punienda acerbitate sceleris crudelis non sit. Totusque hic locus conuenit cum illo,* videor mihi hanc vrbem videre, *Hoc loco itẽ insignem affectum mouet fingens patriam supplicem Romanis. Repetitur argumentum à simili. dum dicitur. Præterea de vestra vita, qui locus conuenit cum illo.* Si quis paterfamilias liberis suis à seruo interfectis, & cætera. *&*, sic nos in his hominibus, *Repetitur item argumentum à facili dum dicitur,* habetis ducem, *& eadem est repetitio cum illa,* habetis consulem & omnes ordines, *Repetitur vltimo argumentum ab vtili, dum dicitur,* cogitate quantis, *qui locus respondet illi in tertio argumento allato,* atque illo tempore, huius auus. *Item respondet illi loco in eodem argumento,* hic ad euertenda fundamenta

damenta reipub. simulque affectum mouet, ex coniurationis periculis. *Concessio plana in iis verbis*, Atque hæc non vt vos qui mihi studio præcurritis excitarem, locutus sum, *motus, tametsi vbique sparsus, præcipuum tamen locum possidet in digressione, quæ tota ad affectus mouendos pertinet. Mouet autem Cic. affectus, à periculis suis pro patria susceptis dum dicit*, quod si aliquando, *item à consolatione suiipsius dum dicit*, sit Scipio clarus ille, *quo in loco, laudat quatuor imperatores, tum vt ostendat quo ipse consoletur, tum vt lectorem varietate delectet: talem autem laudationem, non modo ad eum qui res præclare gesserit, sed etiam qui aliqua virtute præstet, accommodare poteris. At Pompeij quædam est propria laus & singularis, quæ non concernit nisi ipsi Pompeio. & hoc est in laude maximè obseruandum. Item concitat animos audientium à neglectis à se honoribus dum dicit*, quæ cum ita sint, *qui locus idem fere est, cum superioris orationis extremo*, quibus pro tantis rebus Quirites, & cætera. *In quo postulat à senatu memoriam factorum suorum, tanquam aliquod certum præsidium. Ab adiunctis anteceßis*, Prouinciam, exercitum, imperium, triumphum neglexi, summam diligentiam salutis vestræ causa adhibui. *Ergo memores mei esse debetis, Item dum commẽdat filium suum*, quod si meum, *eique quasi testamento legat, meritorum suorum gratiam. Cæterum hic obseruandum est plerosq; putare egressionem narrationis propriam esse. Quintil. lib. 4. cap. 3. eam omnibus partibus orationis conuenire dicit. Ergo autem*

confiteor hoc expatiandi genus, non modo narrationi quidem, sed etiam quæstionibus, vel vniuersis, vel etiam singulis, opportune posse subnecti, cum res postulat, aut certe permittit. Excursionem idem Quintilianus fore breuem debere præcipit. quam Cicero significat verbo ipso breuem fore, dum ait, de me pauca dicam, *&cætera. & verbo,* redeo, *hoc enim verbo præsentis operis celeritas ostendi solet. Terent. in Eunucho. Hos prius in troducam, & quæ volo simul imperabo, postea continuo exeo.*

Suffragium in extremo est, quapropter de summa salute vestra, *vbi adhortatio est, ad fortiter iudicandum, comprobatioq; Syllani sententiæ. Estq; locus ex adiunctis causæ. De magnis rebus vobis statuendum est. Ergo diligenter & fortiter decernite. Item ab efficienti idem hortatur. Est qui paratus est, parere vestris decretis & statuta vestra defendere, & per seipsum præstare possit. Decernite igitur diligenter, vt instituistis & fortiter.*

Dispositio in rebus narrandis est iudicij, non artis: nam posterius ea narrat, quæ primo gesta sunt. vt L. Paulum cuius victoria fuit prior, quam est deleta Numantia. Sed hoc facit Cic. vt simul laudet vtrumque Africanum, & maiorem, & minorem, in qua re maxima est emphasis expositionis. Fabius præposteram narrandi rationem improbat. Quædam etiam inquit, turpiter conuertuntur, vt si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testamentum, deinde resignatum. Ita hoc loco Cic. præpostere narrat, cuius consilio Annibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus

actus est. Sed Cic. potest excusari, quia videbat in Scipione præposterum consilium, eam quoque narrationem adhibuit de Annibale: quæ præpostera esset, vt nouitate narrationis, auditor admoneatur consilij in Scipione magnitudinis, In verbis dispositio aperta, & plana est.

Elocutio.

Elocutio est affectibus plena, figurisq; sententiarum non postremis ornata, prosopopœia, quæ magnam habet vim persuadendi, digressione, quæ ad commotionem tota spectat, amplificatione passim adhibita.

Compositio ad celeritatem spectat, in qua commotionis facultas consistit: nam qui vult alterum commouere, ipse commotus appareat necesse est. vult Cic. odium excitare contra coniuratos, ipse indicendo summo odio fertur.

Periodus prima est bimembris parium syllabarum si elidas P.C. habetis consulem, periodus quadrimembris, principium habens duorum, & totidem exitum, Præterea, monocolos, habetis ducem, dicolos, habetis omnes, membratim casimque posita, atque hæc, periodus bimembris, cuius exitus quatuor fere syllabis excedit, ego quanto, periodus bimembris, cuius exitus breuior est, quam principium, quam consequuntur totidem membrorum, duæ periodi, cæteris enim, monocolos, sit Scipio, membra sunt, quæ in fine circumducit. his verbis, erit profecto, quare mihi cum, periodus bimembris, cuius exitus productior

paulo. Catera diligentius trutinanda lectori committuntur.

Numerus est celer, sed tamen mistus graui & tardo, vt varietas sit grata: vincit tamen celeritas tarditatem, obserua in clausulis epitritos. prouidete, conseruatum, consentiunt, *celeritatem numerorum, in cursu medio periodi considera*, populi, præsidia, videamini, plurimis, periculis, insidijs, media morte, & cætera. *Deinde tarditatem subiungit, vt quasi è concitato cursu retractus, esse videatur*, nō ad vitam suam, sed ad salutem vestram reseruatum, *incipit à trochæo & anapæsto, definit in dichoreum vel epitritum.* 2. Habetis consulem, *Amphimacrus cum cretico*, reseruata, *epitritus* 1. omnes, *spondeus cum cretico*, consentiunt, *epitritus* 3. obsessa facibus, *spondeus cum proceleusmatico*, cōmunis, *molossus*, capitolium penatium, *pæan* 2. *præterea choriambus*, iudicandum est, *trochæus cum cretico*, habetis ducem, *Amphimacrus cum Iambo*, facultas datur, *dochimus pes Ciceroni commendatissimus in omnibus locis*, sentientē, *ditrochæus*, cogitate, *idem*, deleuerit, *epitritus* 3. prouidendum est, *trochæus cum cretico*, atque hæc, *creticus cum orationis hiatu*, præcurritis, *Ionicus maior*, excitarem, *dichoreus*, locutus sum, *antispastus*, sed vt mea, *pæan* 2. consulari videretur, *dichoreus, cum epitrito* 1. *In reliqua oratione obserua dichoreos frequentes*, pœnitebit, assecutus, seruitutis, liberauit, continetur, vos ne pop. Romano.

Figuræ

Figuræ ſententiarum.

PRima eſt *comminatio*, item *enumeratio ſeu coacervatio ſententiarum*, non ad vitam, *antiteton*, obſeſſa facibus, *proſopopœia*, vobis ſe vobis, *amplificatio è rebus ſubiectis*, id quod in hac, *parenteſis*, cogitate, *communicatio*, laboribus, fundatum, imperium, virtute ſtabilitam libertatem, *paria paribus collata*, nunc antequam, *diggreſſio*, ſit Scipio, *conceſſio*, niſi forté, *ironia in tota ſententia eſt*, quare mihi, *complexio*, quæ cum ita ſint, *Amplificatio ex adiunctis anteceſſis & præſentibus*, non ſolum ad, *orbis numeroſus*, quapropter regreſſio quam amplificat adiunctis rerum.

Figuræ verborum.

DEſunt, *polyptoton*, in vtroque prouidete, arcem *metaphoræ*, ordines, mente, impiæ coniurationis, patriæ, *metonimiæ*, mente, voluntate, ſtudio, *aſſyndeton*, vobis, *anaphora*, vrbis tecta, *ſynechdoche*, anima, fortunis, *metonimiæ*, habetis omnes, *polyptoton in vtroq;*, fundatum, ſtabilitũ, exaggeratas, deleuerat, *metaphoræ*, imperium, *ſynechdoche*, fortunas libertatem, *metonimiæ*, quanta, *anaphora*, præcurritis, excitarem, princeps, *metaphoræ*, vox reipub. *metonimiæ*, redeo, *metaphora*, quanta, *paronomaſia*, turpem infirmam contemptam, *metonimiæ*, abiectam, *metaphora & metonimiæ*, furore, ſcelere, reipub. dignitas, *metonimiæ*.

nimiæ, memeorum, *paronamasia*, assecutus, clarus, ornetur, eximia, deleuit, *metaphoræ*, consilio virtute, vrbes infestissimas, *metonimiæ*, egregius, *metaphoræ*, currum, Italiam, virtutes, seruitutis, gloriæ, *metonimiæ*, victoriæ patriæ, reipub. vi, *metonimiæ*, obligatos pernicie, coercere, *metaphoræ*, ciuium, *synechdoche*, neque, *anaphoræ*, sermonibus, mentibus, coniunctionem, conspirationem, *metonimiæ*, hærebit, perfringere, labefactare, *metaphoræ*, pro, *anaphoræ*, exercitu, prouincia, *synechdoche*, vestræ salutis, *metonimiæ*, insignibus, repudiata, *metaphoræ*, temporis consulatus, *metonimiæ*, infixa, muro, septum, præsidis, præstare, *metaphoræ*, salute Italiæ, vniuersa repub. *metonimiæ*.

M. T.

M. T. CICERONIS AD EQVITES ROM. ANTEQVAM IRET IN EXILIVM ORATIO

Declamatio Rhetoris alicuius.

SI quando inimicorum imperium propulsare, ac propellere cupistis: defendite nunc vniuersi vnum: qui ne omnes concideretis, ardoreq; flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitaui prouidere. nam quem virtutis gloria cũ summa laude ad cœlum extulit, eundem inimicorum inuidia indignissime oppressum deprimit ad supplicium. Si liberûm conceptam dulcedinem animo inclusam continetis, nolite eo velle carere, qui charissimam vestram procreationem sibi esse duxit. est enim liberale officium, ferere beneficium: vt metere possis fructum. fidei conducit, in loco debitum retribuere. illic enim animi voluntas propensa comprobatur: hic memoria collaudatur. itaque si omnibus graue seruitutis iugum esse debet inliberate educatis, sit is vestris animis acceptissimus, qui à vestro corpore iugum acerbissimum repulit seruitutis. Est si maiores vestri eos imperatores, qui militum virtute hostium fregerunt furorem, iucundissimo fructu libertatis reconciliato, non solum statuis dignos putarunt, sed

etiam æterna triumphi laude decorârunt: tum vos eum consulem, qui non militum præsenti fortitudine, sed sua eximia animi virtute hostilem ciuium mentem Senatus authoritate vindicauit, existimare vobis retinendum in ciuitate esse: Si quæ beneficia singulis ciuibus, priuatimq; dantur: ea solent ijs esse fructuosa, à quibus sunt profecta iure, & merito possũ ego vos ad defensionem meæ salutis adhortari, quos conseruaui vniuersos. nam neque maius est defendere vnum, quàm populum: neque verius à singulis, quàm ab omnibus repetere officij præmium, & fructum: propterea quòd in vnius periculo sæpe contentio parua est, vt leuis sit labor defensori sustinendus: in Reipublicæ insidijs, quo firmius est quod oppugnatur, eo pariores sunt inimici: vt ijs sine magna solicitudine, industria, virtute non queat resisti. Et singulorum opes sæpe sunt tenues, & infirmæ ad gratiam referendam, vt opitulari benemerentibus non queãt, si maxime cupiant: vniuersorum auxilium eo plurimum prodest, quo firmioribus opibus est nixum. iure igitur quoniam & maior impensa in patriam officij facta est, quàm in priuata fit defensione, & plus à vobis præsidij, quàm à cæteris opis ad salutem potest afferri, vos obtestor, quos mihi & debere, & posse intelligo opitulari non conuenit enim, cùm ego ad promerendum officium tum fuerim expeditus, vos ad referendam gratiam esse tardiores: ne cuius amplitudinem ac gloriam laude

de atque honoribus amplificare debeatis, eius incolumitatem & salutem deserendam existimetis. Etenim errat, si quis arbitratur M. Tullium idcirco in capitis periculum vocari, quòd deliquerit aliquid, quòd patriam læserit, quòd improbè vixerit non citatur reus audaciæ: vir tutis reus citatur. non accusatur, quòd Remp. vi oppugnauerit sed quòd homo nouus pernici osum nobiliũ restrinxerit furorem. non obest mihi turpis & nocens, sed honestissimè, laudatissimèq; acta vita. nõ odio bonorum, sed inuidia premor malorum: intelligunt homines tot & tam præclaris testimonijs, monumentisq; virtutis comparatis, M. Tullio, dum sit incolumis, fore voluptati. idcirco vitã eripere cupiunt, vti cum spiritu sensum quoq; adimant iucũditatis. nonné igitur indignum est, eos præmijs meis inuidere, qui virtute certare noluerunt? eos in contentionem honoris venire, qui officijs se superari æquissimo animo tulerunt? si dulcis est gloria, consequere virtutem. noli abijcere labores, petere honorem. honorem dico? immò vero famam, fortunas, familam, liberos, caput, corpus, ipsum denique sanguinem, & animam. cedo inuitus de Repub. cedo oppressus de fortuna, de dignitate: discedo à Rep. victus audacia malorum. liceat manere, si non illum M. Tullium, custodem vrbis, defensorem omnium, patrem patriæ, at certe reliquias Tulij liceat in conspectu ciuium, in hac vrbe, quam ex parricida-

ex parricidarum faucibus eripuit, remanere: tecta omnium, fana deorum, vniuersam videre periculo liberatam tuo ciuitatem. liceat ex hac flamma euolare: præsertim qui illud impium incendium perditorum hominum lachrymis potius meis, quam sanguine vestro restingui malui. neque enim peto, vt mihi detis vitam sed datam repeto, vt reddatis: si meministis quod dedi: vos non debetis obliuisci, sed retribuere quod debetis. Vos vos obtestor. Dij immortales, qui meæ menti lumina prætulistis, cùm consensum extinxi coniurationis: arcemq; vrbis ab incendio, ac flamma liberaui: liberosque vestros e gremio, & complexu matrum ad cædem & cruorem non sum passus abstrahi. Num igitur potest fieri, à clientibus vt recipiar, cùm à quibus debeam retineri, reijcere instituant? Socij quò fugiant, cùm aditus custodi patriæ præclusus sit? quomodo spes salutis reliquis residebit, cùm ciuibus præclusa sit expectatio incolumitatis? pax & concordia extraneis gignetur, cùm iam domesticis non insideat, sed publice prouidenti eripiatur? nam quid ego improborum factam renouem oratione, vt redintegratione illius coniurationis animos vulnerem vestros? auxilium ab alienis efflagitabo, cum ciues vestros desideratis? Sociorum inuocem subsidium, cùm à ciuibus intercluſum sit præsidium? quam colere gentem nunc inst. tuam? vtrum vt custos accipiar, an vt proditor excludar?

excludar? si vt conseruator, vestra erit ignominia: sin vt oppugnator præcisa erunt omnia. Itaq; quod putaui fore gaudiũ, id extitit exitiũ. Si Quirites eundem in cæterorum periculis haberemus animum, quem in nostris difficultatibus, si & pro innocẽtissimo quoq; propugnare, & nocentissimũ quenque oppugnare nobis vtilissimum esse arbitraremur: & si cum optimi cuiusq; rebus aduersis nostram salutem, cũ deterrimorum hominum secundis, nostra pericula putaremus coniuncta: frequentes profecto talibus conatibus obuiam ire niteremur: neq; partim innocẽtia serti, partim nobilitate nixi, partim potentia ac multitudine amicorum fulti, cum perfacile existimaremus aduersariorum vim ac factionem à nobis repelli posse, subito ipsi simili periculo circunuenti, in nostro euentu aliorũ reminiscentes casus, iure id nobis accidere ne quicquam quereremur. quis enim est Quirites, qui nunc cùm inimicorum nostrorum vim atq; volentiam perspiciat, quique nostrum ipsum periculosissimum casum recognoscat, qui non sibi ac suis diffidat fortunis? quo enim se satis tutum arbitrabitur præsidio? virtutis & gloriæ? at ea nos ipsa hoc tempore oppugnant multitudine amicorum? aperuerunt non forte esse se amicos, si in eorum potestate nostra sita salus non est. paucitate inimicorum? at id non in ipsius, sed in aliorum voluntate positum est. nam non satis est, ne cui iniuriam facias, prouidere, si tamen sunt

voluntati

voluntarij inimici, qui tuis præmijs te oppugnent. Atque adeò cum hæc omnia omnibus sint grauia atque acerba, tum vero nobis misera atque intoleranda, quorum & officia in Rẽpublicã recentissima, & incommoda ob Remp. frequentissima in familia versantur. Nunc si eadem conditio disceptationis proponetur, æqui auditores adhibebuntur, aures non obtusæ criminatione, sed vacuæ præbebuntur: qui sunt assecuti summum gradum honoris, non dispoliabuntur honore: qui spẽrant, facilius & procliuius ad laudem nobilitatis peruenient. Quãobrem nolo me duce supplicij vos ad fraudem deduci, vt ego ad pristinum statum recidam casus. Nunc igitur si lingua est concertandum, innocentiæ virtute fretus supero. si facta compensanda sunt, conferamus æquitatem. si violentiæ impetu opprimimur, decedam pro omnibus vnus Tribunitio furori: quoniam laborem pro cunctis ferre consueui. Si igitur aliquo tempore his hominibus consuluistis, quorum animus est religionis pietate defunctus, debetis mihi quoque prospicere, qui numini deorum consecratum sartum tectum, ab omni periculo conseruaui: & vos vt tutam tranquillãq; fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia. Nam me, quem paulo ante fortuna erexerat ad gloriam, virtus extulit ad laudem, populus tribuit honorem, eundem tribuni furor exagitatus depulit ad calamitatem. & quoniam animaduerti-

nimaduertistis illam conspirationem conflatam ita esse restinctam, vt nulla scintilla comparear incendij, vos quoq; Tribuniciam sedate temeritatem. qui nunc se mihi inimicum ostendit, se prius esse vestrum professus est inimicum. ne rei crudelitas experta in me, in vos convalescat, & calamitas remorata longius serpat atque progrediatur, præcauete. nunc vel solus delectus ad calamitatem, vel primus vocatus ad tale periculum, omnium animos iure debeo commouere. omnia sunt immuta. manus ad demonstrandam religantur iniuriam: lingua incidit ur ad deplorandam calamitatem: animus præcluditur ad exponendam rei indignitatem. humilitatem generis obijciunt nobis: qui nouam rationem suscitant veteres maiorum obtenunt laudes. Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in vos scelerate loquor factis? quorũ cognita improbitas, me tacente coarguitur turpitudine vitæ: vt de ijs non sit necesse inimicos prædicare, de quorum scelere ne amici quidem, aut ipsi possunt negare. Vos ego appello quorum de me maxima est potestas: apud vos loquor de mea calamitate, quos habui semper innocentiæ & virtutis meæ testes Igitur ex ciuitate benemeritus de Rep. ciuis exturbatur? innocens expellitur? cõsularis homo, nõ minimis facultatibus vsus, quondã amicorũ multorũ præsidio munitus, nunc partim ab inuidis, partim ab iniuricis circũuentus eget indigne?

gnè? huic si opē non tuleritis in periculo capitis: vos credo, retinebitis vestram libertatē? qui neque tanta valetis authoritate, neque tantorùm officium impensam egestis in patriam. mihi credite, hoc in vno in cōmodum confirmatum, multorum infirmabit incolumitatem: & si initio non erit refutatū, impune ad omnium perniciem conualescet. proinde aut in meo periculo salutem integram præstate communem, aut in vestris hoc idem incommodum expecta te fortunis. Nemo tam perdita authoritate, tam facinorosa inuentus est vita', qui cum de scelere fateretur, non tamen sententijs prius iudicum conuinceretur, quàm supplicio addiceretur. ego repente vi tribunitia correptus, non modo loquendi libere in iudicio, sed ne consistendi quidem in ciuitate habeo potestatem. ejcior non solum sine teste, sine indice, sine crimine, sed sine etiam scelere, sine accusatore. hostibus in bello qui diffident voluntate, dimicant armis, vitam quotidie oppugnant, in ipsa acie, cùm præliantur, licet loqui, licet disputare mihi in pace ciui, qui perditorum hominum fregi furorem, pro fortunis meis apud vos loqui non licebit? serui ad supplicium cæsi verberibus trahuntur, apud eos sæpe disputant, quos necare voluerunt. ego consularis apud vos non loquar, quos conseruaui? tacebo, si necesse est: tacebo inquam animo æquo: quoniam virtus mea me tacente agit causam meam. Itaq; vt ego

in concione

in concione mea nihil ponam de rebus meis gestis, tamen in animis & memoria vestra largiter relinquam. isti modò videant, qua ratione hanc inultam meã fugam ferre possint. etenim si à me vt isti existimant, Lentuli mortui sordes, si Catilinæ notissimus furor, si amentia Cethegi, si luxuria ac stupra Cassij pœnas repetunt, profecto istis hora nulla, ciecto M. Tullio, vacua periculo aut periculi expectatione relinquetur. Itaq; illi indies non meis insidijs, quæ nullæ à me parantur, sed suorum scelerum cõscientia cruciati, mihi absenti & populo Roma. pœnas dabunt. Quas ob res ego inimicorum amentiæ, cupiditatiq́ue paucorum, omnium salutis causa decedam. neque eò deducam aut progredi patiar, vt opera mea manus inter vos conseratis, cædesq́ue ciuium inter se fiat: multoq́ue potius ipse patria liberisq́ue meis carebo, quàm propter vnum me vos de fortunis vestris Reiq́; pub. dimicetis. sic enim ab initio fui animatus, vt non magis me mea causa putarem esse natum, quàm Reipub. procreatum, sed illud queror, quòd non iam ad vnius perniciem, sed ad vniuersorum instruitur calamitatem, conqueri, commiserari, dicere, expurgare, suspicionem dimouere, crimen diluere, nõ licere, ore oppresso ceruices esse præbendas: quæ tamen omnia iam non sunt tam calamitosa, quòd mihi sunt subeunda, quàm pernitiosa, quòd in Remp. sunt introducta. Quamob-

rem statutum est atque decretum in his temporibus ciuitatis omnia perpeti, quæ volet furor libidinosus. vim volunt afferre, præsto sum. eijcere volunt, exeo indicta causa. nolunt audire, causam non dico. aliud quippiam conantur, agant. nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod Remp. tutabitur. non enim illis victus cedo, sed incolumibus vobis me condono: neq; enim mors miseranda est, quæ ob Remp. capitur, neque exilium turpe, quod virtute suscipitur: cùm præsertim nonnullam hæ pœnæ habeant in se consolationem. nam vitam si eripiunt, non adiment gloriam immortalem. si exilio mulctabunt corpus, non animum à Republica remouebunt. nam vbicunque ero, hoc cogitabo, hæc semper cura mea erit: meq; vobis ereptum, non à vobis repudiatum existimabo. illud ab vniuersis postulo, petoque si dum in ciuitate manere licitum est, nemini iniuste periculum creaui, neminiinnocenti fui calamitati, si omnibus auxilio præsidioq; esse consueui, plurimoque in hac ciuitate sum tutatus, vti vos liberos meos in vestram fidem recipiatis, eosq; defendatis: neue inimicos meos in familiam nostram longius progredi patiamini, vtique siue hinc abiero, siue ero hic oppressus, maneat opinio, & existimatio, quæ virtute parta, non quæ infelicitate illata est. Nũc ergo te Iupiter Optime maxime, cuius nutu, ac ditione sola terrarum gubernantur, teque paticeps connubij,

socia regni, Regina Iuno, teque Tritonia, armipotens, Gorgona, Pallas, Minerua, cæteriq; dij, deæq; immortales qui excellenti tumulo ciuitatis sedem Capitolij in saxo incolitis constitutam, vt non solum cunctam intueri, sed etiam tueri possitis ciuitatem: à quorum ego quondam altaribus impiam manum ciuium remoui, à quorum templis, meo periculo, funestam facem repuli, ne illustrissimum orbis terrarum monumentum cum principe omnium terrarum occideret ciuitate. teque Iupiter Stator, quem vere huius imperij Statorem maiores nostri nominauerunt, cuius in templo hostilem impetum Catilinæ repuli à muris, cuius templum à Romulo victis Sabinis in Palatij radice cum victoria est collocatum, oro atq; obtecro, ferte opem pariter Reipub. cunctæq; ciuitati, meisq; fortunis, resistite tribunitio furori, fauete innocentiæ, subuenite solitudini, miseremini senectutis, nolite eum supplicem à vobis abstterrere, & excludere, qui in suo magistratu funestam faciem à vestris repulit templis. si C. Mario auxilio fuistis, quòd in cliuo Capitolino improborum ciuium cædem fecerat, si P. Scipioni, quòd Annibalis furibundam mentem à vestris repulit templis, si denique Cn. Pompeio, quòd terra mariq; hostes reddidit pacatos: sic nunc in meis calamitatibus aliquâ ferte opem diuinam, vt sæpe multorum in periculis feciſtis, sic nunc in meis miseriis diuinum

aliquod auxilium & numen ostendite. Deinde vos, quorum potestas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro atq; obsecro, quibus sigillatim sæpe supplex ad pedes iacui, vt eum, quem singuli stratum, atq; abiectum subleuastis: nunc vniuersi conseruatum velitis. si neminem vnquam vestrum læsi, si nemini innocenti obfui, si etiam è contrario, vt quisq; auxilium meum desiderauit, opem ferre non dubitaui, si deniq; quæcunq; administraui, ex vestra authoritate & patrum conscriptorum voluntate feci, si malui inimicorum cupiditati, quàm Reip. & legitimæ authoritati pœnas sufferre, vt existimetis ex illo crudelissimo inimicorum impetu ereptum, in antiquum statum dignitatis restitui conuenire. Sed quoniam neque mihi liberè loquendi, neq; vobis clementer audiendi, neq; omnino iudicandi, paucorum furore & audacia facta est potestas, sed oppressa est Resp. armis, metu debilitata seruili, vti liberum spiritum ducendi nullam habeat potestatem, cedam inermis armatis, innocens nocentibus, priuatus furibundo magistratui. Neq; enim Q. Metelus quicquam de virtute sua detraxit, quod cessit L. Saturnino furenti neque C. Cotta. Quòd Q. Varro tribuno pleb. inferiore genere orto cedendum putauit: neque C. Marius, qui quantas res gesserit, vestra vobis libertas indicio esse poterit, neq; vero M. Tullius suum animum à vestra abalienauit potesta-

te, cùm

te, cùm præcipuum vobis obsidem vi animi, vestram reliquerit libertatem. Quamobrem testor deos, deasq; omnes immortales, vestrasq; maxime mẽtes, me non vitæ turpitudinem, nõ pro magnitudine scelerum, non propter reliquæ ætatis infamiam, pœnas iure & lege persoluere sed propter virtutis inuidiã, propter iucundissimum ingenij laudem, propter magnitudinem rerum gestarũ crudelissimè ciuitate priuari. Quod si idẽ accidit Q. Cepioni, si Mancino, si Rutilio, mihi quoq; hoc accidisse non magnopere erit mirandũ cùm præsertim non generis antiquitate sed virtutis ornamentis summam laudẽ sim consecutus. Nunc ego vos Equites R. obtestor quorum virtute nomen Romanum victoriam cũ laude possidet coniunctam, quorum factis gloriãtur ciues, lætantur socij, gemunt hostes, vt si erga vos omni tempore optime fui animatus, si mea pericula neglexi, dum timorem à patria propulsarem, si æque liberis vestris prospexi, ac vos parentibus consuestis: vt nunc me veli, tis vestris opibus defensum, in columem in hac ciuitate retinere: quæ cùm à scelerata coniuratione esset incensa, meo ductu ac labore restincta est: nec patiamini me à liberis meis abstractum, à coniuge abreptum, ab aris focisq; innocentem proiectum, vitam degere in exilio, miserrimi mortalis casum subire proijcitur Tullius exilium. At à quo nimirum innocens ab inimico, religiosus à scelerato, benevolus huic

ciuitati ab hoste. O misera vitæ ratio quæ tam diu resides in voluptate, quandiu fortunæ posçit libido. ego ne inimicus huic ciuitati? quam obrem? quia inimicos necaui. ego ne hostis? quid ita? quia hostes interfeci. En conditionem huius temporis. antea gloria & laude dignissimi ducebantur, qui hæc perfecerunt. nũc scelerati, & parricidæ esse dicuntur, qui hæc administrarunt. Sint sanè scelerati: superet istorum victoria, si modo victoria appellanda est, in qua ciuitatis inest luctus: habeant hanc palmam ex innocentis cruore tantum à vobis illud Equites Ro. peto, & rogo, vt quem sæpenumero vestra laude cohonestatis, eundem in dubijs vitæ periculis vestra virtute conseruetis.

AD AMVS

ADAMVS STEZICIENSIS IN ORATIONEM CIC. AD EQVITES ROM. ANTEQVAM IRET IN EXILIVM.

OPTIMVS & egregius ciuis Reipub. Romanæ Cicero, cum Catilinam coniuratorem, consul oppressisset, multosq; eius nefariæ factionis socios, vt pote Lentulum & Cethegum necassèt, tantam eo nomine sibi apud omnes bonos & beneuolentiam, & auctoritatem comparauit, vt omnium voce Deus ac parens patriæ diceretur. Ecce vero sub id tempus, sacra Bonæ Deæ Clodius contaminat, reusque sceleris, in iudicium vocatur, qui cum se interea temporis Romæ absuisse clamitaret: Cicer. eum Romæ omnino fuisse, apud iudices testatus est. Atque hinc inimicitiæ inter Clodium & Ciceronem exortæ sunt. Sed cum multorum funere Clodius tanti criminis absolutus, & paulo post, Trib. pleb. factus esset, omnem vim suam, in Cicer. conuertendam sibi existimauit, legeque contra Cic. lata, quod ciues indemnatos occidisset, eum exilio mulctandum esse iudicauit. Cic. cum Tribunitio furori resistere non posset: (principes enim ciuitatis, vt crassum, Pompeium, & Cæsarem offensos habuit) ad populum cui semper placere studebat, sese & auxilium petens confugit, eaque oratione publicè ab omnibus petit, vt se defensum, & in vrbe seruatum esse velint: commemorans & sua,

quæ in rempub. præstiterat beneficia, & denuncians, nisi eum tectum sartumque conseruassent, extrema in eos Remque pub. mala interuentura.

Genus causæ.

Genus causæ deliberatiuum est. petit enim, vt se à furore clodij defenderent, in vrbeque retinerent.

Status seu propositio.

Iudicialis est. Defendite & conseruate Ciceronem.

Quo loco dicat.

Partium orationis collocationem pro arbitrio constituit orator. Ad populum enim, cuius voluntatem erga se egregiam perspexerat dicturus. Exordio intermisso à propositione orsus est, & confirmatione habita, conclusione suam terminauit orationem. Tres igitur partes habet, propositionem, confirmationem, & Epilogum.

Quomodo dicat.

Graui genere dicendi hac in oratione vsus est: quia & materiam talem habebat, vbi de salute sua agebatur, & nulla ornamenta huius summi generis prætermisit.

Propositio

Propositio & confirmatio orationis,

Si quando.

PRopositio, *Defendite me, quo in loco considera diligenter oratoris summam in dicendo subtilitatem, qui cum exordium prætermisisse videtur, summam tamen sibi beneuolentiam in principio orationis à suis erga rempub. meritis colligit. orditur autem à propositione, simulque argumentatur. Estque hic propositio implicata, primo confirmationis argumento, quod per argumentum primum ita tractauit.*

Primum Argumentum.

Propositio, Qui inimicorum vestrorum impetum propulsauit, eum defendite.

Assumptio Sed ego prpulsaui.

Conclusio, propositioni annexa.

Hanc autem argumentationem periodo quatuor membrorum circumduxit, quam orsus est, à spondæo, & terminauit dichoræo, Si, *propositio syllogismi,* inimicorum, *natura enim duce, quisque suam debet tueri vitam,* qui ne, *assumptio aliis verbis expressa,* ardore, *Catilinaria coniuratione.*

2. *Argumentum,* nam quem, *enthymematicè tractatum.*

Me virtutis gloria florentem, inimicorum inuidia deprimit.

Ergo me defendite.

Antecedens tantum posuit conclusione non repetita. Estque dicolos periodus per contentionem facta, quam à spondæo incipit, & pæane primo finiuit, ad cælum, *Cicero enim confecto consulatu, oppressaque*

Catilinaria factione, pater patriæ salutatus est, indignissimè, iniquè enim à Clodio fuit condemnatus exilio.

3. *Argumentum, si liberum, syllogismo quadripartito tractatum cuius hæc sit constitutio.*

Propositio, Liberale est beneficium serere vt metere possis fructum: fidei conducit, debitum retribuere.

Ratio propositionis, Quia in serendo beneficio, animi voluntas: in retribuendo, memoria perspicitur.

Assumptio, Sed ego liberos vestros defendens, iugumque seruitutis propellens, beneficium vobis præstiti.

Conclusio, Ergo mihi debitum beneficium retribuite. Sed hanc argumentationem variauit. Primo loco, vnam partem Assumptionis posuit. Secundo loco propositionem bipartitã, Tertio rationem propositionis bipartitam quoque. Quarto Assumptionis partem secundam, Quinto conclusionem, Si, Assumptionis prima pars periodo dicolos tractata, inclusam, *Est enim summus parentum in liberos amor. Dat rationem Sabellicus. Quia inquit amor non ascendit, sed descendit. Et Aristoteles. opifices omnes opus suum amant, est* enim, *propositio syllogismi per communem sententiam. Estque dicolos periodus,* Liberale, *imo diuinum appellat Aristoteles. ipseque Cic. 2. de natura Deorum. Deos, esse putat illos, qui beneficijs homines cumularit, indeq; tantam fluxisse multitudinem Deorum probat,* fidei, *hoc est eius hominis est, qui beneficium accepit,*

beneficij

beneficijs meminisse. illic, *inferendo beneficio,* illic, *Ratio Assumptionis,* itaque si, *secunda pars Assumptionis conclusioni admista. Sensus est. Seruitutem vestram depuli. Ergo vos quoque meam depellite. Est* tricolos periodus, graue, *sententia est. Seruitus enim postremum malorum omnium, præsertim in libertate educatis.*

4. *Argumentum,* & si maiores, *ex minorum cõparatis enthymematicos tractatum, Si maiores vestri, minora promerentes summo honore decorarunt.*

Ergo vos eum minoribus ornate, qui maiora vobis præstitit. Estque vna periodus dicolos, sed incisis sus sius dilatata Antecedens & conclusionem circumduxit, & si, *Antecedens,* statuis, *Romani enim imperatores suos, & statuis & triumphis ornabant: vt & eorum immortalitati consulerent, & posteros ad similia peragenda inflammarent,* eum vos, *conclusio antecedentis.*

5. *Argumentum,* Si quæ beneficia, *ex eodem loco comparatorum quatuor partibus constans, propositione, Ratione propositionis, Approbatione rationis, complexione.*

Propositio, Si beneficia singulis priuatim redduntur: multo magis mihi reddi debent, qui vos conseruaui.

Ratio propositionis bipartita, Quia maius est populum quam vnum defendere, & facilius est ab omnibus quam ab vno repetere beneficium.

Approbatio itidem bipartita, Quia leuior est contentio in vno defendendo: in populo autem summa vir-

tus

tute opus est. Et singuli ob tenues opes, gratiam cumulate referre non possunt, vniuersi autem maximè.

Complexio, Ergo qui vos defendi, & qui plus mihi opis afferre potestis, me defendite, si quæ, *propositio syllogismi tricolos periodo circumducta,* nam, *ratio propositionis per diuisionem. Estque periodicon seu periodus sex membrorum,* propterea, *Rationis approbatio per eandem diuisionem,* & singulorum, *secunda pars approbationis periodo tetracolia suauissimè circumducta,* iure, *complexio argumentationis per repetitionem facta, tricolos periodo dilatata.*

Sextum Argumentum, non conuenit enim, *per enthymema cuius hæc est sententia.*

Ego promerui vt me honoribus amplificetis.

Ergo & salutem meam non deseratis antecedens & conclusionem tetracolia complexus est.

Non, *antecedens,* cum ego, *ego vos meis beneficiis affeci,* eius incolumitatem, *conclusio antecedentis.*

Septimum Argumentum, & enim errat.

Aduersarij probabant Ciceronem exilio mulctari oportere. Primo quod improbè, & audacius vixit. 2. Quia nouus homo ad tantam dignitatem euectus est. 3. Quia plurimos ciues indicta causa necauit. Quas obiectiones vno argumento complectamur.

Ego iniquissimè condemnatus appellor.

Ergo me defendite.

Antecedens partitione dilatat. Estque hic affecta oratio. Primum enim in inuidiam hostes adducet, & auditores

auditores ad misericordiam excitabit, etenim, prima obiectio seu antecedentis probatio est que monocolos periodus, non citatur, solutio obiectionis primæ, per singula relata. Audacia enim ad deliquerit, Respub. ad patriam, turpis vita ad improbe vixerit refertur. Observa quam Cic. in persuadendo varias se mutet in formas. Primum enim rationibus se retineri oportere suasit, nunc ad affectus graviores, quibus hominum mentes mouentur, flectunturque confugit. Sunt autem hæc paria affectuum quinque. 1. Amoris & odij. 2. Inuidiæ & gratiæ 3. Spei & metus. 4. Gaudij & mœroris. 5. Misericordiæ & iræ, porro variationem orationum in concitandis affectibus decem istis figuris fieri solere ab oratoribus obseruatum est. Primo exclamatione. 2. Apostrophi non modo ad homines, sed etiam ad res inanimatas. 3. interrogatione crebra. 4. Obsecratione. 5. Adiuratione, seu obtestatione. 6. Optatione. 7. Imprecatione, ad quam ironia & amarulenta concessio referri potest. 8. Admiratione, quæ sit cum luctuosa ipsius rei conquestione. Quibus figuris hoc loco vsus est Cicer. Primum enim inimicos hoc loco in odium rapit, cum eorum vitam, mores, & studia, cum seipso confert. Sensus est. Ego innocens ab improbis vexor, deinde inuident meæ virtuti. Ergo vitam mihi eripere cupiunt, non citatur, Hic in odium rapit, cum eorum improbitatem oratione extollit, intelligunt homines, Idē est locus odij per secundam comparationem. Inuident meæ virtuti. Ergo vitam eripere cupiunt. Estque periodus tricolos, non ne, eandem comparationem repetit. Sensus est. Inuident virtuti quam adæquare non

possunt.

possunt. observa eam esse variatam orationem, figura interrogatione. Si dulcis, *commoratur in eodem argumento & affectu, variauit tamen figura exhortatione,* dulcis, *sententias hic aspergit. gloria enim virtute & labore paratur,* petere, *hoc est,* Noli oppugnare, *inuadere alterius honorem,* cedo, *concludit hunc odij affectum. Sensus est. Ergo inuidia inimicorum victus cedo.*

8. *Argumentum, vel potius primum repetit,* liceat manere.

Qui vos omnes cum liberis, patriaq; tectos conseruauit. Vos me eum defendite. Sed conclusionem primũ ponit, illiq; subiungit antecedens: variauitq; orationem figura obsecrationis. Estque affectus misericordiæ, cum iam non adeo sui ipsum, sed liberos retineri optat, si nõ, Antecedens estque periodus tricolos, flamma, *ab isto clodianorum furore defendi.*

9. *Argumentum,* neque enim peto, *Datam gratiam à vobis repeto. Ergo eam mihi retribuite. Estque quatuor membrorum periodus,* vos vos, *commoratur in eodem argumento, variata tamen oratione per obtestationem, estque hic patetica oratio, tricolos periodo circumducta,* obtestor, *obtestari dicitur, cum eum adiuramus, quem petimus,* Lumina, *hoc est, qui consilia mihi vestra suppeditastis.*

10. *Argumentum, ex comparatis, acutè inuentũ & subtilius tractatum.* num igitur.

Si me non retinetis, nemo me recipiet, imo omniũ spes in vestro auxilio posita cõcidet. Estque contentione & subiectione tractatum, num, *Antecedens dicolos periodus,*

odus retineri, reijcere, *prima contentio*. socij, *alia* cõtentio, nam quid, *tertia* cõtentio *sententia est. Nemo me iuuabit si vos deseritis*, quam colere, *Dilemmate concludit argumentum. Si alibi proficiscar, vel vt custos accipiar, vel vt proditor à vobis excludar vtrumque est malum. Ergo me retinete. Sed conclusionem prætermisit.*

11. *Argumentum ex comparatis*, itaque quod, *sex partibus tractatum. propositione, ratione propositionis, Assumptione, duobus rationibus Assumptionis, & complexione.*

Collocatio Argumenti.

Propositio, *Si nos aliena pericula vt nostra moueremus, certè frequentes ea propelleremus.*

Ratio propositionis, *Quia si ijsdem periculis volentes circumueniremur, ea nobis accidisse frustra quæreremur.*

Assumptio, *Sed mea pericula, quæ sunt vestra pericula vos monere debent.*

1. *Ratio*, *Quia neque virtus, nec dignitas, nec amici, qui nostra sunt præsidia, possunt me, ex istis malis eripere.*

2. *Ratio*, *Quia si me recenter promeritum vexant, quid etiam vos.*

Complexio, *Ergo aliena pericula propellite hoc est me defendite. Estque hic affectus metus, quem à periculis impendentibus tectè excitauit.*

Si, *propositio argumentationis partitione dilatata, multisque condensata propositionibus. Estque periodicos*

dicon, hoc est, protracta oratio, neque partim, Ratio propositionis partitione dilatata, quis enim est, Assumptio partitione amplificata, Estque dicolos, quo enim, 1. Ratio Assumptionis, nam non satis, Hanc rationem communi sententia amplificat, Estque periodus dicolos. Atque adeo, 2. Ratio Assumptionis, periodo tricolos circumducta, nunc si, Eadem est Assumptionis ratio, quasi dicat. Si me defenderitis, nihil est vobis extimescendum. Sin contra, videte. Estque periodicon quinque membrorum, qui sunt asse-cuti, hoc est si me retinebitis, & vos honorem vestrũ, nunquam amittetis, & cæteri facilius nobilitatem consequentur, quamobrem, conclusio argumentationis. Estque dicolos periodus, nunc igitur, Amplificat conclusionem suis promeritis. Sensus est. Ergo me innocentem defendite: vel si non potestis, Vnus pro vobis cedam. Estque tetracolia periodus.

12. Argumentum, si igitur aliquo.

Si pietatis studiosos defendistis, me qui & Deorum templa conseruaui, & vos tutissimos feci defendite.

1. Ratio, Quia innocens vexor.

2. Ratio, Quia ego aliorum furorem extinxi, vos igitur Tribunorum vim repellite.

3. Ratio, Quia mea pericula sunt vobiscum communia.

Complexio. Ergo me defendite.

Si, propositio argumentationis periodo dicolos dilatata, religionis, lex enim fuit apud Romanos de sacerdotibus. Sacerdotes ne attingito, hoc est ne violato, nam me, prima ratio propositionis periodo dicolos dilatata,

latata, & quoniam, 2. *Ratio eſtque tricolos*, qui nunc, 3. *Ratio dilatata. Epiſinapſi & ſynonimia*, nunc vel, *concluſio argumentationis. Ergo me defendite.*

13. *Argumentum*, omnia ſunt, *Non poſſum me defendere. Ego me vos defendite. Excitat hic affectum commiſerationis quem tractat indicatione ſuorum malorum, & exaggeratione crudelitatis aduerſariorum. Porro ſecunda obiectio erat aduerſariorum de nobilitate Ciceronis, quam ille breuiſſimè diluit, ne aliorum ſibi conflaret odium*, humilitatem, *propoſitio obiectionis, cuius ſolutionem vide in Saluſtium pleniorem*, qui nouam, *Solutio, hoc eſt qui non virtute, ſed alia ratione conſequi poſſe nobilitatem arbitrantur: illi maiorum ſuorum obſcurant laudes, quia ipſi etiam virtute nobilitatem ſunt conſecuti*, ſed quid, *præteritione variat orationem, eorumque improbitatem reprehendit. Eſtque hic tetracolia.* Vos ego, *Alia figura obteſtationis affectum concitat, atque ſuperiora argumenta in vnum conglobat locum. Senſus eſt. Vos me defendite, qui poteſtis, meaq, virtutis teſtes fuiſtis*, Igitur ex, *Hic repetit per enumerationem ſuperiora argumenta. Eſtque ardens oratio membratim tractata*, proinde aut in, *conglobationis huius argumentorum concluſio. Eſtque dicolos periodus.*

14. *Argumentum*, nemo tam perdita, *ex comparatis. quatuor partibus contextum, Propoſitione, Aſſumptione Ratione aſſumptionis, per duplicem Comparationem, & complexione.*

Collocatio Argumenti.

Propositio, *Nemo vnquam reus supplicio plectitur, nisi conuictus sententijs iudicum.*

Assumptio, *Sed ego sine iudicio, sine legibus, indictáque causa sum à Clodio condemnatus.*

Ratio Assumptionis estque prima comparatio, Quia hostibus dimicantibus licet disputare, mihi ciui, me defendere non licuit.

2. *Comparatio*, *Seruis apud eos, quos necare voluerunt licet disputare, mihi autem qui alios seruauit non licet.*

Complexio. Ergo me defendite.

Nemo, *propositio syllogismi, dicolos periodo dilatata*, Ergo, *Assumptio incisis dilatata*, hostibus, *ratio Assumptionis per primam comparationem, estque dicolos periodus.* Tacebo si, *Conclusio argumentationis affectu commiserationis conspersa. Ergo me defendite. Estque dicolos*, Itaque, *dilatat conclusionem praeteritione & comminatione.*

15. *Argumentum*, & enim si à me, *si ego propter coniuratores necatos exulabo: authores mei exilij in periculo erunt. Ergo me defendite. Estque hic tertia aduersariorum obiectio, qua probabant Ciceronem iustè eiectum, esse propterea, quod ciues sine solenni iudicio interemit. Quam obiectionem tripartito argumento, hoc est propositione, Ratione propositionis, & conclusione, contexto breuiter dissoluit.*

Propositio, *Authores exilij mei, quod ego causa coniuratorum occisorum suscepero, venient in summum periculum.*

Ratio

Ratio propositionis, *Quia conscientia cruciati pœnas populo dabunt.*

Conclusio, *Ergo me defendite*, etenim, *propositio syllogismi, estque dicolos*, Lentuli, *Hos enim Cic. omnes tanquam illius coniurationis authores & duces, non expectans comitia centuriata necauit. Lege Sallustium*, Itaque, *Ratio propositionis*, *estque dicolos*, conscientia, *conscientia enim sceleris agitarentur*, quas ob res, *complexio, cui sequentis argumenti annectit propositionem. Sensus est. Ergo me defendite quã inimicorum furori, salutis vestræ causa cedo*, quas, *Hic est propositio quam dilatat ratione, & approbatione. Estque tetracolia*, neque eo, *ratio propositionis. Quia malo vnum periculum in mea salute perferre.* Sic enim, *Approbatio per communem sententiam. Estque monocolos.*

16. *Argumentum*, sed illud queror, *magis me vestra, quam mea calamitas, quæ vobis struitur premit. Ergo me defendite. Antecedens ponit conclusione neglecta. Estque tetracolia.*

17. *Argumentum*, quamobrem, *ad commiserationem factum. Enthymemate constans.*

Omnia pro repub. perferre sum paratus.

Ergo me defendite. Antecedens partitione dilatat, quamobrem, *Antecedens monocolos*, vim volunt, *idem antecedens membratim contextum. Obserua autem officium oratoris, vbi singulis, singula membra tribuit*, non enim, *variat orationem*, neque. *Aetiologia, & communibus sententiis dilatat Antecedens*, illud, *complexio antecedentis qua sua in Rempub. of-*

ficia commemorat. Ergo me & liberos meos defendite. Estque periodicon.

Supplicatio.

Nunc ego te Iupiter.

Absolutis tot argumentis, nunc vehementißima supplicatione vsque ad ipsam conclusionem, vtitur, cum Deorum in primis, deinde populi Romani auxilium & fidem implorat. Hic autem locus ad commiserationem excitandam, & hostium improbitatem extollendam est comparatus. Sensus est, vos Dij Deæque omnes me defendite, quorum ego templa sancta, tecta que conseruaui. Estque ardens oratio, Iupiter dicitur à iuuando, *omniumq; Deorum Deus quem, (doctore Plutarcho) Philosophi mentem rerum omnium creatricem, & vitam, principem immortalem, omnipotentem, & maximum appellabant. Sex autem Ioues Cic. 3. de natura Deorum fuisse scribit & 2. de natura Deor.* maximè, *Porphirius Iouem scribit pingi solitum, sceptrum tenentem leua, dextra vero modo aquilam, modo victoriam. Sceptrum. quia omnium est rector, Aquilam quia omnium Deorum Dominus. Victoriam. quia illi omnia subiecta sunt,* nutu, *quia omnia regis & gubernas,* particeps, *scribit Dionisius, Priscũ Tarquinium bello Sabino, Ioui vouisse templum, Iunoni & Mineruæ, exæquasseq; Tarpeium colem in modũ areæ, ad id exigendum, sed subita morte ereptus nec fundamenta operis instituti iecit. Quod Tarquinius superbus postea extruxit, & ab humano capite in fundamentis reperto Capitolium appellauit.* Iuno, *hæc erat coniux & soror, & regina Iouis. Vide Lactantium lib.*

1. *de*

1. *de falsa religione cap.* 13. Teque Tritonia, *Hæc omnia nomina sunt Mineruæ, seu palladis epiteta, quam ex cerebro Iouis natam esse poetæ fingunt. Cic. autem quinque Mineruas esse asserit.* Tritonia, *Minerua dicta est Tritonia, quod ad lacum Tritonis primum virgo apparuit. Armipotens dicitur, quia militaribus armis militans pingitur,* Gorgona, *vel quod Gorgonam interfecit, Entemero teste, vel quod scutum Gorgonæ à Ioue impetrauit,* vt non solum, *vide quid senserit Cic. de Dijs quorum consilio & prouidentia mundum administrari affirmat,* Teque, *continuat suam ad Deos supplicationem, promerita sua in eos commemorando,* stator, *cur Iouis stator dicitur dat Liuius lib.* 1: *decad.* 1. *rationem, & Plutarchus in vita Romuli. Quod Romuli precatione acies Romana contra Sabinos pugnans, iam iam inclinata, in fugamque conuersa constitit. Ioue eam stare faciente,* Templo, *In templo enim statoris Cic. sua oratione Catilinam fregit, vrbeq; excluſit,* Sabinis, *Sabini erant in Italia populi, quorum filias rapuerunt Romani olim in spectaculo, cum vxoribus carerent,* palacij, *palacium erat mons Romæ à palando, hoc est errando, vel ballando dictus,* Si G. Mario, *Triplici exemplorum comparatione suam petitionem amplificat, Estque* 5. *membrorum periodus, seu periodicon,* G. Mario, *Qui ciues in Rempub. conspirantes compresserat, lege Plutarchum in vita Marij,* Pub. Scipioni, *qui Aphricam & Annibalem vicit, Carthaginemque deleuit,* Gn. Pompeio, *qui Mithridatem regem, alioſque innumerabiles fudit.* Deinde vos, *conuertit suam supplicationem*

cationem ad senatum, idemq; ab illis sua beneficia recenſendo flagitat. Senſus eſt. Defendite me vobis omnibus promeritum. Eſtque tetracolia, iacui, Cicero enim ſingulorum auxilium per omnes vicos diſcurrendo petebat, Si, hic promerita ſua partitione diſponit. Eſtq; membratim facta oratio, conſcriptorum, nomine conſcriptorum vniuerſus ſenatus apud Cic. intelligitur, ſed quoniam, variat orationem, atq; omnia mala Reipub. ſe perlaturum dicit, quod multis exemplis illuſtrat. Senſus eſt. Hæc omnia aduerſa tolerabo, quia præſtantiſſimi viri ſimilia pertulerunt, neque enim Q. Metellus, Primum exemplum adfert breuiterq; tractat, cuius ſenſus eſt. Saturninus legem Agrariam Marij inſtructu tulerat, eidemque vnus reſiſterat Metellus, eaque cauſa à Saturnino in exilium eſt actus, neque Cotta, Aliud exemplum. Hic cotta præſtantiſſimus erat orator, qui primum per inuidiam, Tribunatu erat pulſus, paulo poſt varonis Tribuni impetu, ex vrbe eiectus, inferiore genere, Hic enim ex macellaria patris taberna, ad conſulatum cæteroſque magiſtratus conſcenderat, Authore Valerio lib. 3. cap. 4. neque Marius, Hic cum omnibus honoribus Romæ eſſet perfunctus, poſtea Plutarcho teſte exulauit, Tantas res geſſerit, Aphricam enim ſubegit, Iugurtham regem ante currum egit, Teutonicos, cymbrorum que exercitus deleuit, neque M. Cic. collatio exemplorum. Senſus eſt, Ergo hoc exilium, quemadmodum illis, ita & mihi, ignominiæ non erit, Quamobrem, Repetit eandem obteſtationem, atque indigne eam calamitatem ſe perlaturum dicit. Sit ergo ſenſus. Iniuſtè hoc

ſtè hoc exilium perferam, ſed hunc ſenſum primo ſynonimia, deinde exemplis illuſtrat. Eſtque tricolos periodus, Quod ſi idem, *Amplificat exemplis. Si tanti viri exilium tulerunt. Ego etiam perferam,* Q. cæpioni, *Hic enim prætura ſplendore, triumphali claritate, conſulatus decore, maximi pontificis ſacerdotio ornatus, ſenatusque patronus appellatus: in publicis tamen vinculis ſpiritum dimiſit, corpuſque eius carnificis manibus laceratum in ſcalis Gemoniis iacens, magno cum terrore totius Romæ ſori conſpectum eſt,* ſi Stacilio, *Qui etiam innocenter exulauit.* generis antiquitate, *Hic conſtat Cic. obſcuris parentibus fuiſſe ortum, Lege in Saluſtium.*

Epilogus orationis.

Nunc ego vos.

Concluſionem orationis, repetitione argumentorum, & commiſeratione tractat. Senſus eſt. Vos equites, quorum eſt maxima laus, & de quibus ſum bene meritus me defendite. Eſtque periodicon, vt ſi, *Hic eſt repetitio argumentorum.* miſerrimi, *miſerrimum enim fuit & ignominioſum exilium ſubire, adeo, vt aliqui exules, pudore perfuſi, nolent, etiamſi renocarentur, iterum ab exilio Romam redire,* proiicitur Tullius, *Reliquam enumerationem concitata commiſeratione perſequitur, quam Antiteſi, conqueſtione, & aliis grauiſſimis figuris extollit,* proicitur, *Eſt pathos, quaſi dicat. Qui pater patriæ appellatus erat nunc proiicitur,* itaque, *commiſeratio à ſua & ab inimicorum perſona,* ô miſera, *hic eſt conqueſtio, vbi re-*

rum humanarum inconſtantiam accuſat, per commu-nem ſententiam vnde Plautus. Fortuna humana fre-git erratque vt lubet, Ego ne inimicus, *Adhuc ſua promerita repetit per dialogiſmum. Senſus eſt. Bene merens eiſcior,* en conditionem, *Alia conqueſtio, quam Antiteſi auget, & vno membro abſoluit,* antea, *periodus dicolos,* ſint ſane, *conceſsio eſt, quaſi dicat. Iam vincant improbi optimos. Atquè hic obſeruan-dum, quam vario motu erumpit oratio pro habitu ani-mi perturbati, & tanquam fluctibus, modo in hanc, modo in illam partem iactatur,* tantum à vobis, *extrema petitio, qua vt ſe conſeruent petit. Simile exẽ-plum Epilogi vide in oratione pro Milone: niſi quod hic pro ſeipſo, ibi autem pro Milone cauſam agit.*

M. T.

M. T. CICERONIS POST REDITVM IN SENATV, ORATIO.

SI Patres conscripti pro vestris immortalibus in me, fratremq; meum, liberosq; nostros meritis, parum vobis cumulatè gratias egero: quæso, obtestorque, ne meæ naturæ potius, quàm magnitudini vestrorum benficiorumid tribuendum putetis. quæ enim tanta potest existere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum, atq; incredibile genus orationis quo quisquam possit vestra in nos vniuersa pro merita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui amplissimam Rem publicam, qui patriam, qua nihil potest esse iucundius, qui denique nosmetipsos nobis reddidistis. Quòd si parentes charissimos habere debemus, quòd ab ijs nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est: si deos immortales, quorum beneficio & hæc tenuimus, & cæteris rebus auctiſumus: si populum Romanum, cuius honoribus in amplissimo consilio, & in altissimo gradu dignitatis, atq; in hac omnium

terrarum arce collocati sumus: si hunc ipsum ordinem, à quo sæpe magnificentissimis decretis sumus honestati: immensum quiddam, & infinitum est, quod vobis debeamus, qui vestro singulari studio atque consensu, parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi Ro. honores, vestra de me multa iudicia, nobis vno tempore omnia reddidistis: vt cùm multa vobis, magna populo Romano, innumerabilia parentibus, omnia dijs immortalibus debeamus, quòd hæc antea singula per illos habuerimus, nunc vniuersa per vos recuperauerimus. Itaque P. C. quod ne optandum quidem est homini, immortalitatem quandam per vos adepti videmur. quod enim tempus erit vnquam, quo vestrorum in nos beneficiorum memoria, ac fama moriatur? qui illo ipso tempore, cum vi, ferro, metu, minis obsessi teneremini, non multo post discessum meum vniuersi me reuocastis, referente L. Mummio fortissimo, atq; optimo viro: quem habuit ille pestifer annus maxime fidelem, & minimè timidum, si dimicare placuisset, defensorem salutis meæ. posteaquam vobis potestas decernendi non est permissa per eum tribunũ plebis qui cùm per se Remp. lacerare non posset, sub alieno scelere deluit: nunquam de me siluistis: nunquam meam salutem non ab his Consulibus, qui vendiderant, flagitauistis. itaq; vestro studio, atq; authoritate perfectum est, vt ille

ipse

ipse annus, quem ego mihi, quam patriæ, malueram esse fatalem, hos Tribunos haberet, qui promulgarent de salute mea, & ad vos sæpenumero referent. nam Consules modesti, legumque metuentes impediebantur lege, non ea quę de me, sed ea quæ de ipsis lata erat: cum meus inimicus promulgauit, vt si reuixissent hi, qui hæc penè delerunt, tum ego redirem. quo facto vtrumq; confessus est, & se illorum vitam desiderare, & magno in periculo Rempublicam futuram, si aut hostes, atque interfectores Rei publicæ reuixissent, aut ego non reuertissem. Itaq; illo ipso anno, cùm ego cessissem, princeps autem ciuitatis, non legum præsidio, sed parietum vitam suam tueretur: Resp. sine consulibus esset, neque solùm parentibus perpetuis, verùm etiam tutoribus annuis esset orbata, sententias dicere prohiberemini, caput meæ proscriptionis recitaretur: nunquam dubitastis meam salutem cum communi salute coniungere. Postea verò quam singulari, & præstantissima virtute P. Lentuli Consulis, ex superioris anni caligine, & tenebris lucem in Rep. Cal. Ianua. respicere cœpistis, cùm Q. Metelli nobilissimi hominis, atque optimi viri summa dignitas, cùm Prætorum, Tribun. pl. penè omnium virtus, & fides Reip. subuenisset: cum virtute, gloria, rebus gestis Cn. Pompeius omnium gentium, omnium seculorum, omnis memoriæ facile princeps, tutò se in senatum

venire

venire arbitraretur: tantus vester consensus de salute mea fuit, vt licet corpus abesset meũ, dignitas iam in patriã reuertisset. quo quidẽ mense quid inter me, & inimicos meos interesset, existimare potnistis. ego meam salutem deserui, ne propter me ciuium vulneribus Resp. cruentaretur. illi meum reditum non populi Romani suffragijs, sed flumine sanguinis intercludendum putauerunt. Itaq; postea nihil vos ciuibus nihil socijs, nihil regibus respondistis: nihil Iudices sententijs, nihil populus suffragijs, nihil hic ordo authoritate declarauit: mutum forum elinguem curiam, tacitam & fractam ciuitatem videbatis. quo quidem tempore, cùm is excessisset, qui cædi & flãmæ vobis authoribus restiterat, cùm terro, & facibus homines tota vrbe volitantes, magistratuũ tecta oppugnata, deorum templa inflammata, summi viri & clarissimi Consulis fasces fractos, fortissima atque optimi viri Tribu. ple. sanctissimum corpus non solùm tactum, ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis. qua strage nonnulli permoti magistratus, partim metu mortis, partim desperatione Reip. paululum à mea causa recesserunt: reliqui fuerunt, quos neque terror, nec vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec minæ, nec tela, nec faces à vestra authoritate - à populi R. dignitate, à mea salute depellerent. Princeps P. Lentulus parens ac deus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, hoc

nis, hoc ſpecimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen conſulatus ſui fore putauit: ſi me mihi, ſi meis, ſi vobis, ſi reip. reddidiſſet. Qui vt eſt deſignatus, nunquam dubitauit ſententiam de ſalute mea, ſe & Rep dignam dicere. cùm à tribuno pl. vetaretur, cùm præclarum caput recitaretur, ne quis ad vos referet, ne quis decerneret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne ſcribendo adeſſet, totam illam clauſulam, vt ante dixi, proſcriptionem, non legem putauit: qua ciuis optime de Rep. meritus nominatim ſine iudicio, vnà cum Senatu Reipu. eſſet ereptus. vt vero inijt magiſtratum, non dicam quid egerit prius: ſed quid omninò egit aliud, niſi vt me conſeruato veſtram in poſterum dignitatem authoritatemque ſanciret? Dij immortales quantum mihi beneficium dediſſe videmini? quòd hoc anno P. Lentulus conſul fuit, quo quanto maius dediſſetis, ſi ſuperiore anno fuiſſet? nec enim eguiſſem medicina conſulari, niſi conſulari vulnere concidiſſem. audieram ex ſapientiſſimo homine, atque optimo ciue, & viro, Q. Catulo, non ſæpè vnum conſulem improbum, duos vero nunquam, excepto illo Cinnano tempore, fuiſſe. quare meam cauſam ſemper fore firmiſſimam dicere ſolebat, dum vnus in Repub. eſſet Conſul. quod vere dixerat, ſi illud de duobus Conſulibus, quod ante in Rep. non fuerat, perenne ac proprium manere potuiſſet. quòd ſi Q. Metellus illo

illo tempore consul fuisset, vnicus: dubitatis, quo animo fuerit in me conseruando futurus, cùm in restituendo auctorem fuisse, adscriptoremque videatis? Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustæ, humiles, prauæ, oppletæ tenebris, ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperij nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules: sed mercatores prouinciarum, ac venditores vestræ dignitatis: quorum alter à me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus: alter Cethegum, consobrinum suum, reposcebat: qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones, non modò deseruerunt, in causa præsertim publica, & consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio non solùm suo, sed etiam vestro, cæterorumque ordinum, spoliatum esse voluerunt: quorum alter tamen neque me, neque quemquam fefellit. Quis enim vllam vllius boni spem haberet in eo, cuius primum tempus ætatis palàm fuisset ad omneis libidines diuulgatum? qui ne à sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare? qui cùm suam rem non minùs strenuè, quàm postea publicam confeciset: egestatem, & luxuriam domestico latrocinio sustentauit? qui nisi in aram tribunatus confugisset: neq; vim prætoris, nec multitudinem creditorum, nec

rum, nec bonorũ proscriptionem effugere potuisset. qui in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset: profectò & egestate, & improbitate coactus piraticam ipse fecisset: ac minore quidem cum reip. detrimẽto, quàm quòd intra mœnia nefarius hostis, prædoq; versatus est: quo inspectante, ac tedente, legem tribunus plebis tulit, ne auspicijs obtemperaretur: ne obnuntiare concilio, aut comitijs: ne legi intercedere liceret: vt lex Ælia, & Fusia ne valerent: quæ nostri maiores certissima subsidia reip. contra tribunitios furores esse voluerunt. Idemq; postea, cùm innumerabilis multitudo bonorũ de Capitolio supplex ad eum sordidata venisset, cumq; adolescentes nobilissimi, cunctiq; equites R. se ad lenonis impurissimi pedes abiecissent: quo vultu cincinnatus ganeo non solùm ciuium lacrymas, verùm etiam patriæ preces repudiauit? neq; contentus fuit, sed etiam in contionẽ adscendit: eaq; dixit, quæ, si eius vir Catilina reuixisset, dicere nõ esset ausus: se nonarũ Decembr. quæ, me consule fuissent, ciuiq; Capitolini pœnas ab equitibus R. esse repetiturũ: neq; solùm id dixit, sed quos ei cõmodum fuit, compellauit: L. verò Lamiam, equitem R. præstanti dignitate hominem, & saluti meæ, pro familiaritate reip. pro fortunis suis, amicissimum, consul imperiosus exire vrbe iussit, & cùm vos vestem mutandam censuissetis, cunctiq; mutassetis, atq; idem omnes boni iam antè fecissent: ille vi-

ille vnguentis oblitus, cum toga prætexta, quã omnes Prætores, Aedilesque tum abiecerant, irrisit squalorem vestrum, & luctum grauissime ciuitatis. fecitque quod nemo vnquam Tyrannus: vt quo minus occultè vestrum malum gemeretis, nihil diceret: ne apertè incommoda patriæ lugeretis, ediceret. Cùm vero in Circo Flaminio non à Tribuno pl. Consul in concionem, sed latrone Archipirata productus esset, primũ processit qua authoritate vir? vini, somni, stupri plenus madenti coma, composito capillo, grauibus oculis, fluctibus buccis, presla voce & temulenta: quod in ciuis indemnatos esset animaduersum, id sibi dixit grauis author vehemẽtissime displicere. vbi nobis hæc authoritas tã diu tanta latuit? cur in lustris & helluationibus huius calamistrati saltatoris tam eximia virtus tam diu cessauit? nam ille alter Cesonius Caluentius ab adolescẽtia versatus est in foro: cùm eum præter simulatam versutamque tristiciã nulla res commendaret, non consulis studium, non discendi initia rei militaris, non cognoscendorum hominum, non liberalitas. quẽ præteriens cùm incultum, horridum, mœstumque vidisses, etiam si agrestem, & inhumanum existimares, tamen libidinosum & perditum non dubitares. cum hoc homine, aut cum stipite Aethiope, si in foro constitisses, nihil crederes interesse, sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Capadocem modò

modò abreptũ de grege venalium diceres. Idẽ domi quam libidinosus? quàm impurus, quã in tẽperans, non ianua receptis, sed pseudothyro, intromissis voluptatibus? cùm verò etiã literas studere incipit, & helluo immanis cùm Græculis philosophari, tum est Epicuréus, non penitus illi disciplinæ, quæcunque est, deditus: sed captus vno verbo voluptatis. Habet autẽ magistros non ex istis ineptis, qui dies totos de officio, ac de virtute disserunt: qui ad laborem, ad industriam, ad pericula pro patria subeunda adhortantur: sed eos, qui disputent, horam nullam vacuam voluptate esse debere: in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium, delectationemq; versari. His vtitur quasi præfectis libidinum suarum: hi voluptates omneis vestigant, atq; odorantur: hi sunt conditores, instructoresq; conuiuij: ijdem expendunt, atq; æstimant voluptates, sententiamque dicunt, & iudicant, quantum cuiq; libidini tribuendum esse videatur. horum ille artib. eruditus, ita contẽpsit hanc prudentissimam ciuitatem, vt omneis suas libidines, omnia flagitia, latere posse arbitraretur, si modò vultum importunum in forum detulisset. Is non me (quanquam equidem non cognoram eum, propter Pisonum affinitatem, quam longè hunc ab hoc genere cognatio materna Transalpini sanguinis abstulisset) sed vos, populumque R. non consilio, neq; eloquentia, quod in multis sæpe ac-

cidit, sed rugis, supercilioq; decepit. L. Piso, tu-
né ausus es isto oculo, non dicam isto animo:
ista fronte, non vita: tanto supercilio, non enim
possum dicere tantis gestis, cum A. Gabinio cō-
sociare consilia pestis meę? non te illius vnguen-
torum odor, non vini anhelitus, non frons cala-
mistri notata vestigiis, in eam cognitionem
adducebat, vt, cùm illius re similis fuisses, fron-
tis tibi integumento ad occultanda tanta flagi-
tia diutiùs vti non liceret? cum hoc coire ausus
es, vt consularem dignitatem, vt reip. statum,
vt senatus auctoritatem, vt ciuis optimè meriti
fortunas prouinciarum fœdere addiceres? te
consule, tuis edictis, & imperijs, senatui, popu-
loque R. non est licitum, non modò sententijs,
atque auctoritate sua, sed ne luctu quidem, ac
vestitu reip. subuenire. Capuæ ne te putabas,
in qua vrbe domicilium quondam superbiæ fu
it, consulem esse, sicut eras eo tempore: an Ro-
mæ, in qua ciuitate omnes ante vos consules se-
natui paruerunt? tu es ausus in Circo Flaminio
productus cum tuo illo pari dicere, te semper
misericordem fuisse? quo verbo senatum, atq;
omneis bonos tum, cùm à patria pestem ex-
pellerent, crudeleis demonstrabas fuisse. Tu mi
sericors me affinem tuum, quem comitijs, præ-
rogatiuæ primum custodem præfeceras, quem
Kalendis Ianuar. tertio loco sententiam roga-
ras, constrictum inimicis reip. tradidisti: tu me-
um generum, propinquum tuum: tu affinem
tuam,

tuam, meam filiam, superbissimis, & crudelissimis verbis à genibus tuis repulisti idemq; tu clementia, ac misericordia singulari, cùm ego vnà cum rep. non tribunitio, sed consulari ictu concidissem: tanto scelere, tantaq; intemperantia fuisti, vt ne vnam quidem horam interesse paterere inter meam pestem, & tuam prædam, saltem dum conticesceret illa lamentatio, & gemitus vrbis. Nondum palàm factum erat concidisse rem p. cùm tibi arbitria funeris soluebantur. vno, eodemq; tempore domus mea diripiebatur, ardebat: bona ad vicinum consulem de Palatio: de Tusculano ad item vicinum alterũ consulem deferebantur: cùm, isdem operis suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modò à bonis, sed etiam à liberis, atque inani foro, ignaro populo R. quid ageretur, senatu verò oppresso, & afflicto, duobus impijs, nefarijsq; consulibus, ærarium, prouinciæ, legiones, imperia donabantur. Horum consulum ruinas vos consules vestra virtute sustinuistis, summa tribunorum plebis, prætorumq; fide, & diligentia subleuastis. Quid ego de præstantissimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali ciue satis dignè vnquam loquetur? qui cùm videret, scelleratum ciuem, aut domesticum potiùs hostem, si legibus vti liceret, iudicio esse frangendum: sin ipsa iudicia vis impediret, ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, vim

vi esse superandam : primò de vi postulauit: posteaquàm ab eodem iudicia sublata esse vidit: ne ille omnia vi posset efficere, curauit: qui docuit, neq; tecta, neq; templa, neq; forum, neque curiam, sine summa virtute, ac maximis opibus, & copijs ab intestino latrocinio posse defendi : qui primus, post meum discessum, metum à bonis, timorem huic ordini, seruitutem depulit ciuitati. Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sextius secutus, pro mea salute, pro vestra auctoritate, pro statu ciuitatis nullas sibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitæ discrimen vitandum vnquam putauit: qui causam senatus exagitatam contionibus improborum, sic sua diligentia multitudini commendauit, vt nihil tam populare, quàm vestrum nomen: nihil tam omnibus carum aliquando, quàm vestra auctoritas videretur: qui me cùm omnibus rebus, quibus tribunus plebis potuit, defendi, tum reliquis officijs, iuxta, ac si meus frater esset, sustentauit. cuius ego clientibus, libertis, familia, copijs, literis, ita sum sustentatus, vt meæ calamitatis nō adiutor solùm, vetùm etiam socius videretur. Iam cæterorum officia, studiaq; vidistis: quàm cupidus mei C. Sestilius, quàm studiosus vestri, quàm non varius fuerit in causa. Quid Mosopius? cui ego ipsi, parenti, fratriq; eius, sentio quantum debeam: qui cùm à me voluntas eorum in priuato iudicio esset offensa, publici mei be-

mei beneficij memoria priuatam offensionem obliterauerunt. Iam T. Fadius, qui mihi quæstor fuit, M. Curtius, cuius ego patri quæstor fui studio, amore, animo, huic necessitudini nō defuerunt. Multa de me C. Messinius, & amicitiæ, & reip. causa dixit: legem separatim initiò de salute mea promulgauit. Q. Fabricius si, quæ de me agere conatus est, ea contra vim, & ferrum perficere potuisset: mense Ianuario nostrū statum recuperassemus. quem ad salutem meam voluntas impulit, vis retardauit, auctoritas vestra reuocauit. Iam verò prætores quo animo in me fuerint, vos existimare potuistis, cùm L. Cæcilius priuatim me suis omnibus copijs studuerit sustentare: publicè promulgauit de salute mea cum collegis pene omnibus. directoribus autem meorum bonorum in ius aduendi potestatem non fecerit. M. autem Calidius, statim designatus, sententia sua, quàm esset cara sibi mea salus, declarauit. Omnia officia C. Septimij, Q. Valerij, P. Crassi, Sex. Quinctilij, C. Cornuti, summa & in me, & in remp. constituerunt. quæ cùm libenter cōmemoro, nemo enim gratiarum immemor est gratus inuentus tū non inuitus nonnullorum in me nefariè cōmissa prætereo. non est mei temporis iniurias meminisse: quas ego etiam si vlcisci possem, tamen obliuisci mallem. aliò transferenda mea tota vita est, vt benè de me meritis referam gratiam: cum apertis hostibus bellum geram: ti-

midis amicis ignoscam: proditoribus meis nō indicem dolorem profectionis meæ, defensores reditus dignitate consoler. Quòd si mihi nullum aliud esset officium in omni vita reliquum, nisi vt erga duces ipsos, & principes, atq; auctores salutis meæ, satis gratus iudicarer: tamen exiguum reliquæ vitæ tempus non modò ad referendam, verùm etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. Quando enim ego huic homini, aç liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? quæ memoria, quæ vis ingenij, quæ magnitudo obseruantiæ, tot, tantisq; beneficijs respondere poterit? qui mihi primus afflicto, & iacenti, consularem fidem, dexteramq; porrexit: qui me à morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab exitio ad salutem reuocauit. qui tanto amore in me, studio in remp. fuit, vt excogitaret, quemadmodum calamitatem meam nō modò leuaret, sed etiam honestaret. quid enim magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quàm quòd, illo petente, vos decreuistis, vt cuncti ex omni Italia, qui remp. saluam vellent, ad me vnum, hominem fractum, & propè dissipatum, restituendum, & defendendum venirent? vt, qua voce à te, Romule, post Romam conditam consul vsus esset pro vniuersa repub. apud eos solùm, qui eius vocem exaudire possent: eadem voce senatus omnibus agris, vicis, atque oppidis, ciuei̯s, totamq; Italiam ad vnius salutē

defendē-

defendendã excitaret. Quid ego glorioſus meis poſteris potui relinquere, quàm, hoc ſenatũ iudicaſſe, qui ciuis me nõ defendiſſet, eum remp. ſaluam noluiſſe? Itaq; tantum veſtra auctoritas tantum eximia cõſulis dignitas valuit, vt omnes is flagitium ſe cõmittere putaret, ſi quis non veniret. Idemq; conſul, cùm illa incredibilis multitudo Romã, & pene Italia ipſa veniſſet, vos frequentiſſimos in Capitoliũ conuocauit. quo tempore quantam vim vera bonitas haberet, aut vera nobilitas, intelligere potuiſtis. Qnam. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perſpecta veſtra volũtate, omnia priuata odia depoſuit, quẽ P. Seruilius, vir cùm clariſſimus, tum verò optimus, mihiq; amiciſſimus, & auctoritatis, & orationis ſuæ diuina quadã grauitate, ad ſui generis, cõmuniſq; ſanguinis facta, virtuteſq; reuocauit, vt haberet in conſilio, & fratrẽ ab inferis, ſocium rerum mearũ, & omneis Metellos, præſtantiſſimos ciueis, pene ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicũ illum, Metellũ cuius quondã de patria diſceſſus, honeſtus ipſi, omnibus luctuoſus tandem viſus eſt. Itaq; fuit is nõ modò ſalutis defenſor, qui ante hoc vnũ beneficium fuerat inimicus, verùm etiã adſcriptor dignitatis meæ. Quo quidẽ die cùm cccccx. ſenatores eſſetis, magiſtratuſq; omnes adeſſent: diſſenſit vnus, is, qui ſua lege cõiuratos etiã ab inferis excitãdos putãrat. Atq; illo die, quo remp. meis conſiliis conſeruatã grauiſſimis verbis, &

plurimis iudicassetis, idem cõsul curauit, vt eadem à principibus ciuitatis in contione postero die, dicerentur, cùm quidẽ ipse egit ornatissimè causam meam, perfecitq; adstante, atq; audiente Italia tota, vt nemo ciuisquã conducti, aut periti vocem acerbã, atq; inimicam bonis, posset audire. At hæc nõ modò adiumenta salutis, sed etiã ornamenta dignitatis meę, reliqua vos ijsdẽ addidistis: decreuistis, ne quis vlla ratione rem impediret: qui id impedisset, grauiter, molesteq; laturos: illum contra remp. salutẽq; bonorum, concordiamq; ciuium facturum: & vt ad vos ea statim referrentur: meq; etiã, si diutiùs calumniarentur, redire iussistis. Quid? vt agerentur gratiæ, qui è municipiis venissent? quid, vt ad illam diem, res cùm redissent, rogarentur, vt pari studio conuenirent? Quid deniq; illo die, quem P. Lentulus mihi, fratriq; meo, liberisq; nostris natalẽ constituit, nõ modò ad nostram, verùm etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die nos comitijs centuriatis, quæ maximè maiores iusta dici, haberiq; voluerunt, accessiuit in patriam: vt eædem centuriæ, quę me consulẽ fecerant, consulatum meum comprobarent. Quo die quis ciuis fuit, qui fas esse putaret, quacunq; aut ætate, aut valetudine esset, non se de salute mea sententiã ferre? quando tantã frequentiam in cãpo, tantũ splendorẽ Italiæ totius, ordinũq; omniũ: quãdo illa dignitate tot rogatores diri bitores, custodesq; vidistis? Itaq; Pub. Lẽtulij beneficio

neficio excellenti, atq; diuino, nõ solùm reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi viri, sed equis insignibus, & curru aurato reportati. Possum ego satis in Cn. Pompeium vnquam gratus videri? qui non solum apud vos, qui omnes idem sentiebatis, sed etiam apud vniuersum populum Romanum salutem Reipublicę & conseruatam per me, & coniunctam esse cũ mea dixerit: qui causam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemq; tempore improbos authorithate sua compresserit, bonos excitarit: qui populum Roma. pro me, tanquam pro fratre, aut pro parente, non solum hortatus sit, verum etiam obsecrarit. qui cum ipse propter metum dimicationis, & sanguinis domo se teneret, etiam à superioribus tribunis petierit, vt de salute mea & promulgarent, & referrent: qui in colonia nuper constituta cùm ipse gereret magistratum, in qua nemo erat emptus intercessorum, vim & crudelitatem priuilegij, authoritate honestissimorũ hominum, & publicis literis consignarit, princepsq; Italiæ totius præsidium ad nostram salutem implorandum putarit: qui cùm ipse mihi semper amicissimus fuisset, etiam vt suos necessarios mihi amicos redderet, elaborarit. Quibus autem officijs T. Annij beneficia renumerabor? cuius omnis actio, ratio, cogitatio, totus deniq; Tribunatus nihil aliud fuit, nisi constans, perpetua, fortis, inuicta defensio salutis

lutis meæ? Quid de P. Sextio, loquar, qui suam erga me beneuolentiam & fidem non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendit? vobis vero P. C. singulis & egi, & agã gratias vniuersis. egi initio, quantum potui satis ornatè agere nullo modo possum. Et quãquam sunt in me præcipua merita multorũ, quę sileri nullo modo possunt: tamen huius temporis ac timoris mei non est, conari comemorare beneficia in me singulorum. nam difficile est nõ aliquem, nefas quenquam præterire. Ego vos vniuersos Patres Cõscripti deorum numero colere debeo. sed vt in ipsis dijs immortalibus nõ semper eosdem, atque alias alios solemus & venerari, & precari: sic in hominibus de me diuinitus meritis omnis erit ætas mihi ad eorum in me merita prædicanda, atq; recolenda, hodierno autem die nominatim à me magistratibus statui gratias esse agendas; & de priuatis vni, qui pro salute mea, municipia coloniasq; adisset, populum Romanum supplex obsecrasset, sententiam dixisset eam, quam vos secuti mihi dignitatem meam reddidistis. vos me florentẽ semper ornastis, laborantem mutatione vestis, & propè luctu vestro, quod licuit, defendistis. nostra memoria Senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant: in meo periculo Senatus veste mutata fuit, quoad licuit per eorum edicta, qui mea pericula non modo suo præsidio, sed etiam vestra deprecatione

nudarunt.

nudarunt. quibus ego rebus obiectis, cùm mihi priuato confligendum viderem cum eodem exercitu, quem Consul, non armis sed vestra authoritate superaram: multa mecum ipse reputaui, dixerat in contione Consul se cliui Capitolini pœnas ab Equitibus Roma. repetiturũ: nominatim alij cõpellabantur, alij citabanrur, alij relegabantur: aditus templorum erant non solum præsidijs, & manu, verum etiam demolitione sublati, alter Consul, vt me & Rempu. non modo desererent, sed etiam hostibus Reip proderent pactionibus eos suorum præmiorum obligarat. erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoq; exercitu: quem ego inimicum mihi fuisse non dico: tacuisse, cum diceretur esse inimicus scio, Duæ partes esse in Repub. cùm putarentur, altera me deposcere propter inimicitias, altera timidè defendere propter suspicionem cædis putabatur. qui autem me deposcere videbantur, in hoc auxerunt dimicationis metum: quod nunquam inficiando suspicionem hominum, curamque minuerunt. Quare cùm viderem Senatum ducibus orbatum, me à magistratibus partim oppugnatum partim proditum, partim derelictum, seruos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos, copias omnes Catilinæ penè ijsdem ducibus ad spem cædis, & incendiorum esse reuocatas, equites R. proscriptionis, municipia vastitatis, omnes cædis metu esse

tu esse perteritos, potui, potui P.C. multis au thortbus fortissimis viris, me vi, armisq; defendere: nec mihi ipse ille animus idem meus, vobis non incognitus, defuit: sed videbam, si vicissem præsentem aduersarium, nimium multos mihi alios esse vincendos: si victus essem, multis bonis & pro me, & mecum, & post me esse pereundum: tribunitijque sanguinis vltores esse præsenteis: meæ mortis pœnas iudicio, & posteritati reseruari. Nolui, cum Consul communem salutem sine ferro defendissem, meam priuatus armis defendere: bonosque viros lugere malui meas fortunas, quam suis desperare. Ac si solus essem interfectus, mihi turpe: si cum multis, Reip. funestum fore videbatur. Quod si mihi æternam esse propositam ærumnam arbitrarer, morte meipse potius, quam sempiterno dolore mulctassem, sed cùm viderem me non diutius, quam ipsam Rempu. ex hac vrbe abfuturum: neque ego illa exterminata mihi remanendum putaui: & illa, simulatque reuocata est, me secum pariter reportauit. mecum leges, mecum quæstiones, mecum iura magistratuũ, mecum Senatus authoritas mecum libertas: mecum etiam frugum vbertas, mecum deorum & hominum sanctitates omnes, & religiones abfuerunt quæ si semper abessent, magis vestras fortunas lugerem, quam desiderarem meas: sin aliquando reuocarentur, intelligebam mihi cum illis vna esse redeundũ

Cuius

Cuius mei sensus certissimus testis est hic idem, qui custos capitis fuit, Cn. Plancius, qui omnibus prouincialibus ornamentis, commodisq; depositis totam suam. Quæsturam in me sustentando, & conseruando collocauit. qui si mihj Quæstor Imperatori fuisset, in filij loco fuisset nunc certe erit in parentis, cum fuerit Quæstor: non imperij, sed doloris mei Quapropter P. C. quoniam in Remp. sum pariter cum Rep restitutus, non modò in ea defendēda nihil minuam de libertate mea pristina, sed etiam adaugebo. etnim si eam tum defendebam, cum mihi aliquid illa debebat, quid nunc me facere oportet, cum ego illi plurimum debeo? nam quid est, quod animum meum frangere, aut debilitare possit? cuius ipsam calamitatem non modo nullius delicti, sed etiam diuinorum in Remp. beneficiorum testem esse videatis? nam & importata est, quia defenderā ciuitatem, & mea volūtate suscepta est, ne à me defensa Resp per eundem me extremum in discrimen vocare tur. pro me non, vt pro P. Popilio nobilissimo homine, adolescentes filij, non propinquorum multitudo populum Ro. est deprecata: non, vt pro Q. Metello summo & clarissimo viro spectatæ iam adolescentiæ filius: non L. & C. Metelli Consulares, non eorum liberi: non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat: non Luculli, Seruillij, Scipiones, Metellorum filij flentes, ac sordidati populo

Romano

Romano. supplicauerunt. sed vnus frater, qui in me pietate filius, consilijs parens, amore, vt erat, frater inuentus est squalore, & lachrymis, & quotidianis precibus desiderium mei nominis renouari, & rerum gestarum memoriam vsurpari cogit. qui cum statuisset, nisi per vos me recuperasset, eandem subire fortunam, atque idem sibi domicilium & vitæ & mortis deposceret: tamen nunquam nec magnitudinem negocij, nec solitudinem suam, nec viminim icorum, ac tela pertimuit. Alter fuit pro pugnator mearum fortunarum, & defensor assiduus, summa virtute & pietate C. Piso gener: qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias, affinis mei, propinqui sui Consulis, qui Pontum, & Bithyniam Quæstor pro mea salute neglexit nihil vnquam Senatus de P. Popilio decreuit: nunquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta est. tribunitijs sunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla authoritate Senatus, restituti. cùm alter eorum Senatui paruisset, alter vim cædemque fugisset. nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante me Consularis tempestate ciuili expulsus est non modo à Senatu non est restitutus, sed reditu suo Senatum cunctum pene deleuit. nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad Rempublicam defendendam populi Romani conuocatio, nullus Italiæ metus, nulla decreta municipiorum, & coloniarum ext

titerun

titerunt. Quare cùm me vestra authoritas accersierit, populus Romanorum reuocauerit, Respublica implorarit, Italia cuncta penè suis humeris reportarit, non committam P. C. vt cum ea sint mihi restituta, quæ in potestate mea non fuerunt, ea non habeam, quæ ipse præstare possim: præsertim cùm illa amissa recuperarim: virtutem, & fidem nunquam amiserim.

ADAMVS

ADAMVS STEZICIENSIS IN ORATIONEM CIC: POST REDITVM IN SENATV.

ORationem Cic. qua amplißimo Senatui Romano, poſt illud acerbißimum exilium ſuis ac Reip. reſtitutus gratias egit, explicaturi: eadem fere via, qua Cic. in illa conſcribenda vſus eſt progrediemur. vt primum quid Cic. dicat, quo loco, & quomodo dicat, explicemus. Deinceps ad ipſius orationis ſtructuram, ſuo ordine delabemur. Ac prima quidem parte, occaſio, argumentum, genus cauſæ, ſtatus ſeu propoſitio orationis. Secunda diſpoſitio totius orationis. Tertia autem genus dicendi & ornamenta continentur. Et hæc eſt omnium orationum explicandarum doctrina generalis & ratio.

Quid dicat, ſeu occaſio.

CVm Clodius nefarius Reip. Romanæ ac flagitioſiſſimus ciuis, incluſum illud odium, quod erga Cic: ob ſacra Bonæ Deæ à ſe violata haberet, vt conſtituerat priuatus profundere non poſſet. factus Trib pleb. hoc vnum egit quomodo Ciceronem, vel vita, vel patria, priuaret. Diem igitur Ciceroni dixit, quod multos ciues Romanos, in illo Catilinario tumultu, iudicio nullo damnatos, necauerit. Sed quoniã Tribunitia poteſtas ſumma fuit. Itaq; Clodius Piſone & Gabinio Conſulibus, in ſuam ſententiam adductis refragante vniuerſo Senatu Ciceronem exilio mulctauit. Quod malum, & ſi Cicero, omnium

re, omnium honorũ, mira cõsensione propellere armis posset, (senatus enim vniuersus cum nobilissimis adolescentibus Romanis, causam Ciceronis sibi defendendam putauit) maluit tamen cedere illius furori, quam multos in discrimen, vel Rempub. ad extremam perniciem adducere. cum igitur decem, vel vt aliis placet 16. mensibus exularet, opera & studio Pompeij, aliorumq; ciuium, & suis & Reipub. cum summa omnium lætitia, restitutus est.

Argumentum orationis:

HAc igitur copiosissimâ & ornatissima oratione, Senatui, cuius studio & diligentia reuocatus esset, summas & ingentes agit gratias.

Genus causæ:

AD genus demonstratiuum hæc oratio merito referri potest. Gratiarũ enim actiones, Amplificatione beneficiorum acceptorũ, cum laude coniuncta constant. Hic artificium gratiarum referendarum obseruabis. Primum enim Cic. extenuatione vsus est, cum dixit in exordio. Non possum vobis cumulatè gratias referre. Deinde amplificat beneficium, cum magnitudinem beneficiorum, sibi præstitorum enumerat. Tertio vtitur Translatione cùm dicit. Hoc beneficium, non tantum in se, sed & in Rempub. redundare. Vltimo suum studium Reipub. pollicetur.

Status:

TAmetsi hic aduersarius nullus est, vnde constitutio nascatur, quæ fit ex conflictione causarum: tamen

propter locos, & argumenta, vnde petita sunt, qualitatis status non immerito dici potest. Constat enim factum esse senatus honestum, Ciceronis restitutio in patriam. Accersitur itaque coniectura occultè, quæ non dubitando, sed asserendo, assumit locos qualitatis, & comparationis ad confirmandum, id honestum esse, & dignum persona Ciceronis, vt senatui gratias agat, quod in patriam restitutum magno affecerit beneficio. non tam ergo est certus status in hac oratione, quam Propositio, cuius sensus est. Gratum & memorem vestrorum acceptorum beneficiorum me præstabo.

Quo loco dicat.

NAturali ordine, in collocandis partibus orationis, vsus est. Primum enim exordium, deinde propositionem, tum confirmationem, admista narratione constituit. postea epilogo clausit suam orationem.

Quomodo dicat.

MEdiocri & florido genere dicendi vt ipse in oratore testatur, hanc orationem contexuit, quod & ipsa sententiarum, verborumq; compositio, & suauitas comprobauit.

De Exordio.

SI patres, Hæc particula frequens & familiaris est, Cic. in exordienda oratione, patres. Senatores dicebantur patres, vel ob senium, quoniam in senatorium ordinem primum senes delecti fuerant: vel ob affectũ, quia eorum

quia eorum erat paterno amore subditos diligere: vel ob officium, quia fortunis & saluti aliorum ac suæ prouidere debebant, vel ob honorem, qui illis summus deferebatur, conscripti, *Triplex erat ordo Romæ senatorum, primus patriciorum appellabatur, quos Romulus centum creauerat. Deinde alios centum communicata vrbe cum Sabinis adiũxit. Demum post exactos reges Brutus alios centum adscripsit, ita ferè, vt ordo Senatorius Trecentis Senatoribus constaret. Secundus ordo erat conscriptorum, qui decedente numero senatorum, in eorum locũ sufficiebantur, seu adscribebantur, & ideo conscripti sunt appellati. Tertius ordo pedariorum fuit inter illos trecentos, qui eo nomine vocabantur, vel quod sententiam non dicebant, sed aliorum approbabant, vel quod nondum magistratum curulem cæperant, pedibus in curiam proficiscebantur. Nam quũ curulem magistratum gessisset, curru vehebatur. Vide Alexandrum lib. 4. cap. 11. Gellium lib. 3. cap. 18.* naturæ, *quæ est omnium beneficiorum gratissima*, nos metipsos, *Hoc est qui mœrore & calamitate iam prope confectus contabueram*, ab ijs, *Quatuor enim nobis à parentibus tribuuntur, quæ Cic. expressit, vita, patrimonium, libertas, ciuitas*, Amplissimo, *consulari dignitati. Erat enim consulatus apud Romanos amplissimus dignitatis honor*, arce, *in hac Repub. quæ totè ferè orbi imperabat*, ordinem, *Senatorium*, hunc ipsum, *istis autem particulis propter maiorem significationem Cicero vtitur, vt ille ipse, iste ipse, hoc ipsum, istud ipsum*, decretis, *omnes enim honores Cic. attigerat*, multa iudicia, *quibus me ad tantam dignitatem*

euexistis, & Reipub. restituistis, quod ne optandũ, ista sunt omnino contraria. Cicero enim immortalitatem sæpissimè commendat, nunc autem ne optandam quidem asserit. Dupliciter immortalitatis nomen sumitur. 1. Pro sempiterna hac viuendi in corpore perseuerationc quam nemo sapiens exoptauit. 2. Pro laude & gloria immortali, quam omnes expetimus. Dicit igitur longiorem mihi viuendi cursum restituto patriæ produxistis.

Inuentio exordij.

EXordium ductum est, *ex circumstantiis personarum & rerum, cùm dicit se non posse senatui amplissimo, pro tantis beneficiis, pares referre gratias. Cum vero tribus de causis præcipuè exordia instituantur, beneuolentiæ, attentionis & docilitatis, hæc eadem hic inuenies. Captat enim beneuolentiam à senatorum persona, & à sua. Attentionem autem & docilitatem, per vniuersum orationis corpus diffundit. Est autem genus exordii principium, propter honestatem materiæ: honestissimum enim est, summa beneficia prædicare, ac pro iis gratias referre.*

Dispositio exordii.

OMnis collocandi ratio, *spectatur, primo in orationis partibus, secundo in argumentis, tertio in partibus argumentationis, quæ hîc quoque nos videbimus.*

Dispositio partium exordii.

QVoniam *quatuor ab Hermogene exordii partes statuuntur. Protasis seu propositio, Cataskeuin, seu confirma-*

confirmatio, apodosis seu reditio, basis seu conclusio. Hoc exordium constat tribus partibus. Propositione quæ est simplex. Cuius sensus est. Mea oratione non potero vobis perfectè gratias agere Confirmatione. Tanta enim sunt, vt superent cuiusque ingenium. Conclusione. Itaque per vos immortalitatem consecutus sum. Apodosis seu reditio annexa est conclusioni propter simplicem propositionem.

Dispositio argumentorum.

HIc primo sciendum est, quod in qualibet oratione, orator, aut probat, aut narrat, aut amplificat, aut ornat. In exordio probat, ornat, & amplificat. in Narratione narrat, & ornat, in confirmatione & refutatione, probat, amplificat, & ornat. In peroratione eadem efficere contendit. In exordio igitur, si probat, necesse est, vt habeat quid probet: videlicet Quæstionem: & Quo: Videlicet Enthimematibus. Quare primum in exordio dissoluendo nobis Quæstio est inuenienda quæ talis est.

An Cic. ab exilio reuocatus, sit magno beneficio affectus à senatu;

Eius quæstionis Cic. alteram contradictionis partem ad probandum assumit. quã probat per frequentationem consequentium eorum bonorum, quæ restitutionem suam sunt consecuta, vt sunt liberi, dignitas, Respub. patria, bona parentum, patrimonium, libertas, ordo, beneficia Deorum, ac populi Romani. Atq; hic locus topicus, tractatus est per enumerationem partium, inductione.

ductione. Hic etiam vide amplificationem, quæ ferè in vniuersa oratione demonstratiua dominari solet, dum ex loco consequentium amplificat, & onglobando ea, & enumerando bona, quæ se consecuta sunt, posteaquam fuerit restitutus. Seruantur etiam hic illa præcepta in amplificandis beneficiis, quæ Aristoteles lib. 2. Rhetoric. cap. 7. tradit. Quis, Quid, Quibus de causis contulit, Quomodo affecti? Quis? Senatus, equester ac plebeius ordo, omnis magistratus, vniuersa respub. ac Italia tota. Quid? vitam, patriam, liberos, vxorem, & catera, Cui? Ciceroni, parenti patriæ, optimo ciui, amantissimo patriæ, optimè de Repub. merito. Quomodo? Bonorum omnium ac totius Reipub. Romanæ consensu. Quibus de causis? Quia erat eiectus, quod vrbem seruarit, quod gladios à ceruicibus repreßerit, ignes à templis, & domibus restinxerit.

Dispositio partium Argumentationis.

Quinq; partibus confecit hoc exordium, propositione, ratione propositionis, Rationis approbatione, Amplificationibus, & conclusione.

Propositio. Ignoscitè quæso, si minus cumulatè gratias egero vobis.

Ratio propositionis. Quia tanta sunt in me vestra beneficia vt nullius ingenio, & oratione complecti possint.

Rationis approbatio. Quia mihi omnia restituistis.

Rationis amplificatio per comparationem. Si Dijs parentibus & cæteris debemus, quod eorum honoribus au-

bus auctí sumus, certe infinitum vobis debeo, qui illa omnia vno tempore, mihi reddidistis.

Conclusio. Ergo gratus ero cunctorum vestrorum promeritorum.

Elocutio.

In elocutione, hæc potissimum spectantur, verborum electio, & eorum compositio, ornamenta tum sententiarum, tum verborum, periodi, & numeri.

Verborum electio.

Hic singula verba sunt propria, nitida, vsitata, plena sonantia, grauia. splendida. Item superlata, in dictione. Immortalibus, item percensere numerando. Iuncta, vt conscripti, immortalibus, incredibile, percensere. Addita ad nomen, vt immortalibus meritis, diuinum genus orationis, fratrem optatissimum, fratri amantissimo parentes charissimos amplissimo cõsilio, Deorum immortalium. Translatis, vt in cumulate, vbertas ingenij, complecti, arce terrarum, qualia hoc genus, iuxta præceptum Quintiliani, decent.

Compositio.

Oratio est æqualis, nullam asperitatem, obscuritatemue habens, plena, neruis & articulis iuncta.

Figuræ.

SI, comparatio, patres conscripti, *periphrasis senatorum*, in me, *partitio*, cumulatè, *metaphora*,

Quæso, *obsecratio est etiam auxesis*. Naturæ potius, *ablatio per auxesim*. Quæ enim, *Aetiologia per interrogationem*, *anaphoram traductionem*, *synonimiam*, vbertas, *metaphora*, diuinum, *periphrasis eloquentiæ*, qui mihi, *conglobatio*, qui qui, *anaphora*, *membrum*, *& commutatio*, Qua nil, *Gnomi*, Quid si, *comparatio*, vita, *incisum & partitio*, si, *anaphora*, cæteris rebus aucti, *auxesis*, Amplissimo, *periphrasis & synonimia*, gradu, *metaphora*, multa, *auxesis*, singula, *antitesis*.

Periodi & numeri.

SI patres, *Periodus tetracolia circum ducta incipit à cretico habetq; primum membrum longius productū & clauditur dichoreo*, Quæ enim, *periodicon est sumens initium à Cretico, & desinens in epitritum secundum*, Quod si *oratio est periodicon, illustrata genere dicendi inuerso. Nam cùm primo parentes, Deos populum Romanum, senatum collocet, deinde inuertit à senatu ad populum, ad parentes, Deosq; regreditur. Incipit ab epitrito tertio & clauditur dichoreo*, vt cū multa *hic est episinapsis, hoc est adiunctio membri ad sententiam absolutam, hoc autem ob conuersum genus dicendi facit*, itaque, *periodus dicolos inchoata tribracho seruori accommodato, dichoreo clausa*.

Propositio orationis.

Quod enim tempus.

SEnsus *propositionis est, Ego semper memor ero vestrorum beneficiorum, quæ quidem propositio simplex est,*

plex est, & absq; diuisione seu partitione, qua non nuda sed cum amplificatione, vtitur talis enim in demonstratiuo genere requiritur. Hanc autem ptriodo dicolos circumduxit, ionico à minori incipiens, pæane tertio finiuit.

Confirmatio orationis.

ORdine naturæ confirmatio sequitur propositionem. *Hanc in tres partes distribuemus. Prima igitur parte studium Senatus in sese reuocando commemorabit. 2. Inimicorum quorum peruersitate pulsus erat nequitiam furoremq; exponet. 3. Singillatim omnium studia, & consensionem qui eum patriæ restituerunt, recensebit.*

Prima pars confirmationis.

METu, *Quia alios Clodius timore & metu, & minis, à Cic. salute deterruerat, alios spe, & promissis ad se traduxerat,* non multo post, *in mense enim April Cic, in exilium profectus erat L. autem Mummius Calendis Iunii de Cic. reuocando ad senatum retulit, quem et si senatus reuocandum decreuerat. Ligus tamen vnus Trib.pleb. intercesserat,* Referente L. *Referre de re aliqua dicimus, hoc est proponere aliquid in consultationem,* L. Mummio, *Qui eti am erat Trib. pleb., Cic. amicissimus. Hic discendum est decem fuisse Trib. pleb Romæ qui plebem ab iuriis magistratus tuebantur. Apud Athenienses Ephori dicti,* pestifer annus, *Nō quod annus pestifer fuerit sed quod magistratū pestiferum haberet,* permissa per, *Tribunitia enim potestas eo temeritatis & audaciæ erat*

progressa, vt etiam quauis senatus consulta impediret, sub alieno, *hoc est dum subornaret Ligum quendam, ex Tribunorum numero, additamentum inimicorum Ciceronis, qui interfecerat,* ab his consulibus *Pisone & Gabinio qui tum consulatum inierunt,* venderant, *me & Rempub. Clodius enim Pisoni Macedoniam, & Gabinio Syriam decreuit, vt tanto licentius insaniret,* Fatalem, *aduersum & miserabilem, fatum enim, & in bonam & in malam partem accipitur,* Tribunos, *vt Milonem Sestium & alios Cic. amicos,* modesti, *ironia hoc est, consules auarissimi, qui salutem meam pro prouinciis sibi decretis vendiderunt* Legum, *Tulerat enim Clodius legem idque approbantibus consulibus vt cum reuixissent à Cicerone interfecti, tum Cicero rediret.*

Dispositio huius partis, *Qui in illo ipso tempore.*

HÆc *pars vno argumento quod tribus enthimematibus confirmabitur, constat, estq; eiusmodi.*

Antecedens, Qui illo ipso, *statim post meum discessum vi & ferro intercluſi me reuocare voluerunt istis*

Conclusio, Ergo me gratum beneficiorum cognoscetis. *Hæc non est expresse posita: hoc enim totum argumentum dependet ab vniuersali propositione.*

Antecedens, Qui illo ipso tempore, *tribus rationibus probat. Est autem antecedens argumenti tetracolia circumductum, incipitque à spondeo & desinit in epitritum tertium.*

1. Ratio

1. *Ratio Antecedentis*, posteaquam vobis potestas, *Egestis cum Clodio & Consulibus de me reducendo.*

Ergo voluistis me reuocare. Estque hic antecedens tetracolia elegantissima circumductum à dichoreo incipit, epitrito 2. clauditur.

2. *Ratio Antecedentis*, itaque vestro, *entimematica. Decreuistis Tribunos qui de me referent: Ergo me voluistis reuocare. estque antecedens quatuor membrorum periodo constans, à pæane tertio incipiens, & in epitritum secundum desinens.*

3. *Ratio Antecedentis*, nam consules modesti *consules modestos, legumque metuentes ad me restituendũ inuitastis. Ergo me reducere voluistis Antecedẽs tetracolia clausit, ab epitrito tertio incipiens. Deinde dilemmate amplificauit*, Quo facto, *Est autem eiusmodi dilemma. Tum Cic. redibit, cum nec ati reuixerint. Si reuixerint, vna mecum Rempub. diripient. Si non reuixerint, Cicero defensor patriæ, exulabit. Est hæc periodus quinque membrorum, seu periodicon, à Molosso incipit, & finitur Antispasto.*

Figuræ.

QVod enim, *interrogatio cum Aetiologia*, moriatur, *metaphora*, vi, ferro, *articulus*, obsessi, *metaphora*, Referente, *descriptio Lucii*, pestifer, *metonimia*, Tribunũ, *periphrasis Clodii*, lacerare, *metaphora*, deleuit, *auxesis*, nam consules modesti, *Aetiologia & ironia*, vt si, *comparatio*, quo facto, *dilemma.*

Secun-

Secunda pars confirmationis.

Itaq; illo ipso anno.

Probat Cic. quinq; rationibus Clodij furore & Pisonis, Gabinijq; Consulum peruersitate, indignissime se esse eiectum, eorumq; improbitatem, leuitatem, intemperantiam, & cætera eiusmodi vitia acerbius insectatur.

Primum argumentum.

Antecedens. Itaque illo ipso, *Maximis periculis obsessi, cum nefarijs Clodianis, de me reuocando egistis. Conclusio subintelligitur. Ergo gratum me præbebo. Est autem antecedens sex membrorum, seu periodicon, à pæane tertio incipit & clauditur dactylo,* princeps autem, *Tres interea summi viri in Rep. erant, Marius, Pompeius, & Cæsar: Horum tamen Pompeius princeps putabatur, & ideo magnus, & Epicretes, hoc est omnia tenens appellatus,* præsidio legum, *quas Clodius omnino violauerat.* sed parietum, *cùm enim Pompeius non posset amplius, Clodij bacchantis furorem perferre Lucio Mummio referrente de reuocando Cic. studiosè egisset, mox à Claudianis initur Consilium de interitu Pompeii, quo patefacto, inclusus domi tam diu fuit, quam diu Clodius in Tribunatu & alii Consules designati essent,* proscriptionis, *Proscriptio dicitur, cùm aliquid venale publicè scribitur, vel in exilium aliquis mittitur.*

2. *Argumentum.* Postea vero quam, *Designatis nouis Consulibus, & reliquo magistratu, de mea*

salute

salute egistis. Ergo tanti beneficii gratum me reperietis Estq; *hic antecedens partitione, & periodo sex membrorum dilatatum, clauditur Antisphasto. Quod postea* Cic. *amplificat per laudem suam.* Quo quidem, *& inimicorum odium, estq; iuxta Cic. dicolos. secundum Aristotelem monocolos,* Lentuli, *Qui erat Consul de signatus cum Q. Metello,* Calendis Ianuarijs, *cùm Lentulus & Metellus iniissent Consulatum magistratum, frequenti Senatu, nihil sibi prius quam de Cicere agendum putarunt,* cum prætorum, *hoc est Cecilii, & Calidii & aliorum,* Tribunorum, *hoc est Milonis Sestii, & aliorum,* pene omnium, *Gabinianus enim & Zoranus, vel Toranus à Clodianis corrupti erant,* Ego meam, *elegans tetracolia per Antitesim facta,* flumine sanguinis, *maximam enim cædem Clodiani sub id tempus in vrbe fecerunt.*

3. *Argumentum.* Itaque postea nihil vos, *nihil publicum statuistis, quoad ego redirem. Ergo multum vobis debeo, Antecedens tricolo circumductum, Antisphasto clausum, Amplificat posthac.* Quo quidem, *absoluto antecedente Clodianorum improbitatem, vt Senatus magis commendaret beneficium* Regibus, *multi enim reges, vt Diotarus, vt Ariobarzanes Romanis parebant,* curiam, *vbi Senatus conuocabatur. Duplex autem curia fuit, vna in qua sacerdotes, diuinas Cerimonias, cultusq; Deorum curabant. Altera vbi Senatus de Rep. rebusq; pop. Romani Consultabant,* homines, *à Clodio instructi,* magistratuum, *hoc est Miloni Trib. pleb. domum* Consulis, *Lentuli,* Tribuni, *Lentuli, quem Clodius gla-*

dijs &

diis & fragmentis septorum, fustibusq́, ita confecerat vt opinionem mortis morte depelleret.

4. Argumentum, Qua strage non nulli, Nulla vis Clodij à mea salute vos repellere potuit. Ergo vobis multum debeo Quatuor membrorũ est periodus, epitrito tertio clausa Antecedens, princeps. Authoritate & studio Lentuli amplificat. Et huius loci sensus est. Lentulus designatus & factus Consul causam nostram egit. Ergo nulla eum vis Clodij repellere potuit. Periodus dicolos dichoreo clausa, Antecedẽs probat duabus rationibus. Prima Restitit Tribunis à Clodio corruptis estq́, periodicon membratim extructum. Secunda quia cum inuisset magistratum, primum de me agere cœpit, pedibus iret, hoc est in alicuius sententiam ascenderet: Quintilianus loquitur manibus pedibusq́, in sententiam descendere vide Adagium Erasmi, scribendo, hoc est legi quam de me tulerat: scribere enim dicitur legem ferre, sine iudicio, quia sine iudicio nemo ciuiũ in exilium poterat ire. Quia iuxta leges duodecim tabularum, de capite ciuis rogari non licuit, nisi comitiis centuriatis.

5. Argumentũ, Dij immortales, Si Lẽtulus & Metellus Consules superiori anno inuisserent consulatum, nunquã tantas calamitates pertulissem. Sed Piso & Gabinius sceleratissimi cõsules Remp. administrârũt. Ergo in exilium actus eram. Propositionem probat breui expolitione seu ergasia, rationem & authoritatem adducens, dum dicit, nec, quam amplificat. Cuius sensus est. Nunquam in exilium actus essem. Estq́, dicolos periodus. Authoritas vero est & sententia Catuli

Cuius

Cuius sensus est. Catulus mihi dicere solebat. Si vnus Consul pessimus, alter autem integer, nihil mihi metuendum esset: sed si vterq; improbus, extremum mihi impendere malum. Observa tractationem sententiæ ab Authoritate tribus partibus absolui. Primum laude Catuli. Secundo, Expositione eius dicti. Tertio, Sententia oratoris. Assumptum argumenti probat primo in communi, postea in speciali.

Reprehensio tum Gabinij. Qui Ciceronem ad singula ferenda animo forti, impellabat: tum Pisonis qui Tribuni furori vt cederet hortabatur.

Propositio. Piso & Gabinius sceleratissimi Consules Rempublicam administrârunt quam probat 4. rationibus.

1. *Ratio.* Quorum mentes. *ab ingenio seu bonis animi, quia mentes eorum angustæ, humiles, prauæ, pro dignitate tantum magistratum in quo erant, gerere non poterant.*

2. *Ratio.* Non consules, *à factis quia erant mercatores prouinciarum, venditoresq; libertatis vestræ.*

3. *Ratio.* Quorum alter, *quia hostes Reipublicæ desiderabant. Ergo erant pessimi. Nota Catilinam in Remp. cum Cethego Lentulo & alijs conspirasse; Lege in vita Cic. & Salustium de coniuratione Catilinaria.*

4. *Ratio.* Qui me duo, *quia me deseruerunt in causa publica.*

Specialis reprehensio Gabinij.

Reprehendit primo priuatum Gabinium idq; duobus argu-

bus argumentis, postea in magistratu, idq; sex argumentis.

1. *Argumentum,* Quis enim, *Primo ætatis tempore luxuriose & turpissime vixit. Ergo erat nequissimus consul. Estq; hic antecedens pneumate per conglobationem amplificatum.*

2. *Argumentū.* Qui cum suam, *Patrimoniū p̄didit profusissime. Ergo est nequissimus Consul,* nisi in arā, *hoc est nisi tribunus factus esset. Arā appellat Tribunatum, quia hic magistratus sanctissimus erat.* Rogationem, *hoc est nisi legem de Piratis extirpandis, cum esset Tribunus. Hinc lex Gabinia, id est, piratica est appellata. Vide orationem pro lege Manilia.*

3. *Argumentum,* Quo inspectante, *Illo præsente leges sanctissimæ per Clodium violatæ sunt. Ergo ille est pessimus. Pacto enim fœdere prouinciarum cum Clodio, productis consulibus in circum Flamminium ibidem legem tulit, Clodius, ne auspicia valerent, ne quis legi intercederet, vt omnibus diebus festis, legem ferri liceret, vtque lex Fusia & Helia non valerent,* obnunciare, *obnunciatio est Auguris significatio de periculo imminente, quo die cum populo nihil agi licuit, quod remedium erat contra leges peruersas,* nec lege, *hoc est, nec legem statutam labefactare,* Helia & Fusia, *quæ leges dabant obnunciationem contra pernicioſas leges. Si quis per eos dies quibus cum populo agi licebat, de cælo seruasset. Clodius ergo statuerat, ne quis prædictis diebus de cælo seruaret.*

4. *Argumentum,* idemque postea, *contempsit innumerabiles honestissimosque ciues & adolescentes*

Romanos

Romanos pro me supplicantes. Ergo erat pessimus consul, sordidata, *omnis enim fere equester ordo, vestitu commutato, pro Cicerone Gabinium orabat*, Adolescentes, *viginti prope milium teste Plutarcho*, lenonis, *qui scortorum prostitutione quæstum faciebat*, cincinnatus, *intorto capillo calamistris, vel quasi Crispus*, Ganeo, *hoc est, qui Ganeas frequentat.*

5. *Argumentum*, neque contentus, *In contione dixit equites Romanos, daturos illius diei pœnas, quo me consule in capitolio Catilinam oppressérunt. Ergo erat improbissimus. Estque hic antecedens tetracolia circumductum, pœne tertio clausum*, in contione, *populo conuocato orationem fecit*, eius vir, *quem ille reuiuiscere desiderabat*, cliuique. *equites enim in capitolio contra* Catilinam *armati erant.*

6. *Argumentum*, L. vero Lamiam, *Lucium Lamiam inuocentem vrbe eiecit. Ergo erat pessimus. Antecedens periodico dilatauit.*

7. *Argumentum*, & cum vos vestem, *Tyrannidem exercuit vestrum dolorem irridendo, hostemq; publicum prohibendo. Ergo erat pessimus ciuis*, cum toga, *Toga vestis erat principum, magistratumq; oblonga, purpura prætexta. Erant togatorum diuersa genera. vt candida tota erat competitorum, palmata triumphantis, toga picta summi magistratus, toga pulla, qua in funeribus vsi sunt, toga alba in spectaculis vel ludis. Ad summam, toga erat Romanorum omnium vestis communis Lege Alexandrum lib. 5. de genialibus cap. 18.* prætores, *qui primum duo creati, ad numerum sede-*

rum sedecimum aucti erāt. Eorum erat officiū, iudicia exercere, post etiam annonam & rem frumentariā curare, Ædiles, quorum munus erat, vrbem, annonam, ludos, res sacras procurare, Tyrannos, *Tyrānos Plato & Aristoteles eos appellat, qui rempub. ad suā, non ad eorum qui illis se cōmiserunt vtilitatem administrāt.*

8. *Argumentum,* cum vero in circo, *plenus vini & somni in contione reip. Catilinarios interfectos doluit. Ergo fuit improbissimus ciuis. Hic est Antecedens Hypotiposi figuratum periodo quinque membrorum constans ditrochæo clausa. Hoc absoluto argumento, claudit per exuscitationem,* vbi nobis, *Gabinij vituperia. & aditum ad Pisonis vitia perstringenda parat,* circo, *circus est spatium figuræ circuli, in quo ludi populo Romano exhibebantur. fuerant autem tres circi. Circus Maximus, circus Flamminius & circus Neronis,* auctoritate, *ficta & simulata processit,* capillo composito, *Nimius enim cultus capitis, exosus fuit apud antiquos. vt Galeni imperatoris, qui auri scobem crinibus asperserat,* in Lustris, *Lustrum duo significat, Primo quiquennale spatium, quod Græci olympiadem appellabant. 2. Ganeam seu popinam,* calamistrati, *calamister dicitur, acus quædam, qua calefacta capilli intorquentur, & crispantur. Ergo calamistratus dicitur capillo intorto,* saltatoris, *saltare Romæ turpissimum erat. vnde Deiotaro seni in iudicio obiectum est. Est enim saltatio luxuriæ vmbra, vt enim vmbra ibi esse non potest, nisi vbi sit corpus, ita saltatio esse non potest, nisi vbi sit luxuria. vnde Cic. pro Muræna Nemo ferè saltat sobrius, nisi*

forte

forte insanit. Duplex autem saltationis genus Cic. 3. in oratore fuisse dicit. Histrionica, quæ infamis erat. Altera virilis in palæstra, propter arma bene tractanda, & hæc publicè exercebatur:

Specialis reprehensio Pisonis,

Nam ille alter.

HVcusque Gabinij vitam flagitiosissimam, oratione sua damnauit. Nunc alterius consulis, Pisonis scilicet, vitam, mores, & studia multis flagitijs contaminata acrius perstringit. Sit ergo Propositio.

PISO ERAT PESSIMVS CONSVL

hanc probat sex argumentis.

1. *ARgumentum.* Nam ille, *In omni ætate turpiter vixit. Ergo erat pessimus consul estque trimembris periodus, diambo clausa,* Celonius, *hic erat furacissimus Pisonis matris pater. Est igitur à parentibus vituperium,* Rei militaris, *Romani enim iuuentutem primum artibus ingenuis, hoc est Hetruscis, & Græcis literis, deinde in palæstra & musicis instituebant.*

2. *Argumentum,* Quem præteriens, *Moribus erat fædissimis. Ergo improbissimus erat Antecedens hypotiposi illustrauit, periodoque tricolos circumduxit, pæane tertio clausa.*

3. *Argumentum,* cum hoc homine, *à colore & figura Pisonis. Teterrimus est. Ergo est improbus periodus est tricolos, tribracho clausa,* stupite, *stulto &*

inepto, Æthiope, *sordido*, *alibi truncum appellat*, Abreptum, *Qui modo transfugisset ex numero venalium.*

4. *Argumentum*, Idem domi, *Priuatim luxurio se vixit. Ergo erat sceleratissimus. Estque oratio periodicon membratim facta*, pseudothyro, *hoc est falsa ianua, vel postico: hoc est clam voluptates exercebat.*

5. *Argumentum*, cum vero etiam, *vsus est præceptoribus Epicureis. Ergo erat fadissimus Antecedens*, habet autem, *Amplificat per contentionem, estque tetracolia molosso clausa. Postea repetit Antecedens cum dicit*, his vtitur, *& verbis acrioribus exaggerat. Estque membratim facta oratio.*

6. *Argumentum*, Horum ille artibus, *Artibus præceptorum grauissimorum, & simulata grauitate vos decepit. Ergo erat improbissimus. Antecedens dubus periodis confecit, prima tribus membris absoluitur: altera vno membro parentesi dilatata est*, Pisonum, *Quorum erat familia nobilissima ex qua hic ortus est*, cognatio, *mater enim Pisonum ex gallia erat oriunda*, Transalpini, *Transalpinos appellabant Romani, omnes trans alpes montes constitutos, vt gallos, celtas*, Rugis, *grauitate ficta. cani enim & rugæ, cum honesta vita coniuncta, grauitatem summam comparant. vide Cic. de senectute*, supercilio, *hoc est fastu & superbia. Supercilia enim superbiam habent. Inde deflexa, austeros, inflexa irrisores, demissa maleuolos, porrecta molles arguunt. Hinc Adagium, Attollere supercilia.*

coniunctim

Coniunctim Gabinium & Pisonem insectatur, *Luci Piso.*

Hvcusq; seiunctim Gabinij & Pisonis nefarios mores insectatus est. Nunc coniunctim eos insectabitur per superiorum Argumentorum acrem & vehementissimam frequentationem, & expolitionem.

1. *Argumentum*, L. Piso, *Piso & Gabinius sadissimi consules me exilio mulctarunt, consulatum contaminarunt, senatum oppresserunt, populum Romanum contempserunt. Ergo erant improbissimi, Antecedens apostrophi & interrogatione illustratum. Estq; hic periodicon & affectata oratio.*

2. *Argumentum*, Capuæ, *Piso tu senatoriam dignitatem oppressisti. Ergo eras improbus. Antecedens comparatione tractat, & tetracolia circumducit ionicoque maiore clausit. Notabis autem Capuam Campaniæ vrbem nobilissimam & delicatissimam inter maximas, Romam & Carthaginẽ esse numeratam, in qua luxuries Annibalem, Romæ victorem vicit. Hanc Cic. domicilium superbiæ, sedemque luxuriæ vocat. Et merito, in toto enim orbe terrarum pulcherrima est regio, nihil mollius cælo illo, denique bis floribus vernat. vide florum lib. 1. cap. 16. Et Plinium lib. 7. cap. 5.*

3. *Argumentum*, Tu es ausus, *Crudelis eras in me eijciendo. Ergo & improbus. Antecedens partitione amplificat, probans eum fuisse crudelem. Estque periodus dicolos dichoreo clausa. Quod autẽ fuerit crudelis in eijciendo Ciceronẽ, hoc probat tribus rationibus.*

Prima ratio, Tu misericors, *Inimicis me tradidisti. Ergo eras crudelissimus. Antecedens est periodicon, & fusum, vehementi & acri oratione contextum.*

2. *Ratio*, Tu meum generum, *Tu meum affinem filiamq; meam contempsisti. Ergo crudelis eras.*

3. *Ratio*, Idemque tu, *Tu bona domumq; meam eodem punctо temporis, quo ego vrbe discessi diripuisti. Ergo eras crudelissimus eadem oratio est patetika, & vehemens Antecedens huius rationis*, nondum patefactum, *amplificat direptione bonorum suorum per partitionem*, à genibus, *mos erat antiquus supplicantibus, ad genua se se abiicere: quia in genibus numen & sedem misericordiæ in esse putabant*, ictu, exilio. *Est autem ictus percussio à verbo ico*, vna hora, *eadem enim nocte, qua Cic. media vrbem reliquit, propter Clodij furorem, vt dicit pro Sestio, consules Ciceronis bona diripuêre*, saltim, *vt simul cessarent lachrimæ ciuium de me susceptæ*, Arbitria, *præmia vobis soluerentur à Clodio, quod me neci destinastis. Ita enim ait in Pisonem. Eodem loci vestigio & temporis, non mei solum, sed patriæ funeris arbitria abstulisti, hoc est. Et me & Rempub. Clodio vendidisti. Arbitrium igitur aliquando, pro nostra voluntate, & sententia: aliquando idque in plurali, pro præmio vsurpatur*, domus mea, *domus Ciceronis, antea Crassi erat in monte palatio, quam Cic. centum & quinquaginta millibus aureorum emerat. teste Salustio in oratione contra Cicer. & Aulo Gellio cap. 12. lib. 12* Ardebat, *non casu aliquo, sed ignibus iniectis instigante te, & ardentes faces te*

ministran-

ministrante, ad vicinum, *ad te*, palatio, *mons Romæ vbi domus erat* Cic. Tusculano, *Tusculanum erat* Cic. *villa, in agro Tusculano ædificata*, cum illidem, *vestris auxiliis*, gladiatore, Clodio *Gladiatores autē dicebantur, qui venalem sanguinem habebant, & in ludis funebralibus digladiabantur. Inde gladiator pro sicario & pernicioso*, vacuo foro, *Quia omnes prope Clodij furorem extimescebant*, Ærarium, *ærarium, dicebatur locus vbi publica pecunia asseruabatur. Erat autem apud Romanos ærarium in templo Saturni vt ait Plutarchus in problematibus, à Publicola extructum, qui locus erat munitus, & aditu difficili. Ibi & leges, & tabulæ publicæ, & senatusconsulta reponebantur. Et hoc erat duplex. Alterum sanctius, vel quod ibi pecunia ad extremos casus Reipub. seruabatur: vtl quod libris Sibyllinis illud violare, nisi contra Gallos, erat vetitum. Quod tamen Cæsar expilarat: Alterum militare vbi prompta pecunia stipendiis sufficeret.*

Tertia pars confirmationis.

Horum Consulum.

Hac parte Confirmationis singullatim omnium Senatorum, prætorum, tribunorum, totiusq; Italiæ studia, in sese reuocando per partitionem exponet. Sit igitur tale Enthimema.

Antecedens, Consules, Tribuni, & prætores, & vniuersus populus me reuocauit. Estq; partitione dilatatum periodo monocolos.

Conclusio. Ergo gratum me tanti beneficij præstabo.

Antecedens enumeratione probabit, & amplificabit. Ac primum quidem Tribunos, post prætores, deinceps Consules & Senatum, postremo populum Romanum in sua causa laborantem oratione celebrabit.

Celebrat officia Tribunorum quatuor rationibus.

1. *Ratio.* Quid ego. *Milo factus Tribunus, Clodij audaciam compressit, meq; restituit. Ergo gratus ero. Estq; hic antecedens periodica oratione contextum & susum.* T. Annio, *Qui erat Trib. pleb. & Lanuio Municipio, familiaq; Papia ortus, quem Cic. quod occidisset Clodium defendebat.* Qui cùm videret. *Expositione amplificat Antecedens.* Si legibus. *voluit enim Milo Clodium legum laqueis constringere. Sed quia Consul & Tribunus vetuit lege cum Clodio agere. vim vi, Milo necessario repellendam putauit. Vide orationem de Auruspicum responsis,* Qui docuit. *Nota copiam Ciceronis, quasi dicat Omnia virtute Milo defendit.* Qui primus. *Episinapsis hoc est adiunctio quædam sententiæ, Ciceroni familiaris.*

2. *Ratio.* Quam rationem. *Publius Sextilius pro mea vita Clodio sese opposuit & populo me commendauit, restituitq;. Ergo Tribuni me restituerunt. Estq; Antecedens monocolos incisis dilatatum, Amplificat post hac antecedens.* Qui causam Senatus. *expositione, estq; tricolos periodus Antisphasto clausa. Postea idem Antecedens amplificat per collationē dum dicit,* qui me, *cuius sensus est. Strenuè me defendit,*

estq;

estq; dicolos periodus. Qua absoluta adhuc amplificat Sestij studia periodo dicolos dum dicit, cuius ego, *loci sensus est. Omni studio me tuebatur*, Sestius, *Tribunus plebis pro quo orationem fecit Cic.* impetus, *A Clodianis enim maximis vulneribus erat affectus*, Exagitatũ, *Senatus enim 7. Calendis Februarii de reuocando Cicerone agere cœpit, sed vi Clodianorum impeditum erat negotium illud*, iuxta ac si, *vt enim frater Ciceronis vulneratus à Clodianis esset in Rostris, ita & Sestius grauissimis vulneribus erat sauciatus.*

3. *Ratio.* Iam cæterorum. *Sestius & Cispius Tribuni plebis obliti offensionis, me reuocarunt. Ergo Tribunorum studio sum reuocatus. Estq; membratim facta oratio & in exitu periodo tanquam Crepidine sustentatur.*

4. *Ratio.* Iam T. Fadius, *in qua omnibus Tribunis per inductionem gratias agit cuius est talis dispositio. Omnes alii me reuocare laborarunt.*

Ergo omnibus gratias ago, Antecedens inductione probat, Fabricius, *Qui cùm ante lucem, templum vbi Senatus conuenire statuebat, occupasset: à Clodianis est pulsus. Sit igitur sensus. Fabricius voluit me reuocare: sed non potuit.*

Celebrat officia Prætorum. *Iam verò.*

Hucusq; Tribunorum virtutem & studium exposuit, nunc prætorum diligentiam commemorabit, quod vno enthimemate per partitionem faciet estq; tetracolia.

Antecedens. Cùm L. Cæcilius, *Prætores me reuocarunt.*

Conclusio. Quæ cùm. *Ergo gratus ero tanti beneficij, estq; dicolos. Conclusionem hanc Cic. contentione figurauit. Antecedens probat per frequentem Prætorum enumerationem. Nota quomodo Cic. post frequentẽ, & Tribunorum & Prætorum enumerationem cõmodissimè præteritione figurauit orationẽ dum dicit,* Nõ est mei, *oratoris enim est, vt orationẽ nõ formare, ita sententijs & voce distinguere & variare: sensus autem est. Omnibus satisfacere contendam. Hunc sensum partitione dilatat. Estq; duplex periodus, prima dicolos, altera sex membrorum, seu periodicon.*

Celebrat officia Consulum. *Quod si mihi.*

Prætorum absoluta, Consulum deinceps studia, ac officia sublimiori oratione extollit. Sit igitur tale Enthimema.

Lentulus & Metellus Consules, me patriæ restia tuerunt.

Ergo gratus ero tanti beneficij.

Antecedens duplici ratione probat. & primo Lentuli diligentiam, & fidem: Secundo loco Metelli voluntatem commemorat. Conclusionem Enthimematis primo loco ponit, quam Antecedens subsequitur. Hic obserua apud Cic. variam argumentationis formam, Sensus autem est huius loci. Non possum meritam gratiam vobis persoluere. Estq; elegantissima tetracolia, dichoreo clausa.

Probatio primæ partis Antecedentis.

Quod si mihi.

Lentulus

Lentulus me, primus, summo studio, ac tota Italia conuocata reuocauit. Ergo gratus ero. Antecedens satis copiose primum per expolitionem. Quid enim, *dilatatum. cuius sensus est. Vniuersam Italiam ad me restituendam inuitauit. Ergo idem me reduxit. Estq; hîc tetracolia. Deinde per apostrophen & fictionem amplificatum,* vt qua voce, *cuius loci sensus est. Qua voce Consul, Romule, post conditam à te Romam, ciues ad defendendam Rempub. incitaret: eadem voce Senatus Italiam ad me restituendum inuitauit. Estq; dicolos periodus. Hoc absoluto Antecedente exaggerat senatus & Consulis coniuncta studia dum dicit,* Quid ego glorioſius, *cuius loci sensus est. Lentulus in Senatu omnes ad me restituendum incitauit. Estq; tetracolia. Conclusio.* Itaque. *Ergo Consul & Senatus me reduxit. Estq; tricolos. Amplificat tandem Lentuli diligentiam.* Idemq; Consul. *Senatum in Capitolium conuocauit. Ergo ille me restituit. Hîc obserua quomodo Cic: conclusionem enthimematis, interposuit Amplificationi, estq; tetracolia.*

Probatio secundæ partis Antecedentis. Nam Q. Metellus. *Q. Metellus Consul depositis inimicitijs Seruilij oratione excitatus defensor meæ salutis fuit, estq; monocolos. Ergo me reuocauit. Antecedens Amplificatione dilatauit orationis Seruilij præstantissimi ciuis. Quo in loco obseruabis quomodo hanc sententiam tractat. Primo laude Seruilij eiusq; oratione, deinde expositione eius orationis & cõparatione, estq; tetracolia cita, incisis pluribus dilatata. Concludit tandem*

hanc

hanc partem per repetitionem Antecedentis, itaque fuit is, *sensus est Metellus me restituit*, fratrem, *Metellū, qui volens exulabat. Saturninus enim Trib. pleb tulerat legem Agrariam, in quam cùm vniuersus Senatus iurasset, vnus Metellus iurare noluit, statimq; Rhodum in exilium profectus est, ne causam malarum contentionum præberet. vide Plutarchum in vita Marij.* Ex Acherunte, *ex inferno. Acheron enim est fluuius infernalis.* Numidicum, *Qui de rege Numidiæ Iugurta triumphauit. Fuerunt & alij Metelli, vt Macedonicus, Barbarius, Creticus, Dalmaticus, & alij.* Asciptor. *Aditor dignitatis meæ: asciptor enim dicitur, qui alicuius acta approbat.*

Celebrat Senatus studia. *Quo quidem die.*

Senatus studia erga sē tribus argumentis commemorat.

1. *Argumentum. Antecedēs*, Quo quidem die. *vos Senatores duce Lētulo me reuocastis, estq; tricolos. Conclusio. Ergo gratus ero vestri beneficij. Antecedens dilatat expositione per partitionē. Primo quomodo Senatus vniuersus in Capitoliū conuenit, deinde quomodo Clodio restitit. & Lentuli sententiā de Cic. approbauit. Estq; periodus tricolos. Secundo amplificat hoc ipsum Antecedens periodo tricolos dum dicit.* Atque illa, *hoc ipsum & tertio facit, periodo quoq; tricolos, dum dicit.* Quo quidem die, *nota Ciceronem dicere conuenisse* CCCCX. *Senatores, cùm ante nos dixeramus, trecentos tantum modo fuisse Senatores; contraria ergo hæc esse videntur, sed sciendum est quod cum ipso*

cumipso tempore nunc excrescebat, nunc diminuebatur numerus Senatorum. Primum enim à Romulo centum erant creati, postea ab alijs ducenti, & vsq; ad trecentos excreuerant. Ad extremum à Iulio Cæsare mille erant lecti, progressu deinde temporis Augusto Octauio imperante ex illis mille, trecenti iterum facti, vocem acerbam, *Nemo Clodianorum intercedere ausus est.*

2. *Argumentum.* Ad hæc non modo. *vos præbuistis intercessionem reuersionis meæ. Ergo vos me reduxistis. Est q; periodicon,* adhæc, *nota particulas, quibus optime connectuntur argumenta, & Narrationes & periodi,* ornamenta, *cum mea opera Rempub. à Catilinario tumultu conseruatam fuisse dixissetis.*

3. *Argumentum,* Quid vt ad illam, *vos egestis populo gratias, qui me ad restituendum conuenerat. Ergo me reduxistis Antecedens membratim tractat. Hoc absoluto argumento Lentuli consulis adiungit laudes,* Quid denique, *estque eiusmodi argumentum. Lentulus me comitiis centuriatis, cum summo honore meo, restituit. Ergo tanti beneficij gratus ero. estque oratio periodica,* comitiis centuriatis, *comitia erant triplicia. Calata, in quibus de collegio sacerdotum tantum à decem septem tribubus agebatur. Curiata, in quibus de exercitu, de legibus, legatis, prouinciis, rebusq; militaribus, ab optimo & vilissimo quoq; pari conditione inibatur suffragium. Centuriata, quibus præcipui magistratus, vt pote Consules, Tribuni, prætores, per classes seu centurias, creabantur. Populus enim*

vniuersus,

vniuersus, in centum turmas diuidebatur, & ex singulis vnus qui nobilior & grauior esset suffragium ferebat. Vnde hæc comitia grauiora ob delectum populi dicebantur, vt curiata ob plebis confusionem.

Celebrat populi studium,
Quo die.

RECenset populi studium in se restituendo, cuius loci sensus est. Vniuersus populus me reuocauit. Ergo gratus ero. Estque Antecedens copia & membris dilatatum.

Conclusio confirmationis,
Itaque P. Lentuli.

CONcludit ferè omnia, quæ permixtè tractauit argumenta. Primo repetens Lentuli officia dum dicit, itaque P. Lentuli, *cuius loci sensus est. Ergo Lentuli studio sum reuocatus. Secundo agens gratias Pompeio,* postum ego, *sensus est. Pompeius summo studio ac diligentia de me restituendo laborauit. Ergo gratus ero. Antecedens partitione insigni, & oratione pneumatica dilatauit. Tertio,* quibus autem, *Tribunorum plebis iterum studia repetit. Primo Milonis cum dicit,* quibus autem, *Sensus est. Milo me fortiter defendit. Ergo gratus ero: Antecedenti conclusionem præponit, estque membratim facta oratio. Postea P. Sestij,* quid de P. Sestio, *Sestius suum studium vulneribus mihi ostendit. Ergo gratus ero. Quarto,* vobis vero, *Senatui gratias agit. Sensus est. Non possum vobis dignas gratias*

gnas gratias agere. vbi primo suum animum gratum beneficiorum, summaque studia senatorum recenset. Secundo, quanquam, *vtitur occupatione, cuius sensus est. Iustum esset vobis nominatim agere gratias, sed difficile id præstare possum. Estque periodus tricolos. Tandem,* nam difficile, *Aetiologia occupationem soluit.*

Epilogus orationis.

HAnc orationis partem, enumeratione acceptorum beneficiorum, & amplificatione pollicitationis absoluit. Sensus eius est. Gratum me vobis omnibus, quorum studio & opera patriæ restitutus sum, præstabo. Sed hunc sensum, & sententiis & verbis amplificauit.

Prima pars epilogi, scilicet enumeratio acceptorum beneficiorum.

Propositio. Ego vobis summas gratias, vosq; prodys colere debeo. Estq; periodus monocolos. Hanc propositionem elegantissima Comparatione, quæ constat periodo duorum membrorum pæane tertio clausa, figurauit, cum Deos cum Senatu confert. Obseruabis hic Comparationem duabus partibus tractatam propositione scilicet & applicatione.

Ratio propositionis per enumerationem beneficiorum dum dicit, hodierno autem, *quæ constat partibus septem.*

In prima parte Senatus & Pompei recenset beneficia, hodierno autem, *sensus est. Senatui & populo obligatus ero. Hunc sensum Aetiologis dilatat, &*

periodice

periodico circumducit, dum dicit, Qui pro salute, *Postea comparatione amplificat studia Senatorum,* Nostra memoria, *Sensus est. Vos in vestris periculis nunquam vti in mea calamitate luxistis: estq; tricolos periodus.*

In Secunda parte. Quibus ergo, *Gabinij & Pisonis Consulum improbitatem recenset. Estq; sententia. Nolebam cum illis vi decertare: estq; tricolos ionico minore clausa. Primo autem Gabinij nequitiam cõmemorat,* dixerat, *estq; membratim facta oratio. Secundo,* alter Consul, *Pisonis improbitatem recenset.*

In tertia parte. Erat alius. *Cæsarem leniter perstringit qui tectus erat Ciceronis inimicus: Clodius enim clamabat, ea quæ faciebat contra Ciceronem, se facere authoribus Pompeio, Crasso, & Cæsare.*

In quarta parte. Duæ partes esse, *commemorat quorundã ciuium in se retinendo timiditatem, idq; per diuisionem, sit igitur sensus siue sententia. Alij ciues vt manerem deposcebant, alij timidius defendebant. Hoc autem propterea adiecit, vt Consulum improbitatem, & Senatus studium planius explicaret: estq; periodus dicolos. Assumit tandem.* Qui autem, *primam partem diuisionis, altera neglecta, qua timidius in se defendendo egisse dicit. Estq; tricolos periodus.*

In quinta parte. Quare cùm, *confert suam in exulando prudentiã cum temeritate inimicorum. estq; sensus. Potui resistere inimicis, sed nolui, malui enim Reip. & ciuibus, quam meæ saluti seruire. hunc sensum conglobatione amplificat, estq; oratio periodica. Quod autem maluisset Reipub. & ciuibus seruire probat tribus*

bat tribus rationibus. Prima ratio est per dilemma, sed videbam, si vicissem Clodium multi adhuc essent vincendi. Si victus essem, & ego, & multi boni cives mecum concidissent. Secunda ratio, nolui cum consul, ne scilicet Rempublicam & cives in periculum conjicerem. Estque dicolos periodus. Tertia, quod si, quia sperabam me cito reuersurum. Estque syllogismus propositione & assumptione constans, & periodus dicolos.

In sexta parte. Neque ego, Laudes suas Cicero extollit vt magis sibi deuincat senatum. Sensus est. Me absente omnia abfuerunt, me redeunte omnia sunt restituta. Hunc sensum partitione amplificat, estq; dicolos postea membratim facta oratio. Nota cùm Cicero in exilium actus esset, maximam tum fuisse caritatem annonæ.

In septima parte. Cuius mei, Plancij Quæstoris in suo exilio præstitam beneuolentiam commemorat, à quo dicit se sustentatum fuisse, quo nomine, se illi multum debere confitetur. Estq; tricolos periodus figurata comparatione.

Secunda pars Epilogi, Remuneratio. Quapropter.

IN hac parte memoriam sempiternam tanti beneficij se retenturum pollicetur: sensus est. Gratum me & Reip. & vobis præstabo. Hunc sensum quatuor causis & comparationibus, per exemplorum congeriem amplificabit. estq; dicolos periodus.

1. causa est, per comparationem, Et enim. Si an-

tea defendebam, nunc multo magis. Estq; hic tantum propositio comparationis, sine applicatione.

2. causa est, Nam quid, Quia hæc, quam perpessus sum calamitas, non debilitauit animum meum. Hanc causam duabus approbationibus confirmat & amplificat, Estq; dicolos: Prima approbatio, cuius ipsum, Quia calamitas non mei delicti, sed beneficiorum testis. est. Secunda approbatio, Nam & importata, Quia iniquè ab hostibus mihi irrogata, & à me sponte suscepta est, estq; dicolos.

3. causa est, pro me, Quia vos me vno fratre & Pisone genero deprecante, non vt alios multos magistratibus exorantibus studiosissimè restituistis. Estq; periodus quinq; membrorum seu periodicon. Estq; simplex & breuis collocatio exemplorum, qua comparatione figurauit, dum dicit, sed vnus frater. Estq; monocolos incisim tractata. Hac causa absoluta fratris pietatem erga se extollit dum dicit, Qui cum. estq; tricolos.

4. causa est, Alter fugit propugnator. Pisone genero pro me deprecante restitutus sum, Ergo gratus ero Hunc sensum Laude Pisonis, incisisq; dilatauit.

His absolutis quatuor causis, vtitur comparatione superiorum exemplorum, dum dicit, Nil vnquã cuius loci sensus est. Popilius, & Metellus, vi & armis sunt restituti: Ego autem consensu magistratus, estq; periodicon. Hic Popilius cum Prætor esset, Tiberij Gracchi amicos in exilium pepulerat. Quam ob causam cùm C. Gracchus contra eum legem tulisset, vt si quis in magistratu constitutus ciuem Romanum sine iudicio necasset, in eum animaduerteretur fugam sibi cõsuluit.

Pro eo

Pro eo igitur amici deprecati sunt. Vide orationem ad Quirites, & Plutarchum in Gracchorum vita. Metellus vero de Iugurtha Numidiæ rege triumphauit, postea ob Gracchianas leges exilium voluntarium suscepit. Vide Appianum lib. 1. de bello ciuili, Consulares, *dicebantur qui aliquando Consules fuerunt, iterumq; esse poterant. Item,* Nam C. quidem, *Marius vi & armis seipsum reuocauit. Ego autem studio Senatus. Igitur gratus ero: fuit autem Marius Arpinas, humili loco natus, septies tamen Romæ consul. Eius hæc erat exilij causa. Cùm Sylla consul Asiã pro uinciam cum Mithridatico bello sortitus fuit, Marius per Sulpicium Tribunum plebis, vt illi iam vrbe oppressa sufficeretur, effecit: putabat enim illud bellum plus lucri, quam difficultatis habiturum. Qua quidem re Sylla commotus, exercitu ad vrbem admoto Marium cum suo exercitu vrbe expulit vide Plutarchum in vita Marij & Appianum lib. 1. Illi igitur,* Nulla de ijs, *non consensione Reip. reuocati sunt.*

Claudit vltimo oratione per frequentationem superiorum, nempe per breuem enumerationem eorum quorum studio, opera, & consensu fuerit ab exilio restitutus. Estq; periodus vel potius periodicon, constans protasi, & apodosi. In protasi colligit beneficia, in apodosi promittit suum studium rationem q; subiungit.

M. C. CICERONIS IN M. ANTONIVM PHILIPPICA.

NONA.

VELLEM dij immortales fecissent. P. C. vt viuo potiùs Ser Sulpicio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus. Nec vero dubito, quin si ille vir renunciare legationem potuisset, reditus eius & nobis gratus fuerit, & Reip. salutaris futurus: non quod L. Philippo, & L. Pisoni aut studium, aut cura defuerit in tanto officio, tantoque munere: sed cùm Ser. Sulpicius ætate illos anteiret, sapientia omneis, subitò ereptus totam legationem orbam, & debilitatam reliquit. Quòd si cuiquam iustus honos habitus est in morte legato, in nullo iustior, quàm in Ser. Sulpicio, reperietur. Cæteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum vitæ periculum, sine vllo mortis metu profecti sunt: Ser Sulpicius cum aliqua perueniendi ad M. Antonium spe profectus est, nulla reuertendi. qui cùm ita affectus esset, vt, si ad grauem valetudinem labor viæ accessisset, sibi ipsi diffideret: non recusauit, quo minùs vel in extremo spiritu, si quam opem Reip. ferre posset, experiretur. Itaq; non illum vis hyemis, non niues, non longitudo itineris, non asperitas viarum,

non

non morbus ingrauescens retardauit: cumque iam ad congressum, colloquiumque eius peruenisset, ad quem erat missus: in ipsa cura, & meditatione obeundi sui muneris excessit è vita. Vt igitur alia, sic hoc, Pansa, præclarè, quòd nos ad ornandum Ser. Sulpicium cohortatus es, & ipse multa copiosè de illius laude dixisti. quibus à te dictis, nihil præter sententiam dicerem, nisi P. Seruilio respõdendum putarem, qui hunc honorem statuæ nemini tribuendum censuit, nisi qui ferro esset interfectus. Ego autem, P. C. sic interpretor sensisse maiores nostros, vt causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, eius monumẽtum exstare voluerunt, vt in bellis periculosis obierent homines legationis munus audaciùs. Non igitur exempla maiorum quęrenda, sed cosilium est eorum, à quo ipsa exempla nata sunt, explicãdum. Lartes Tolumnius, rex Veientum, quatuor legatos populi R. Fidenis interemit, quorum statuæ in Rostris steterunt vsque ad nostram memoriam Iustus honos. ijs enim maiores nostri, qui ob Remp. mortem obierant, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octauij, clari, & magni viri: qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consultum, statuam videmus in Rostris, Nemo enim tum nouitati inuidebat: nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octauij

in qua periculi suspicio non subesset. Nam, cùm esset missus à Senatu ad animos regũ perspicien dos, liberorumque populorum, maximeque, vt nepotẽ Antiochi regis, eius, qui cum maioribus nostris bellum gesserat, classeis habere, elephantos alere prohiberet: Laodiceæ, in gymnasio à quodam Leptine est interfect . Reddita ei tum à maioribus statua pro vita: æ multos per annos progeniem eius honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam sola restaret. Atqui & huic, & Tullo Cluio, & L. Roscio & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui à Veientium rege cæsi sunt, non sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob Remp. obita, honori fuit Itaque, P. C. si Ser Sulpicio casus mortem attulisset, dolerem quidem tanto Reip: vulnere: mortem verò eius non monumentis, sed luctu publico esse honorandam putarem. Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa legatio? secum enim ille mortem extulit: quàm, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filij, fidelissimæque coniugis diligentia, vitare potuisset. At ille, cùm videret, si vestræ auctoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui: si paruisset, munus sibi illud pro Rep. susceptum, vitæ finem allaturum: maluit in maximo Reip discrimine mori, quàm minus, quam potuisset, videri Reip. profuisse. Multis illi in vrbibus, quà iter faciebat, reficiendi se, & curandi potestas fuit. aderat & hospitum inuitatio libera-

lis pro di-

lis pro dignitate summi viri, & eorum hortatio, qui vna erant missi, ad requiescendum, & vitæ suæ consulendum. At ille properans, festinansque, mandata nostra conficere cupiens, in hac constantia, morbo aduersante, perseuerauit. Cuius cùm aduentu maximè perturbatus esset Antonius, quod ea, quæ sibi iussu nostro denũtiarentur, auctoritate erant, & sententia Ser. Sulpicij constituta: declarauit, quàm odisset senatum, cùm auctorem senatus extinctum, lætè, atq; insolenter tulit. Non igitur magis Octauium Leptines, nec Veientium rex, eos, quos modò nominaui, quàm Ser. Sulpicium occidit Antonius. Is enim profectò mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitror. exstare, quod fuerit de hoc bello iudicium senatus. erit enim statua ipsa testis, bellum tam graue fuisse, vt legati interitus, honoris memoriam consecutus sit. Quòd si excusationem Ser. Sulpicij, P. C. legationis obeundæ recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortuo, quam viuo iniuriam fecimus, sarciamus. Vos enim, P.C. (graue dictu est sed dicẽdum tamen) vos, inquam, Ser. Sulpicium vita priuastis. Quem cùm videretis se magis morbo, quàm oratione, excusantem, non vos quidem crudeles fuistis (quid enim minùs in hunc ordinem conuenit?) sed cùm speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate, & sapien-

tia effici posset, vehementiùs excusationi obsti tistis: atque eum, qui semper vestrum consensum, grauissimum iudicauisset, de sententia deiecistis. Vt verò Panſæ consulis accessit cohortatio grauior, quam aures Ser. Sulpicij ferre didicissent, tum filium, meque item seduxit, atque ita locutus est, vt auctoritatem vestram vitæ suæ se diceret anteferre. cuius nos virtutem admirati, non ausi sumus eius aduersari voluntati. mouebatur singulari pietate filius: nō multum eius perturbationi meus dolor concedebat: sed vterque nostrûm cedere cogebatur magnitudini animi, orationisq; grauitati: cùm quidem ille maxima laude, & gratulatione omnium vestrûm pollicitus est, se, quod velletis esse facturum, neq; eius sententiæ periculum vitaturum, cuius ipse auctor fuisset. quem exequi mandata vestra properantem, manè postridie prosecuti sumus. qui quidem discedens, mecum ita locutus est, vt eius oratio, omen fati videretur. Reddite igitur, P. C. ei vitam, cui ademistis. vita enim mortuorum in memoria viuorum est posita. perficite, vt is, quem vos ad mortem inscij misistis immortalitatem habeat à vobis. cui si statuam in Rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationem posteritatis inobscurabit obliuio. Nam reliqua Ser Sulpicij vita multis erit, præclarisque monumentis ad omnem memoriam commendata, semper illius grauitatem, constantiam, fidem,

præstantiam

præstantiam, in Rep. tuenda curam, atq; prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit Nec verò silebitur admirabilis quædã, & incredibilis, & pœne diuina eius in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia, Omnes, ex omni ætate qui hac in ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non sunt comparandi. Neq; enim ille magis iurisconsultus, quàm iustitiæ fuit. Itaq; quæ proficiscebantur à legibus, & à iure ciuili, semper ad facilitatem, æquitatemq; referebat: neq; constituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere. Ergo hoc statuæ monumento non eget: habet alia maiora. hæc enim statua, mortis honestæ testis erit, illa, memoria vitæ glorioſæ: vt hoc magis monumentum grati senatus, quàm clari viri, futurum sit. Multum etiam valuisse ad patris honorem pietas filij videbitur: qui quan quam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, vt ille si adesset. est autem ita affectus, vt nemo vnquam vnici filij mortem magis doluerit, quam ille mæret patris. Equidem etiam ad famam Ser. Sulpicij filij arbitror, attinere, vt videatur honorem debitum patri præstitisse. quanquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuerit, quã effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij filium. cuius luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio leuari potest.

Mihi autem recordanti Ser. Sulpicij multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, ænea statua futura, & ea pedestris, quàm inaurata equestris: qualis est L. Syllę prima statua. magnificè enim Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat: huius sæculi insolentiam vituperabat. Vt igitur, si ipsum consulam, quid velit, sic pedestrem ex ære statuam, tanquam ex eius auctoritate, & voluntate, decerno: quæ quidem magnum ciuium dolorem, & desiderium, honore monumenti minuet, & leniet. Atq; hanc meã sententiam, P.C. P. Seruilij sententia probari necesse est: qui sepulchrũ publicè decernendũ Ser. Sulpicio censuit, statuã non cẽsuit. Nam si mors legati sine cæde, atq; ferro nullũ honorẽ desiderat: cur decernit honorem sepulturæ: qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Ser Sulpicio, quod non est datum Cn. Octauio: cur, quod illi datum est, huic dandum esse non censet? Maiores quidem nostri statuas multis decreuerunt: sepulchra paucis. sed statuæ intereunt tempestate, vi. vetustate: sepulchrorũ autem sanctitas in ipso solo est: quod nulla vi moueri, neque deleri potest: atque, vt cætera extinguẽtur, sic sepulchra fiunt sanctiora vetustate. Augeatur igitur isto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest, gratissimus in eius morte decoranda, cui nullam aliam gratiam referre iam possumus. notetur etiam

tur etiam M. Antonij, nefarium bellum gerentis, scelerata audacia. his enim honoribus habitis Ser Sulpicio, repudiatæ reiectæq; legationis ab Antonio, manebit testificatio sempiterna. Quas ob res ita censeo: CVM. Ser. Sulpicius, Qu. F. Lemonia Rufus, difficilimo Reip. tempore, graui, periculosoq; morbo affectus, auctoritatem senatus, salutemque populi R. vitæ suæ præposuerit, contraq; vim, grauitatemque morbi contenderit, vt ad castra Antonij, quò senatus eum miserat, perueniret: isque, cùm iam prope castra venisset, vi morbi oppressus, vitam amiserit in maximo Reip. munere: eiusq; mors consentanea vitæ fuerit, sanctissimè, honestissimeq; actæ, in qua sæpe magno vsui Reip Ser. Sulpicius & priuatus, & in magistratibus fuerit: cùm talis vir, ob Rempub. in legatione mortem obierit: Senatui placere, Ser. Sulpicio statuam pedestrem æneam in Rostris ex huius ordinis Sententia statui, circumque eam statuam locum gladiatoribus, ludisq; liberos posteroq; eius quaque versus pedes quinq; habere, quod is ob Remp. mortem obierit, eamq; causam in basi inscribi: vtique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, amboué, si eis videbitur: quæstoribus vrbis imperent, vt eam basim, statuamque, faciendam, & in Rostris statuendam locent: quantique locauerint, tantam pecuniam redemptori soluendam attribuendamque curent: cumque antea senatus auctoritatem in

virorum

virorum fortium funeribus, ornamentisque ostenderit, placere, cum quàm amplissimè supremo die suo efferri: & cùm Ser. Sulpicius, Qu. F. Lemonia, Rufus, ita de Rep. meritus sit, vt his ornamentis decorari debeat: Senatum censere, atque è Rep. existimare, ædileis curuleis edictum quod de funeribus habeant, Ser Sulpicij, Qu. F. Lemonia, Rufi, funeri mittere: vtique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo aliò in loco videtur, pedes triginta quoquo versus designet, quò Ser. Sulpicius inferatur. Quod sepulcrum, ipsius, liberorum, posterorumque eius, sit: vti quod optimo iure sepulcrum publicè datum est.

ADAMVS

ADAMVS STEZICIENSIS IN ORATIONEM CIC. PHILIPPICAM NONAM.

Cur Philippicas inscripserit.

TEx ipso Cicerone, & multis alijs Rhetorum scriptis constat, Ciceronem se totum ad imitationem Græcorum contulisse. Quẽ admodum autem Demosthenes apud Athenienses vim Philippi Regis Macedonum, oratione sua fregit, atq; vicit: ita & Cic. Demosthenem imitatus, furentem Antonium pestem, & procellam Reip. Romanæ, hisce orationibus insectatus est.

Occasio & argumentum Philippicarum.

CVm M. Antonius reuiuiscentem Rempub. post interfectum Cæsarem vix duobus mensibus liberam fuisset, ad eamq; opprimendam animum adiecisset, Cic. sperans Antonij libidinem fines non excessurã, in Græciam ire statuit: sed improbitate & insolentia Antonij, ex ipso itinere reuocatus, Romam rediit, Antonijq; furori & latrocinijs, pro Repub: & pro ciuibus sese obiecit, Hasq; orationes in Senatu contra Antonium habuit, modisq; omnibus contendit, vt Antonium furentem, scilicet, audacia, bello iustissimo aggrederentur, & efficerent, vt aliquando Respub: illorum virtute defensa requiesceret.

Argumen-

Argumentum nonæ Philippicæ.

Lex fuit scripta, vt qui in legatione interficeretur, illi ipsi statua equestris in Rostris statueretur, ac publico sumptu sepulchrum cum Elogio extrueretur. Moritur Seruius Sulpicius, qui affecta valetudine Roma discesserat, antequam legatione apud M. Antonium perfunctus esset. Consulitur, quo honore mors Sulpicij honoranda esset, Suadent alij ex lege de legatis interfectis honores Suplicio decernendos esse. Intercedit Seruilius ostenditq; id omnino legem vetare. Cic. igitur hac oratione persuadet Seruio Sulpicio honores ex lege decernendos esse.

Est igitur oratio generis deliberatiui.

Partes orationis.

TRactauit hanc breuem orationem quatuor partibus. Exordio, propositione, contentione, & peroratione.

Status.

STatus est legitimus, ex scripto. Num Seruio Sulpicio honor statuæ tribuendus sit? Argumenta ex scripti interpretatione & exemplis sunt petita.

Genus dicendi.

Mediocri ac temperato genere dicendi consecta est hæc oratio.

Explanatio exordij.

Quoniam

Quoniam principia orationis, benevolentiæ, attentionis, & docilitatis gratia, vel à personis, vel à rebus ducuntur. Cic. in hac brevi oratione usus est exordio ad captandam benevolentiam, ex utroq; loco. A persona quidem, cùm mortem Sulpicij amplissimi viri dolet. A Re, cum eius legationem si eam renunciasset, Reipublicæ salutarem futuram asserit.

Dispositio Exordij.

TRactat hoc exordium quinque partibus, propositione, Ratione, Occupatione, Reflexione, & conclusione.

Propositio. Mallem vt viuo Sulpicio, gratias potius ageremus, quam honores mortuo quæreremus.

Ratio. Quia si legationem renunciasset, reditus eius salutaris Reipub. fuisset.

Occupatio. Quanquam & cæteri, hoc munus obire potuissent; ille tamen cum omnibus esset sapientior, felicius obisset.

Reflexio. Sed cum subita morte ereptus, legationem orbam reliquit.

Conclusio. Itaq; illi tanquam legato, iustus honos tribuendus est.

Vellem dij, *Propositio, optatione exornata peri odo dicolos circumducta, dichoræo terminata,* Nec vero dubito, *Ratio propositionis dicolos, amphibrachi terminata.* Non quod, *occupatio*, subito ereptus, *Reflexio.*

Secunda

Secunda pars Orationis propositio.
Quod si.

Seruio Sulpicio honos ex lege decernendus est: Hanc propositionem orationis, non simpliciter constituit; sed comparatione figurauit.

Tertia pars Orationis Confirmatio, *cæteri qui in legatione.*

Hanc vndecim argumentis tractat.

Primum argumentum ex comparatis. Propositione, Assumptione, Ratione assumptionis confectum.

Propositio. *Cæteri legati sine mortis metu profecti sunt, & tamen hoc honore dignati sunt.*

Assumptio. *Sed Sulpicius nulla spe reuertendi, profectus est, vt saltem Reipub. oppitularetur.*

Ratio. *Quia eum neq; valetudo, neq; vlla incommoditas itineris retardare potuit*

Complexio omissa. *Ergo hic honos illi tribuendus est.*

Cæteri qui, *Propositio syllogismi periodo dicolos circumducta*, Seruius Sulpitius, *Assumptio*. Qui cum ita, *Ratio assumptionis per distributionem, hoc est, non illum abstraxit ab itinere affecta valetudo, non hyemis, neq; asperitas viæ Locus communis de amore patriæ, pro qua si necessitas tulerit, vita libenter est profundenda Rationes lege apud Cic. in officijs, & apud Cic.*

pud Cic. in officijs, & apud Lucianum in patriæ Encomio, vt igitur alia, *Hoc loco sententiam Pansæ laudat vt suam quoque orationem illius grauitate comprobaret*, Quibus à te dictis, *Sequitur occupatio, in qua reprehendit Seruilij sententiam, qui negabat honorem Seruio Sulpitio, propterea quod lex esset, quæ eos tantum ornare iubebat, qui in legatione interficerentur. Atqui Sulpicius sponte mortuus est. Ergo non erat ornandus. Cicero igitur refutat ab interpretatione legis. Lex inquit non tantum eos intelligit, qui cæsi essent in legatione: sed quibus etiam ipsa legatio, causam mortis præbuisset.*

Tractat autem hanc refutationem tribus partibus 1. *Denunciatione, cum dicit*, Respondebo Seruilio. 2. *Propositione, quia admit honorem Sulpicio* 3. *ipsa refutatione*, Quibus à te, *Prima pars denunciatio*, qui hunc honorem, *propositio*, ego aut P. C. 3. *pars Refutatio; quam tractat expositione legis, approbatione, & conclusione*, Et enim, *approbatio per enthymema. Cui legatio causa mortis fuit, huic ex lege statua est ponenda: Ratio Antecedentis. Vt legati hoc munus audaciùs subirent*, non igitur, *conclusio.*

Elocutio.

Cæteri, *comparatio*, vel in extremo, *Hyperbole*, itaque, *exornatio & distributio*, vt igitur, *apostrophe*, Quibus, *occupatio*, Et enim, *Aetiologia, Ratiocinatio*, vt is, *Aetiologia*, Non igitur, *complexio.*

Secundum Argumentum.

LAr Tolumnius, *A duobus exemplis. Primum est: Legatis à Veientinorum Rege interfectis, statuæ sunt positæ.*

Ergo & Sulpicio ponenda est. Tractat autem hoc argumentum duabus partibus. Expositione Exempli, & Sententiæ maiorum. Lartes, *expositio exempli,* iustus honos. *2. pars exempli. Sententia.*

Alterum exemplum, Cn. Octauij Clari, *Cn. Octauio legationem apud Antiochum regem obeunti, statua est posita.*

Ergo & Sulpicio est ponenda. Tractat hoc exemplum tribus partibus. 1. *Laude Octauij.* 2. *Expositione.* 3. *Conclusione,* Cn. Octauii, *Laus Octauij,* At ea fuit, *expositio exempli per comparationem,* Reddita est ei, *conclusio exempli,* Atque & huic *conclusio duorum exemplorum coniunctim facta.*

Tertium argumentum ex comparatis.

itaq; P. C. *si Seruio.*

Hoc Cic. tractat propositione, Assumptione, Ratione Assumptionis, & Approbatione.

Dispositio.

Propositio. Si casus & non legatio mortem Sulpicio attulisset, iste honos statuæ non esset illi tribuendus.

Assumptio. Sed legatio illi mortem attulit.

Ratio. Quia secum mortem extulit.

Approbatio. Quia si domi mansisset, hanc mortem suorum diligentia vitasset.

Itaque

Itaque P. C. *Propositio argumenti, dicolos periodus*, nunc autem quis, *Assumptio*, secum enim ille, *Ratio assumptionis*, quam si nobiscum. *Approbatio partitione dilatata, quam syllogismo tractauit.*

Propositio. *Si in legationem non iuisset, curasuorum mortem vitare potuisset.*

Assumptio. *Sed Authoritati vestræ obtemperãs in legationem est profectus.*

Complexio. *Ergo legatio illi mortem attulit.* quã si, *propositio approbationis*, At ille cum, *Assumptio.*

Quartum Argumentum, *multis illi in vrbibus*

Quod tractat propositione, ratione propositionis, & Assumptione.

Propositio. *Illi legatio mortem attulit, qui sese in itinere, propter celeritatem itineris reficere noluit.*

Ratio. *Quia à multis hospitibus inuitabatur.*

Assumptio. *Seruius Sulpicius se reficere noluit.*

Complexio. *Ergo legatio mortem illi attulit.*

Multis illi, *propositio syllogismi*, Aderat et, *ratio propositionis seu expositio*, at ille, *Assumptio.*

Quintum argumentum, *Cuius cum aduentu.*

CVius legationis authoritatem hostis extimuit, & mortem insolenter tulit, huic statua est decernenda. Sed Antonius hæc fecit. Igitur. Assumptionem tantum tractat cum conclusione, non igitur, *conclu-*

sio quinque argumentorum sensus est. Sulpicio igitur mortem attulit, legatio Antoniana, is enim *Amplificatio conclusionis.*

Sextum Argumentum, *Quocirca ad posteritatis.*

Propositio. Tanti belli Antoniani memoriam extare oportet.

Assumptio. Sed statua Sulpicij, testis erit tanti belli.

Ergo statua est illi decernenda, Quocirca ad, *propositio*, erit enim statua, *Assumptio.*

Septimum argumentum, *Quod si excusationem*, in quo causam mortis Sulpicij transfert in Senatum.

Cuius excusationem obeundæ legationis, accipere noluistis: eum vita priuastis.

Sed Seruij Sulpitij excusationem accipere noluistis.

Igitur eum vita priuastis Propositione prætermissa tractat Assumptionem. Cui subiungit talem probationem. Quia sperabatis illius authoritate & sapientia illud munus legationis optimè obiri posse. Itaque nec morbus, nec oratio eum apud vos excusare potuit. Deinde addit expositionem, seu exornationem. Quia Pansæ authoritate permotus se excusare non potuit, Quod si, *Assumptio*, Quem cum, *Probatio Assumptionis*. Non vos quidem crudeles fuistis, *obserua calliditatem in dicendo Ciceronis. Nunc enim Se-*

natores

natores causam præbuisse mortis Sulpicij asserit. nunc deinde negat Vt vero Pansæ, *expositio seu exornatio Assumptionis*, mouebatur singulari, *Dilatat exornationem. Estq; hoc loco Amplificatio*, Reddite igitur, *conclusio septimi argumenti, per repetitionem argumentationis propositionum facta*, Vita enim, *Amplificat conclusionem sententia.*

Octauum Argumentum ex comparatis.

Nam reliqua Seruij Sulpicij.

Hoc tractatur sex partibus, propositione, Ratione propositionis. Approbatione, exornatione, Conclusione propositionis, & assumptione.

Propositio. Reliquam eius vitam alia monumenta commendabunt.

Ratio. Quia eius virtutes mortalium fama celebrabit.

Exornatio. Quia ille omnibus anteibat, legum & scientia, & explicatione.

Approbatio. Quia & legum peritia illius prædicabitur.

Complexio. Ergo vitam eius reliquam, hæ virtutes & artes honorabunt.

Assumptio. Sed statua erit testis mortis illius. Igitur illi est ponenda.

Nam reliqua, *propositio ad omnem memoriam apud homines commendata*, semper illius, *Ratio propositionis per partitionem*, nec vero, *approbatio de legum atq; iuris ciuilis cognitione atq; interpretatione dignitate. Lege Platonem Cic. de legibus pro Muræna & in*

na & in oratore, Omnis qui, *exornatio*. Ergo hoc, *conclusio propositionis*, Hæc enim statua, *Assumptio*.

Nonum argumentum, *multum enim valuisse*, quod enthymemate tractat.

Filius mœstissimus à vobis statuam parenti expetit. Ergo eam decernite.

Antecedens probat ratione, & dilatat occupatione, *Ratio est talis. Quia hæc statua ad famam filij pertinebit. Occupatio. Quanquam filius est effigies paterna virtutis, tamen & ipsa statua, erit honori Sulpicio*, Multum enim, *Antecedens*, Est enim ita, *observa dilatationẽ dictionis huius mœstissimus*, equidem etiam, *Ratio Antecedentis*, Quanquam nullum, *occupatio per communem sententiam. Estq; hic locus communis de educandis liberis*, cuius luctus, *conclusio noni argumenti.*

Decimum argumentum, *mihi autem recordanti.*

Ipse Servius Sulpicius, statuam non inauratam postulat.

Ergo eam decernite.

Ratio Antecedentis, Quia semper continentissimus fuit.

Mihi autem, *Antecedens*, magnificè enim, *Ratio Antecedentis*, vt igitur si, *conclusio per fictionem.*

Vndeci-

Vndecimum Argumentum, ex comparatis maiorum, *Atque hanc meam sententiam*, estque quinque partitum.

Propositio. *Si Seruio Sulpicio, Seruilius honorem sepulturæ tribuit, debet etiam statuam tribuere.*

Ratio propositionis. *Quia multis sepulchra sunt decreta, statuæ paucis.*

Approbatio. *Quia statuæ cito intereunt, sepulchra sunt perpetua.*

Assumptio. *Sed Seruilius, tribuit sepulchrum Sulpicio.*

Complexio. *Ergo & statuam tribuere debet*

Est autem artificiosa hæc argumentatio. Primo enim Assumptionem collocauit, 2. propositionem, 3. rationem. 4. Approbationem, 5. complexionem, Atque hanc, *assumptio à sententia aduersariorum,* nam si mors, *propositio syllogismi,* sin id tribuit, *Exemplo amplificat propositionem,* maiores quidem, *Ratio propositionis,* sed statuæ, *Approbatio,* Augeatur igitur, *Conclusio Argumentationis per repetitionem.*

Extrema pars orationis peroratio. *Quas ob res ita censeo.*

IN *hac Cic. de honestanda morte Sulpicij suam profert sententiam. Censetq́, & plane depingit qualis illi statua sit collocanda. Quoniam vero duæ sunt partes perorationis. Enumeratio, & amplificatio, hoc loco tantum enumeratione præteritorum argumentorum est vsus, hoc modo.*

Igitur præstantißimo viro Sulpicio, qui morbo affectus, authoritate Senatus adductus, vitæ non parcens ad Antonium Reipub. hostem, longum iter susce-pit, ibiq; asperitate viæ confectus obijt. vt saltem Reipub. labenti opem ferret, Statua est ænea pedestris ponenda, in Basi. *Basis est sustentamentum seu sul-crum, in qua res gestæ inscribebantur*, Vtq; C. Pan-sa, *post interfectum Iulium Cæsarem. Octauiano Cæ-sari fasces sunt decreti, & Pansa cum Hircio Consules creati. & contra Antonium hostem Reipub. iudica-tum, missi, quem apud Mutinam vicerunt, ipsiq; cæsi sunt*, Cumque antea, *Qui magistratus Romæ gere-bat, illius corpus in prætexta purpura, togaq; consu-lari, vel Senatoria, lecto constrato, purpura vel linteis splendentibus, tibicine præcedente, laudem funebrem qua laudes defuncti canebat, efferebatur. Insi-gnia autem bonorum quos gessit, vt fasces, secures, lictores, arma militaria, coronam, vexillum, hostium spolia, gentille stemma, præferebantur.*

M. T. CICERONIS. PRO M. MARCELLO ORATIO.

DIVTVRNI silentij P. C. quo eram his temporibus vsus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit, idemq; initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi, tantam enim manſuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis P. C. Reique pub. reddito, nō solum illius, sed meam etiam vocem & authoritatem, & vobis, & Reip. conseruatam ac restitutam puto. dolebam enim P. C. ac vehemēter angebar, cùm viderem virum talem, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna. nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in vestro vetere curriculo, illo æmulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio à me & comite distracto. ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem C. Cæsar in tercluſam aperuisti: & his omnibus ad bene de

omni Repu. sperandum quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paulo ante in omnibus, cum M. Marcellum Senatui, populoque Ro. & Reip. concessisti, commemoratis præsertim etiam offensionibus, te authoritatem huius ordinis, dignitatemque Reipu. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis ante actæ vitæ hodierno die maximũ cepit, cùm summo consensu senatus, tũ præterea iudicio tuo grauissimo & maximo. ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus: cùm in accepto tanta sit gloria. est verè fortunatus ille, cuius ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit lætitia peruenerit. quod ei quidem meritò atque optimo iure contigit. quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior? Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quàm eam, quàm hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebris vsurpare sermonibus. omneis nostrorum imperatorum, omneis exterarum gentium, potentissimorumq; populorum, omneis clarissimorum

regum

regum res gestas cum tuis, nec contentionū magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. nec vero dissunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragragri, quam tuis non dicam cursibus, sed victorijs illustratæ sunt. quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. sed tamen sunt alia maiora. nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne proprię sint imperatorū, & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuuant. maximam vero partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat: & quidquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum. At verò huius gloriæ, C. Cæsar, quam es paullo antè adeptus, socium habes neminem. totum hoc, quantumcumque est, quod certè maximū est, totum est, inquam, tuum. nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam esse totam, & propriam fatetur. nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Domuisti genteis immanitate barbaras, multitudine innumerabileis,

bileis, locis infinitas, omni copiarum genere abundanteis: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & condicionem, vt vinci possent, habebant. nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem. Hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed similimum Deo iudico. Itaque, C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solùm nostris, sed penè omnium gentium litteris, atq; linguis: neque vlla vnquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur obstrepi clamore militum videntur, & tubarũ sono. At verò cùm aliquid clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapientèr factũ in iracundia præsertim, quę est inimica cõsilio, & in victoria, quæ natura insolens, & superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio incendimur, non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis, vt eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus. Te verò quem præsentem intuemur, cuius mentem, sensusque, & os cernimus, vt, quidquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua be

neuolentia

neuolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Cæsar, vt mihi videtur, huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod breui tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorũ, & suis sedibus. Equidem cùm C. Marcelli, viri optimi, & commemorabili pietate, ac virtute prædiți lacrymas modo vobiscum viderem omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. quibus tu etiam mortuis. M. Marcello conseruato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, iam ad paucos redactam, penè ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones. hæc enim res vnius est propria Cæsaris: cæteræ duce te gestæ, magnę illę quidem, sed tamen multo, magnoq; comitatu. huius autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta est, vt tropæis, monumentisque tuis nulla vnquam allatura sit finẽ ætas. nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas? At verò hæc tua iustitia, & lenitas animi floresceț quotidie magis, ita, vt, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omneis victores bellorum ciuilium, iam ante æquitate, & misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor. vt hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. ipsam victoriam vicisse videris

cùm

cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. nam cùm ipsius victoriæ condicione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus. Rectè igitur vnus inuictus es, à quo etiam ipsius victoriæ condicio, visque deuicta est. Atque hoc C. Cæsaris iudicium, P. C. quàm latè pateat, attendite. omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reip. misero, funestoque compulsi, & si aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus nam cùm M. Marcellum, deprecãtibus vobis, Reip. conseruauit: memet mihi, & item Reip. nullo deprecante, reliquos amplissimos viros, & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in consessu videtis: nõ ille hosteis induxit in curiam, sed iudicauit, à plerisque ignoratione potiùs, & falso, atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate ciuile bellum esse susceptum. quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendumque esse putaui, semperque dolui non modo pacem, sed orationem etiam ciuium, pacem efflagitantium, repudiari, neque enim ego illa, nec vlla vnquam secutus sum arma ciuilia: semperque mea consilia, pacis, & togæ socia, non belli, atque armorum fuerunt. hominem sum secutus priuato officio non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, vt nulla non modò cupiditate, sed ne spe quidem, prudens & sciens, tanquam

tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum consilium minimè obscurum fuit. nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cũ capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam iniustus rerum æstimator, qui dubitet, quę Cæsaris voluntas de bello fuerit cùm pacis auctores conseruandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum videretur fortasse tum, cùm esset incertus exitus, & anceps fortuna belli. qui verò victor, pacis auctores diligit, is profectò declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere. Atque huius quidem rei M. Marcello sum testis. nostri enim sensus, vt in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi, cùm insolentiam certorum, hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatẽ extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cę sar nobis, qui illa vidimus, debet esse. nõ enim iam causæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. Vidimus tuam victoriam, præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. quos amissimus ciueis, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: vt dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadẽ acie conseruat, quos potest. Alterius verò partis, nihil amplius eo dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram

fuisse,

fuisse victoriam. Quidam enim non modò ar-
matis, sed interdum etiam otiosis minabantur:
nec, quid quisq; sensisset, sed vbi fuisset, cogitan
dum esse dicebant: vt mihi quidem videantur
dij immortales, etiam si pœnas à populo R. ob
aliquod delictum expetiuerunt, qui ciuile bel
lum tantum, & tam luctuosum excitauerunt,
vel placati iam, vel iam etiam satiati aliquando
omnem spem salutis ad clementiam victoris, &
sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto
tam excellenti bono: & fruere cùm fortuna, &
gloria, tum etiam natura, & moribus tuis: ex
quo quidem maximus est fructus, iucunditas-
que sapienti. Cætera cùm tua recordabere, etsi
persæpe virtuti: tamen plerumq; felicitati tuæ
cõgratulabere. de nobis, quos in Rep. tecum si
mul saluos esse voluisti, quoties cogitabis, to-
ties de maximis tuis beneficijs, toties de incre-
dibili liberalitate, toties de singulari sapiẽtia tua
cogitabis: quæ non modò summa bona, sed ni-
mirum audebo vel sola dicere. tantus est enim
splendor in laude vera, tanta in magnitudine
animi, & consilij, dignitas, vt hæc à virtute dona
ta cætera à fortuna commodata esse videar tur.
Noli igitur in conseruandis bonis viris defati-
gari, non cupiditate præsertim, aut prauitate
aliqua lapsis, sed opinione officij, stulta fortas-
se, certè non improba, & specie quadam Reip
Non enim tua vlla culpa est, si te aliqui timue-
runt: contraq; summa laus, quòd plerisq; mini-
mè timendum

mè timendum fuisse senserunt. Nunc verò venio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam: quæ non tibi ipsi magis, quã cùm omnibus ciuibus, tum maximè nobis, qui à te conseruati sumus, prouidenda est. quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: vt, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? de tuis né? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui vnà tecum fuerunt? non est credibilis tantus in vllo furor, vt, quo duce omnia summa sit adeptus, huius, vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: vt aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superfuerunt, amicissimi sint. Sed tamen, cùm in animis hominum tantæ latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sanè suspicionem tuam. simul n. augebimus & diligentiam. nã quis est omnium tam ignarus rerũ, tam rudis in Rep. tam nihil vnquam nec de sua nec de cõmuni salute cogitans, qui nõ intelligat tua salute contineri suam? & ex vnius tui, vitã pendêre omnium? Equidem de te dies, noctesque, vt debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos euentus valetudinis, & naturæ com-

turæ communis fragilitatem extimesco: doleo
que cùm Resp. immortalis esse debeat, eam in
vnius mortalis anima consistere. si verò ad hu-
manos casus incertosque euentus valetudinis,
sceleris etiam accedat, insidiarumq; consensio,
quem deum, etiam si cupiat, opitulari posse
Reipub. credamus? Omnia sunt excitanda tibi
C. Cæsar vni, quæ iacere sentis belli ipsius im-
petu, quod necesse fuit, perculsa atque pro-
strata: constituenda iudicia reuocanda, fides,
comprimendæ libidines, propaganda soboles:
omnia quæ delapsa iam fluxerunt, seueris legi-
bus vincienda sunt. non fuit recusandum in tan
to ciuili bello, tantoque animorum ardore &
armorum, quin quassata Respublica, quicunq;
belli euentus fuisset, multa perderet & orna-
menta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ:
multaque vterque dux faceret armatus, quæ
idem togatus fieri prohibuisset: quæ quidem
nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt, qui
bus præter te mederi nemo potest. itaque illam
tuam præclarissimam & sapientissimam vocem
inuitus audiui, satis te diu vel naturæ vixisse,
vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse: ad-
do etiã, si placet, gloriæ. at, quod maximũ est,
patriæ certè parum. Quare omitte quæso istam
doctorum hominum in contemnenda morte
prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse.
sæpe enim venit ad aures meas te idẽ istud nimis
crebro dicere, satis te tibi vixisse: credo sed tum
id audirem

id audirem, si tibi soli viueres, aut si tibi etiam soli natus esses: nunc cùm omnium salutem ciuium, cunctamq; Remp. res tuæ gestæ cõplexæ sint, tantum abes à perfectione maximorum operum, vt fundamenta, quæ cogitas, nondum ieceris. Hic tu modũ tuæ vitæ, non salute Reip. sed æquitate animi definies. quid? si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. parum ne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immo vero alijs, quamuis multis satis: tibi vni parum. quicquid enim est, quamuis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. quod si rerum tuarum immortalium C Cæsar hic exitus futurus fuit: vt deuictis aduersarijs Remp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide quæso, ne tua diuina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriæ: siquidem gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum, vel in suos ciueis, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. hęc igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus: in hoc elaborandum est, vt Remp. constituas, eaq; tu in primis composita summa tranquillitate & otio perfruare. Tum te, si voles, cùm & patriæ, quod debes, solueris, & naturam ipsam expleueris satietate viuendi satis diu vixisse dicito. quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremũ? quod cùm venerit, omnis voluptas præterita

pro nihilo est, quia postea nulla futura sit. quã-quam iste tuus animus nunquam his angustijs, quas natura nobis ad viuendũ dedit, contentus fuit: semperq; immortalitatis amore flagrauit Nec vero hæc tua vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur. illa inquam, illa vita est tua Cæsar, quæ vigebit memoria seculorũ omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. huic tu inseruias, huic te ostentes oportet: quæ quidem quæ mireturiam prideni multa habet, nunc, etiam quæ laudet expectat. obstupescent posteri certè, Imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabileis, incredibileis victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos, sed nisi hæc vrbs stabilita tuis consilijs & institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longè atque latè: sedem quidem stabilem. & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sic vt inter nos fuit, magna dissensio: cùm alij laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent, alij fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli ciuilis incendium salute patriæ restinxeris: vt illud fati fuisse videatur, hoc consilij. serui igitur ijs etiam iudicibus, qui multis post seculis de te iudicabunt: & quidem haud scio, an incorruptius quàm nos. nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine inuidia iudicabunt. id autem, etiamsi tunc ad te, vt quidam falso

dam falso putant, non pertinebit. nunc certè pertinet, esse talem, vt tuas laudes obscuratura nulla vnquam sit obliuio. Diuersæ voluntates ciuium fuerunt, distractæque sententiæ. non enim consilijs solùm & studijs, sed armis etiam & castris dissidebamus. erat enim obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid diceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta Respub. est hoc misero, fataliq́ue bello: victis: qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: neque omneis, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos iudicaret. Arma ab alijs posita, ab alijs erepta sunt. Ingratus est, iniustusque ciuis, qui armorum periculo liberatus, animũ tamen retinet armatum vt etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in causa animam profudit. Quæ enim pertinacia est quibusdam, eadem alijs constantia videri potest. Sed quia iam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris: restat, vt omnes vnum velint, qui modo habent aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis: quia, nisi te, C. Cæsar, saluo, & in ista sententia, qua cùm antea, tum hodie vel maxime vsus es, manente, salui esse nõ possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur, & obsecramus, vt vitæ, vt saluti tuæ consulas: omneisque tibi vt pro alijs etiam loquar,

quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cauendum sit, non modo excubias, & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum pollicemur. Sed vt vnde est orsa, in eodem terminetur oratio mea: maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæsar: maiores etiam habemus. nam omnes idem sentiunt: quod ex omnium precibus, & lachrymis sentire potuisti. sed quia non est astantibus omnibus necesse dicere: à me certè dici volunt: cui necesse est quodammodo, & quod volunt, & quod M. Mar. à te huic ordini, populoque R. & Reip. reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. nã lætari omneis, non vt de vnius solum, sed vt de cõmuni omnium salute, sentio. Quod autem summæ beneuolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, vt vix C. Marcello, optimo, & amantissimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini, cùm id sollicitudine, cura, labore tamdiu præstiterim, quam diu est de illius salute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, molestijs, doloribus liberatus, præstare debeo. Itaque, C. Cæsar sic tibi gratias ago, vt omnibus me rebus à te non cõseruato solùm, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me vnum merita, quod fieri iam posse non arbitrabar, maximus, hoc tuo facto, cumulus, accesserit.

ADAMVS

ADAMVS STEZICIENSIS IN ORATIONEM CIC. PRO M. MARCELLO.

Quid dicat seu occasio.

CVm Cæsar, victo Pompeio, summa rerum esset potitus, singulariq; moderatione fuisset vsus, & omnes aduersæ partis ciues, & in his fere totum senatum, qui contra illum steterat in pristinam restituisset dignitatem. Marcello adhuc offensior erat, propter veteres simultates, ac simul timebat, ne si is restitutus fuisset, aliquid contra se moliretur. Hunc Senatus, motus, cum dignitate Marcelli, tum quod singulari fide ac virtute fuisset in Repub. maximaq; multitudo restitui, maximè cupiebat. Sed Marcellus forti & inuicto animo, restitui à Cæsare in patriam nolebat, ne ea quæ nollet Roma videret: Eum Cic: quo cum à pueritia familiariter vixerat, sæpè hortabatur, vt cederet tempori & necessitati pareret, quod semper sapientis habitum est. Eundem C. Marcellus frater, summis precibus obsecrabat, vt redire vellet, qui idem Cæsarem pro salute fratris assiduè deprecabatur. In Senatu, præsente Cæsare, quum à L. Pisone mentio esset facta de M. Marcello, quumq; C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset, senatus cunctus consurrexit, & ad Cæsarem supplex accessit, vt M. Marcello ignosceret, vbi Cæsar & si Marcelli acerbitatem accusasset, quod cum in Gallia

bellum gereret, à M. Marcello prædo appellatus sit, quod cũ senatu agere conatus sit, vt Cæsar ipse hostis patriæ, nisi poneret arma iudicaretur: quod decurionem Nouocomi, quam Coloniam Cæsar deduxerat virgis cæciderit: Alias quoque Marcelli offensiones commemorasset: periculaq́, quæ sibi à suis inimicis impendere suspicaretur, exposuisset: seq́, satis vixisse dixisset. Tamen postulationi acquieuit, illiusq́ precibus dedit, vt quemadmodum alij, sic ipse M. Marcellus, cum Reipub. & Senatui, tum amicis petentibus redderetur, suamq́ dignitatem restituerit. Senatores rogati sententiam, Cæsari gratias egerunt. Cic. qui statuerat pristinæ dignitatis desiderio tacere, Cæsaris magnitudine animi, & clementia, & senatus officio commotus, mutauit consilium. Itaq́ pluribus verbis hac oratione, omnium nomine, egit gratias Cæsari, ac eius admirabilem clementiam ita commendauit, vt ea nil magnificentius, aut illustrius, factum esse à Cæsare ostenderet. Cuius hæc est summa. Principio causam dicit, cur cũ silere in senatu perpetuo decreuisset: tamen ad suum pristinum morem dicendi rediret. Deinde res gestas Cæsaris, anteponit omnibus imperatorum populi Romani, exterarum gentium, potentissimorum populorum, regum clarissimorum rebus gestis. Sed multo eum maiorem dicit consecutum gloriam, quod animum suũ vicerit, quod iracundiam cohibuerit, quod victoriã temperauit, inimicum suum pristinæ dignitati restituerit. Tertio, promittit Cæsari, nulla neq́ à M. Marcello, neq́ ab omnibus si qui supererent inimicis quidquam insidiarum extimescendum esse. eum denique hortatur vt

Rempub.

Rempub. quam ipsius belli impetu. iacere necesse fuit, constituat, vitæq; & saluti suæ propter Rempub. consulat. Qua in causa pollicetur, & suo, & Senatorum reliquorum nomine, non solum excubias, & custodias, sed laterum suorum & corporum oppositus, ad vitam eiusq; salutem tutandam. Postremo Cæsari gratias agit, quod Marcellum Reipub. restituerit.

Genus Causæ.

GEnus causæ demonstratiuum est; omnes enim gratiarum agendi formas, laus quædam comitatur. Itaq; & Cic. maximam partem huius orationis in extollenda Cæsaris clementia complexus est. Quanquã autem secundum multorum sententiam illa purgatio suspitionis, quam in medio orationis cursu collocauit, Iudiciali tribuitur causæ: nos tamen refutationi eam, docendi gratia subiiciemus.

Status seu constitutio.

EXornationis quidem genus græci volunt esse asistaton, hoc est sine statu, quod in eo amplificatio proprium locum habeat. Amplificamus autem certa, non incerta: confessa, non dubitata. Est tamen in hoc genere quædam constitutio, nempe caput, ad quod omnis refertur, & reuocatur quæstio, quæ vocatur status qualitatis: non quidem ex illa conflictione causarum, vt in genere iudiciali, sed extra contentionem natus. Sit igitur status seu propositio orationis. Cæsar Maximam laudem in restituendo Marcello consecutus est.

uare licet, illud cum reipsa pulcherrimum, tum vsu frequentissimum esse.

2. Ex diuisione cum diuidimus vel facta, vel opiniones, vel ipsa tempora: Facta, vt cum duobus admissis facinoribus, per ea aliquam accusationem diuidimus. Opiniones, in antecedentes, & consequentes. Tempus, in præteritum, præsens, & futurum. Quod genus exordij est, ingeniosum, elegans, eruditum: offendens oratorem captantem laudem ingenij, eique multis laudis adferens.

3. Ex actione abundanti vel superflua, quo vtimur, cum volumus dare significationem æquitatis, dicimusque nos non velle summo iure agere, neque maiorem pœnam postulare, quam æquum est, sed minore contentos esse. Quale hoc est. Poteram tecum agere de publico crimine: sed agam de priuato. Quod genus exordij facit moratum, estque iudiciorum proprium, non generis demonstratiui, aut deliberatiui.

4. A circumstantijs, seu attributis causæ, tempore, loco, interuentu, alicuius interpellatione, dicto aduersarij forma iudicij, sententia generali. Quod genus exordij oratorem eruditum, nec suspectum fidei, efficit: multumque potest, ad occultandum ipsius studium, & artificium, cum non domi conquisitum, aut conscriptum: sed quasi ex tempore, & subito, & præsenti loco, tempore, & alijs circumstantijs natum esse videatur. Quale hoc nostrum præsens exordium dicimus. Est enim ex opportunitate & præsenti occasione. nimirum rumpendi diuturni silentij desumptum. Dies inquit hodiernus finem diuturni silentij attulit. Cum vero,

vero trium maximè causa, exordia instituantur. Benevolentiæ, attentionis, & docilitatis. Hæc eadem hic præstat. Benevolentiam primo comparat, partim à personis senatus, suæ, cæsaris, Marcelli: partim à rebus ipsi causæ proprijs, vt à causis silentij, causis dicendi, Clementia Cæsaris, restitutione Marcelli. Cum vero pollicetur se ea quæ vellet & sentiret de repub. dicturum, reddit attentum auditorem, & benevolum, à personæ suæ commendatione: cum dicit, quæ vellem quæque sentirem, est etiam locus attentionis, ex significatione rei de qua dicturus est, & magnitudinis eiusdem cum dicit, tantam enim, vbi quoque & dociles auditores facit. Est quoque locus docilitatis cum dicit, ex quo profecto, qui locus continet, veluti significationem generalis propositionis totius orationis: Cæterum cum inuentionis sit etiam motus inuenire. Hoc exordium his maximè duobus affectibus, usque leniorib⁹ aspersum est, voluptate & gratia, siue beneficio de quibus vide Aristotelem. 2. Rhetoricorum.

Dispositio exordij.

QVoniam omnis collocandi ratio præcipuè in tribus spectari solet, in partibus orationis, argumentis, & argumentationum partibus. Quantum ergo ad dispositionem partium exordij attinet, Hermogenes grauissimus dicendi magister, quatuor partes statuit. ex quibus constant proœmia, quam partitionem Sturmius ita commendauit, vt siue Ciceronis, & aliorum exordia cum rhetorica analysi legimus, siue stylum in manus sumimus, siue aliquid nobiscum meditamur, nunquam nos ab

nos ab ijs digredi velit. Prima pars est exordij protasis seu propositio, in qua sit expositio aut opinionum, aut diuisionis, aut abundantiæ, aut circumstantiarum & attributorum causæ. 2. Kateskeuin seu confirmatio, quæ expositione non solum vnius, sed etiam multarum causarum conficitur. 3. Apodosis quæ à nostris reditio dicitur: in hac vel postulat, vel præcipit, si tantum habet authoritatis orator. 4. Basis seu conclusio. cuius sunt duo officia primum respicere illud quod præterit Secundum viam sternere ad id quod sequitur: non enim decorum est ex abrupto in partes orationis irruere. Quas omnes partes hoc exordium complectitur. Prima est protasis eaq; gemina, seu coniuncta ex contrarijs. Cum dicit, Diuturni silentij, *Secunda confirmatio,* tantam enim manfuetudinem, &c. *Huic subiuncta est Epikataskeuin, in qua primo est expositio planior, superioris rationis, deinde amplificatio facti cæsaris, dum dicit,* M. enim Marcello vobis, &c. *Tertia est apodosis quæ non modo est breuis superiorum complexio, sed etiam aperta rei constitutio dum dicit,* Ergo mihi meæ pristinæ, *Huic adiuncta est quoq; approbatio dum dicit,* intellectum enim est mihi, *Quarta conclusio exordij, in qua est totius orationis propositionis significatio hoc loco,* Ex quo profecto intelligis.

Dispositio Argumentorum exordij.

PRimo quidem illud in genere sciendum est, quatuor esse quæ oratorem in sua oratione præstare oportet, vt aut narret, aut probet, aut amplificet, aut ornet. In

Proæmio

Proœmio quidem nihil narrat, sed tamen probat, amplificat, ornat. Si probat, necesse est vt habeat id, quod probat vt quæstionem seu problema. Idcirco propter argumenta istius exordij declaranda, primo perquirendum est problema, quod hic tale esse potest. An restitutio Marcelli finem tacendi Cic. adferre debuerit: Primum argumentum ex loco causarum. Magna, inusitata, inaudita, incredibilis, ac pene diuina virtus silentio præteriri non potest. Sed C. Cæsar magna inaudita incredibili ac pene diuina virtute præditus est. Ego eam tacitus præterire non possum. Secundum argumentum quo probat minorem ex effectibus. Quæ virtus mihi vocem restituit, patribus conscriptis & omnibus spem de repub. dedit, illa est magna: sed cæsaris mihi vocem, illis spem dedit. Ergo est magna. Vtrumq; probat suis enthimematibus, idque non sine mediocri amplificatione, quam spectare elocutionis erit. Tertium quo probat eandem maiorem à minori ad maius. Si in accepto magna gloria est: multo maior est in dato.

Collocatio partium Exordii.

Constat hoc exordium quatuor partibus, Propositione, Ratione, Rationis Confirmatione, complexione.

Propositio, Taciturnitati meæ finem hodiernus dies attulit.

Ratio propositionis, Quia cæsaris virtutes tacitus nullo modo præterire possum.

Rationis confirmatio, Quia Marcello restituto & meam & Reipub. dignitatem cæsar cumulauit. & eodem Marcello absente mea dicendi facultas tacuit.

Comple-

Complexio, Ergo & meam dicendi consuetudinem & senatus authoritatem cum M. Marcello nobis restituit.

Diuturni: *Propositio exordij qua suæ taciturnitatis finẽ factum esse proponit: In illa enim Reip. calamitate perpetuo sibi tacendũ Cic. constituerat. vbi à sua persona beneuolentiam Cæsaris sibi comparat,* diuturni, *Cic. enim illo toto tempore, quo bello ciuili ardebat Resp. tacuit,* Dolore, *vel ob Reip. calamitatem, vel ob Marcelli absentiam,* verecundiam, *Quia pudebat me aliquid dicere in Senatu* pristino more, *vt pro mea consuetudine vtar facultate mea dicendi,* Tantã. *Ratio propositionis, cuius sensus est. Virtutes Cæsaris, nullo modo tacere possum,* Sũma potestate, *hoc est in summo imperio. Solent enim victores arrogantius & insolentius prosperam fortunam ferre,* M. enim. *Rationis confirmatio,* in eadem causa, *Pompeium mecum est secutus,* fortuna, *non esse, vt me restitutũ.* curriculo, *Curriculum dicitur spatium quo curritur. Hic autem metaphoricè pro dignitate Senatoria accipitur,* æmulo, *imitatore. Hæc enim dictio & in bonam & in malam rapitur partem,* Studiorum, *erat enim eloquentiæ & pietatis studiosissimus.* Socio, *comes & socius differunt. Socius est par, comes autem minor.* Ergo & mihi, *Conclusio exordij, quam artificiose tractat. cuius sensus est. Hoc beneficium Marcello præstitum, & ad se, & ad Remp. pertinere, ipsiq; Marcello honorificum esse. Hic igitur beneuolentiam, ex sua, Marcelli, Senatus, & Cæsaris persona colligit. Estq; hæc conclusio, ad laudem Cæsaris comparata, quo*

additus

aditus ad propositionẽ facilius pateret. Ergo, elegans concludendarum argumentationum & sententiarum apud Cic. particula, Pristinæ, quam in tuendis causis collocaueram, omnibus, Senatoribus, qui de Repu. desperabant, Sustulisti, dedisti Reip. dignitatis.

Elocutio.

Licet elocutionis difficilior sit quam aliarum partium ratio, ad ea tamen quæ ipsius sunt inquirenda, nihil est aptius, quam videre, quo dicendi genere aliquid sit contextum. Ex eo autem omnis elocutionis apparatus, vt est verborum electio, & eorum compositio, vt ornamenta tum sententiarum, tum verborum, vt periodi & numeri ipse deniq; affectus indicari potest. Qua propter quamuis in genere totam orationem temperato dicendi generi subiecerimus: illud tamen hanc partem orationis primam, maxime sibi vendicare non est dubium. Nam cùm ea sit exordij natura vt vehemens & pugnans, concitatum, & ardens esse non debeat: nec etiam contra languidum, frigidum, & iacens esse debet: ita fit, vt dum hoc vtrumq; ab hoc exordio alienum esse constet, in temperato dicendi genere maxime versatur: ita tamen, vt & acuratũ, & acutum, & instructũ sententijs & verbis aptum illud esse agnoscas. Licet etiam videre in eodẽ exordio, formam illius dicendi generis, quod Græci itikon, nostri moratum, vocant. Significatione enim morum suorum, & vita Cæsaris, Marcelli, non solum amabilem & iucundam orationem reddit, sed etiam aptam ad beneuolentiam conci-

liandam. Sed iam ea quæ elocutionis sunt videamus.

Verborum electio.

VErborum, quoniam alia sunt singula, alia coniuncta, & singulorum alia propria seu nativa, alia reperta. Ex singulis quidem, illisq; natiuis, hic vsus est Cic. vsitatis, nitidis, sonantioribus, grauioribus, plenioribus, splendidioribus: ita, vt nullum obsoletum, aut inusitatum adiunxerit. Ex repertis vero, superlato, in voce, diuina iunctis verbis, conseruata tamen, intercluſam, anteferre. Additis ad nomen, Translatis.

Compositio seu iunctura.

IN compositione, cum illa sint maxima vitia, si aspera sit oratio, si hiulca, si extenuata. Hic nihil est asperitatis eiusmodi: verba enim verbis, ita æquabiliter iunguntur, vt neq; hiantes & disiunctos, neq; asperos concursus habeant. quod diligens consideratio loci indicare potest.

Figuræ.

QVoniam figurarum, aliæ sunt sententiarum, aliæ verborum. De sententiarum figuris illud debet teneri, quod de gemmis solemus dicere. Vt enim gemmæ pretiosæ, licet per se sint splendidæ: tamen cum auro includuntur, maiorem splendorem habent: ita sententiarum figuræ, & si per se venustæ sint, plus tamen luminis habent, si cum verborum figuris coniungantur illisq; includantur. Quod Ciceronem hic feciſſe constat. Sententiarum quidem vsu est prima ablatione cum

ne cum distributione, hanc exornauit copulatione, nō timore, sed dolore, *&c. Secunda commoratione quā exornauit verborum figuris Aetiologia, anaphora. epitetis augendi & amplificandi causa, traductione, incremento verborum,* tantam enim mansuetudinem, *Tertia commoratione, seu expositione, & hanc exornauit Aetiologia, copulatione, dirimenti copulatione dum dicit,* non solum illius, *omioptoton, periphrasi Marcelli dum dicit,* virum talem, *Interpretatione dum dicit,* vehementer angebar, *commutatione per contrarium dum dicit,* qui in eadem causa, non in eadem fortuna, *periphrasi senatus dum dicit,* vestro veteri curriculo, *Ikon & metaphora dum dicit,* Quasi distracto, *Quarta est conclusio. Exornatur figura ikon, præmunitione, audaci metaphora,* quasi signum extulisti, *similiter desinentibus,* abstulisti, sustulisti, *Quinta amplificatio beneficij, facta per distributionem, & conglobationem effectorum. Exornata Aetiologia, auxesi, periphrasi per demonstrationem,* intellectum enim est mihi. *Sequuntur ha, redditio,* cum tum, *epiteta, similiter cadentia. Sexta entimema. Exornatur contentione per contrarium,* ex quo intelligis, *Septima sententia Epiphonematica, seu asseueratio,* est vere fortunatus ille, *Exornatur anastrophi,* cuius ex salute, *traductione,* ventura, prouenerit, *Octaua expolitio. Exornatur Aetiologia, repetitione, interrogatione, superlatione.*

De amplificatione beneficiorum in genere, tum quomodo hic beneficium Cæsaris amplificauerit.

Aristoteles in lib. Rhetoricorum 2. vbi de gratia & beneficio dicit, eius tum augendi, tum enumerandi omnes rationes indicauit. Beneficium quidem ille esse vult id, quod suppeditatur egenti: non quod aliquid iam acceptum sit, non quod vtilitas speretur: sed vt illi tantum commodetur in quem transferri solet: in quo tria spectanda ille proponit. Primum qui accipit, Secundum quod datur, Tertium qui dat. Ex quorum trium conditionibus copiose augentur beneficia, quæ quidem conditiones sunt eiusmodi. Prima ex eo qui accipit, si valde egenti datum est, & cum aliquis expetit cum molestia, cum in corporis conflictatione, cum in periculis, in paupertate, in exilio. Secunda ex eo quod datur. Si magnarum rerum, si difficilium, si opportunum. Tertium ex eo qui dat, si solus, si primus, si copiose. Quæ omnis amplificandi ratio, ad illa summa genera, quæ cathegoriæ vocantur deduci potest. Et primo hoc in substantia spectari debet, quid sit datum, Secundo in quantitate magnitudo, Tertio in qualitate bonitas & vtilitas beneficij. Quarto in quando, quo tẽpore, si cito, si opportune. Quinto in vbi, & spectatur locus: maius enim beneficium videtur, quod extra patriam degenti alicui confertur, quam quod in patria. Atque ita in amplificando beneficio, omnes planè circumstantiæ locum habent. Non est igitur difficilè ex ijs colligere. Vnde Cæsaris beneficium in hoc loco Cic.

ampli-

amplificat. Primo ex eius quod datum est magnitudine, quod scilicet in multos beneficium illud restitutionis Marcello diffunderetur: nec solum in Marcellum, sed etiam in Ciceronem, in senatum transferatur. Deinde ex eius vi, quod aliud, atque alia in se contineret, scilicet quasi signum ad bene de omni Repub. sperandum. Secundo ex eius persona qui accepit quod illo dignus esset propter sua ornamenta.

Periodi & numeri.

IN temperato genere dicendi, ea est periodorum ratio, vt potius illis quam membris, aut incisis oratio concludatur. quod præceptum in hoc etiam exordio Ciceronem expressisse videre licet. Periodis enim vtitur artificiosis, tum Rhetoricis, tum historicis: membratim etiam interdum varietatis causa nonnulla interseruntur. quo in texenda oratione nihil aptius esse, docet Cicero, Diuturni silentij, periodus est historica: neque enim circumducta, neque nimium est remissa propter verbum, quod est in medio, Attulit. Ad hoc enim tota refertur, est tamen plena, & perfecta, quam ab anapæsto inchoauit, & Epitrito primo finiuit, tantam enim, periodus est cita: in ea enim ex vltimo verbo cætera dependent, quam periodo quinque membrorum seu periodico dilatauit, à choreo incipiens in dichoreum desinit, Marcum enim, periodus dicolos quæ oritur à spondeo, & clauditur pæane primo. videbis etiam in hac periodo macrocoliam: est enim apodosis seu finis longior protasi, seu principio, quæ ve-

bementer crasso apud Ciceronem probatur, dolebam enim, *periodus quinque membrorũ, incisim & membratim tractata, à bachio incipiens epitrito secundo clausa*, ergo &, *conclusio circumducta periodo dicolos, sspondeo inchoata, epitrito 2. clausa*, intellectum est enim, *membrata tractatio, quæ ne vagasit, periodo bimembri circumducitur, incipit ab Epitrito 4. clauditur dichoreo*, ille quidem, *periodus historica, à choreo incipit, desinit in creticum*, est vere, *periodus dicolos, incipit à dichoreo, desinit in Ionicum maiorem* quod ei contigit, *est extra comprehensionem*, quis enim, *periodus interpositione incisorum dilatata clauditur epitrito 3.*

Propositio orationis.

SEcutus ordinem iudicij, narratione prætermissa, partim quod offensiones narrare nihil opus esset, partim quod nota res esset. Post exordium totius causæ, ad quam omnia referuntur argumenta propositionem proponit, quæ quidem simplex est, & absq; diuisione seu partitione. vel eo potissimum nomine, quod in exordio non obscure ostendit, quibus de rebus cæsarem esset laudaturus: inde etiam factum est, cur eam propositionem, non nudam, sed cum amplificatione posuerit. Est autem propositionis constitutio eiusmodi. Et si ex tuis rebus gestis, magnam gloriam es consecutus: tamen ampliorem ex restituto Marcello.

Obseruationes circa propositionem.

1. *Et si cæteræ orationis partes, aliquando prætermittuntur, nunquam tamen propositio prætermitti*

debet;

debet: est enim caput totius causæ & pars partium necessaria.

2. *In demonstratiuo genere si fuerit simplex propositio, hoc est absq; diuisione, non tamen nuda, sed cum amplificatione poni solet.*

3. *Omnis propositio perspicua & dilucida esse debet Ratio. Eius enim est docilem auditorem reddere.*

Elocutio.

VErba hic sunt sonantia, *tum ex vocali A, tum ex compositione, & ex pluralitate syllabarum, vt*, exornare, narrare.

Figuræ.

NUllius tam, *amplificatio facta per comparationẽ*, Flumen ingenij, *metaphora, eaq; audacior, exornationis causa*, nulla dicendi, *anaphora per traductionem, vnius vocis mutatione, generum & casuum*, tanta vis, tantaque copia, *periphrasis eloquentiæ*, exornare, enarrare, *hiperbole*: non dicam, *ablatio est cũ correctione & agnominatione*, C. Cæsar, *apostrophi cum propositione comparationis*, hoc affirmo, *Assẽueratio*, hoc pace dicam, *præmunitio seu mitigatio, ne videatur res bellicas Cæsaris nimium extenuare.*

Periodi & numeri.

TOta hæc orationis compositio, *ad duas periodos dialogicas easq; diuisas potest redigi. prima incipit ab*

Antibachio, desinit in choreum præcedente spondeo. Secundo ab Anapæsto, clauditurq; pœne 2.

Tertia pars orationis confirmatio, *Soleo sæpe.*

EX comparatione rerum gestarum Cæsaris, ostendit quanta eius sit gloria, quod animi sui iracundiam vicerit, quum Marcello ignouit. Hãc animi victoriam, per amplificationem reliquis victoriis Cæsaris anteponit, quæ quo maior insurgat. anteponit Cæsarem rerum gestarum magnitudine, omnibus Romanorum imperatoribus, omnibus exteris nationibus potentissimis populis, & regibus clarissimis, sensus huius confirmationis est. Restitutio Marcelli, summam tibi laudem peperit. quod ita esse sex argumentis probat.

Primi argumenti inuentio.

IN hoc res fortiter à Cæsare gestas, cùm clementer facto orator comparat. ducitq; ex loco laudis facti proprio honesto: communi vero seu dialectico comparationis. Nam vt animi bona rebus fortunæ anteponuntur: sic clementer facta rebus feliciter in bello gestis sunt anteponenda. Cuius consecutionis locus communis apud Cic. & Aristotelem in Topicis ille est. Sua alienis, propria communibus, sunt præponenda, & illa quæ in nostra, quam quæ in aliorum potestate sunt, meliora. Nam cum victoriæ sint in fortunæ temeritate, virtus vero in hominis potestate, consequens est virtutem & clementiam, victoriis & bellicis laudibus, cæterisq; rebus magna cum felicitate gestis, esse præponenda.

Dispo-

Dispositio primi argumenti.

Tractat hoc argumentum syllogismo quadripartito, propositione, Ratione propositionis, Assumptione, & Ratione assumptionis.

Propositio. Virtus bellica non est propiè tua, & tamen magnam tibi laudem attulit.

Ratio. Quia ex bellicis rebus & miles, & fortuna aliquid sibi vendicant.

Assumptio. Sed hoc clementer factum, est propriè tuum.

Ratio assumptionis. Quia in illius societatem, nec miles, nec fortuna se offert.

Conclusio prætermissa: Ergo hoc factum summam tibi laudem peperit.

1. *Obseruabis hoc loco Ciceronem, & quosuis bonos scriptores argumentationem suam aliqua insigni & acuta sententia solere concludere. Secundo, Obseruabis contentionem seu comparationem rebus extollendis & amplificandis aptissimam esse. Tertio. Quando res cum cæteris rebus conferuntur, tum illæ quæ ad comparationem assumi solent, etiam summis laudibus sunt extollendæ. Ratio tum enim vt personarum, ita rerum laus eluceſcit maxima, quando cum personis & rebus laudatissimis conferuntur. Quarto, cauendum est, ne dum in comparatione vtrāq; rem & efferimus in ea quam extollendam assumpserimus, negligentiores videamur.*

Soleo, *hic est propositio Argumentationis*, nec numero, *Refert enim Plinius lib. 7. præter ciuile bellum centum & nonaginta duo millia hominum, à*

Cæsare in prælijs cæsa esse, varietate, *Galliam enim Britaniam*, & *Germaniam denicit*, *Ptolomæum Ægypti regem*, & *Pharnacem Mithridatis regis filium in Ponto prostrauit*, Celeritate, *tanta enim celeritate Pharnacem oppressit*, *vt illius verba sæpius ab hystorijs repetantur*. *Veni*, *vidi*, *vici*. Passibus, *Passus dicitur*, *qui constat ex quinq; pedibus*, *pes autem constat*, *ex sex palmis*, *palmus autem ex quatuor digitis vide Alexandrum lib. 2. Cap. 20.* Quæ quidem, *concessione dilatat propositionem*, *aditumq; ad rationem patefacit*, *sensus est*. *Quanquam magna hæc esse fateor tamen alia sunt in te multo maiora*, Nam belli, *Ratio propositionis*, & certè *sententia eleganti dilatat*, classis, *Classis multa significat*. *Aliquando populum in partes secundum censum distributum*, *vt Romæ in quinque classes*, *teste Dionysio Halicarnaseo*. *Aliquando nauium multitudinem*: *Aliquando ordinem scholarium*: *Aliquando exercitū*, *vt hic accepit Cicero*, commeatus. *Cibaria ad multitudinem alendam*, suo iure *Casum enim & fortunam in nobis esse scripsit Cic. Vnde fortunam in Manliana oratione requirit in imperatore*, At vero, *hic est Assumptio Synonimia dilatata* socium, *Affectus enim in nostra fuit potestate*, *quibus nosipsi imperamus*, nihil, *Ratio Assumptionis contraria rationi propositionis*. *Hanc dilatat partitione*, centurio, *qui centum pedites habet*, cohors, *cohors quingentos*, *& quinquaginta pedites*, *sexaginta sex equites*, *in se continet*, Turma, *triginta tres equites continet*, Domina, *cuius vim & potestatem Cic. in nos prorogatam esse scripsit ad Q. fratrem*, *proinde*

inde fortunam furentem, cæcam, in saxo volubili vi-
reamq́; fingunt pictores, vide Alexandrum lib. 1.
Cap. 13. & ad Herennium lib. 2. Nunquam, *appro-*
batio per communem sententiam. Quia fortuna cum
sapientia, nihil commune habet.

Elocutio.

ORationem hanc, *& si temperato dicendi generi*
subiecerimus, hic tamen locus qui exornatione
& amplificatione constat, sensim assurgit, & ad illud
vehementius genus se inclinat. Hoc vero constat, ex
verbis, quæ sunt sonantia, vt in superlatiuis. Item
grandia & magna verba, cum syllabarum, tum tem-
porum numero; superlata, idem significantia. Soleo
circumductio cita dilatata per distributionem, eamq́;
duplicem, primo eorum, quos superaret Cæsar. Se-
cundo eorum quibus illis esset superior: distincta mem-
bris & incisis breuioribus. Exornata synatrismo, seu
congerie, eaq́; rerum differentium, distributione, cre-
bra anaphora, omioptoto, Isocolo, epitetis electis &
significantibus, Est autem hæc periodus quinq; membro
rum, quæ periodicon iam appellatur, incipit ab Ana-
pæsto, clauditur autem multis longis, hoc est molosso præ
cedente spondeo, Nec vero, *Aetiologia cum Auxesi*
& hiperboli, Non sed, *dirimens coniunctio, præte-*
rea antitesis, clauditur autem multis longis hoc est mo-
losso. Quæ quidem, *breuis rhetorica periodus exor-*
nata epikrisi, item hiperboli, incipit à dactilo, clauditur
amphibracho, sed tamen, *membrum exornatum cor*
rectione concessionis, per antitesim clauditur bachio.

Periodus

Periodus dialogica, exornata Aetiologia, epimonin seu commoratione, eãdem enim sententiã pluribus verbis quæ fere idem significant exprimit, cum interpretatione, quæ est adhibita ad rem planius exprimendam & vrgendam, & certe *oratio dilatata enumeratione causarum adiuuantium in consequenda victoria, distincta breuibus incisis, exornata diminutione bellicarum laudum asseueratione,* & certe, *inconiunctio, quod Græce assyndeton dicitur,* Et quid quid, *interpretatio seu expolitio.* At vero, *Antitesis, & accommodatio comparationis in copulatione & periphrasi restitutionis M. Marcelli* Totũ hoc, *interpretatio cũ coniunctione & epinalepsi seu reuocatione verbi,* nihil sibi, *dilatata oratio ex vno verbo, hoc est militis, exornata commoratione, quæ pluribus verbis vnam rem exprimit, enumeratione per negationem, anaphora, correctione,* Quin etiam, *Gnomi,* Fortuna rerum humanarum domina, *clauditur amphibracho præcedente dactilo,* nunquam enim, *Aetiologia Epiphonematiki seu cum acclamatione, & Gnomi duplici sumpta ex repugnantibus.*

Secundum Argumentum Confirmationis.

DOmuisti gentes, *Cæsaris victorias amplificat, ve animi victoriam faciat maiorem. Maior enim cæsaris gloria est, si vicerit gentes, quas vinci erat difficillimum, quod immanitate essent barbaræ, multitudine innumerabiles, locis infinitæ, & omni copiarum genere abundantes,* immanitate barbaras, *horridas, asperas, ab omni humanitate alienas, quas vincere semper est difficillimum, quales erant Afri, Aegyptii, Britani,*

Britani, Celtæ, ex quibus trecenties victorem fuisse cæsarem scribunt, iracundia, *Iracundia est naturalis propensio ad iram. hic pro ira accipitur,* victoriam, *quæ sæpè numero insolēs est,* obstrepi, *obloqui improbari à militibus,* tubarum, *sociorum, auxilijs,* inimica. *Ira enim, vt Cato dixit, impedit animum, ne possit cernere verum. Hic obserua sententias morales* 1. *Ira est inimica consilio* 2. *Victoria est natura insolens & superba* 3. *Viros præstantes etiam mortuos diligimus,* insolens, *vide exemplum apud Iustinum lib.* 1. *de Cyro à Regina Tomiri victo,* in fictis, *vt in Aenea de Virgiliana, Aeneam, constantem, iustum, fortemq; diligimus,* Mente, *mentem alterius nemo contueri per se potest, nisi ex rebus bene, aut malè gestis,* vt quicquid, *hoc est, vt quibuscunq; fortuna pepercerit,* laudibus, *laudem inde summam consecutus es,* parietes, *hoc est clementiam tuam, etiam parietes prædicant,* curiæ, *Binæ erant apud Romanos curiæ. Altera sacerdotum in qua sacra procurabant, altera in qua senatus de Repub. consultabat,* Auctoritas, *hoc est Marcelli, sensus est. Quod Marcellus dignitati senatoriæ restituetur,* Marcelli, *fratres huius Marcelli,* lachrymas, *hoc est cum in senatu ad pedes cæsaris se se abiecissēt.*

Inuentio Argumenti 2.

HOc *secundum Argumentum sumptum est ex loco proprio difficili. Communi autem loco comparationis: sic enim res hic comparantur, vt laboriosa proeliuibus, præstantiora esse iudicentur. de hoc vide Cic.*

in 3.

in 3. Topic. Chariora enim ea semper solent esse, quæ diligenter parantur, vt in illo veteri proverbio. Quæ difficilia pulchra: virtutis enim proprium est, in arduis & difficilibus consistere.

Dispositio secundi Argumenti.

Propositio, Difficilius est iram in victoria cohibere, quam hostes superare, ex quibus tu laudem percipis.

Ratio propositionis, Quia nihil est quod vi & ferro vinci non possit.

Approbatio, Innumerabiles enim gentes tu superasti.

2. *Ratio propositionis,* Quia talis hostium victoria extenuatur: moderata autem victoria, nos voluptate quadam afficit.

Assumptio, Sed tu iram cohibuisti.

Ratio Assumptionis, Quia Marcellum restituisti.

Complexio, Ergo summam laudem adeptus es. sed conclusionem bis repetit.

Notanda est huius argumentationis liberior & oratoria collocatio. Primum enim approbationem propositionis ponit. cum dicit, domuisti gentes, *Secundo loco rationem propositionis,* nulla est enim, *Tertio propositionem,* verum animum vincere, *Quarto, conclusionem,* itaque cæsar, *Sexto Assumptionem,* te vero quem præsentem, *Septimo Rationem Assumptionis,* Equidem cum M. Marcelli, *vltimo complexionem,* hunc tu igitur diem.

Elocutio

Elocutio argumenti.

LOcus hic confirmationis non in minori quam superiora amplificatione consumitur, quod ex toto apparatu elocutionis, hoc est verbis, ornamentis, compositione, circumductionibus, numeris, affectibus, facile conflat, Domuisti, Amplificatio insignis victoriarum Cæsaris, facta ex eorum attributis, quæ vicerat, Periodus est dicolos, ornata concessione, metaphora à feris tracta, dialito seu inconiunctio, epitetis in ablatiuis commutatis, diminutione & correctione, nulla enim, Periodus dicolos, ornata Gnomi seu sententia, repetitione, inconiunctio, similiter cadentibus similiter desinentibus, estq; periodus cita, propter vltimum verbum ex quo tota dependet, verum, periodus tricolos ex incisis constans, exornata commoratione, seu finatrismo, paribus, omitoleuto, articulo, metaphora, dirimenti copulatione, quæ augendis & extollendis rebus multum seruit, Hæc qui, Epiphonima seu exclamatio, quæ cum in principijs tum in fine plerumq; locum habet, Itaque, periodus dicolos, ornata concessione cum diminutione, & correctione, præmunitione, audentioribus auxeseos, seu hiperbolis, sed penè omnium, Erminia, neque vlla, seu interpretatione, sed tamen, oratio dilatata, & circumducta periodico, illuminata remotione, cum correctione, sed tamen, ad extenuationem adhibita aporia seu dubitatione, nescio, Allegoria & ikon, At vero, hic obseruabis pulchrum repetitionis exemplum facta per coniu-

gata,

gata. Nam cum in exordio posita fuissent nomina, vt mansuetudo, clementia, & cætera. hîc vtitur aduerbijs. Deinde vero permisto ordine, quæ ad orationem versam, atq; mutatam pertinent. Docet enim Cic. in partitionibus. In coniunctis verbis triplicem adhiberi commutationem, eamq; non verborum, sed ordinis tantummodo. Directam in qua naturæ ratio habetur, inuersam in qua quasi sursum versus dicitur: & permistam, cuius hic est exemplum. Exornata autem oratio est, congerie, articulo, interpositione, incremento, sententijs distributione, interpretatione, Te vero, periodus dicolos exornata apostrophi, interpretatione, distributione, traductione per casus, erotisi seu interrogatione. Epimoni, seu commoratione, eadem enim rem, ter mutatis verbis repetit, ad amplificationem & exornationem. Estq; hîc Isocolon seu compar; verba enim verbis dimensa sunt, Parietes, periodus dicolos. Epiphonemate per prosopopæiam exornata, cum assueratione, compellatione, præmunitione, per interpositionem, Aetiologiã, Equidem, periodus tetracolia, exornata amplificatione personæ, per adiuncta, commiseratione, metaphora, insigni in verbo, effodit.

Tertium argumentum confirmationis.

Hæc enim res.

Sumptum est hoc argumentum, ex comparatis, cuius dispositio est eiusmodi.

Propositio. Propria & summa laus est, quæ nunquam est finem habitura.

Ratio

Ratio propositionis, *Quia omnia consumit, & conficit vetustas.*

Assumptio, *Sed clementia tua in dies floreſcet, eritq; perpetua.*

Complexio, *Ergo ſummam laudem tibi attulit. Hoc autem argumentum breuius tractat: propoſitionem enim cum concluſione prætermiſit, & rationem propoſitionis, aſſumptioni inſeruit*, hæc eſt, *Hic eſt aſſumptio quam comparatione rerum bellicarum amplificat*, Trophæis, *victoriis, dicitur autem trophæum monumentum vel marmoreum, vel lapideum, vel æneum, victori eo in loco, quo hoſtes vicisſet, extructum, & erectum. Vide Alexandrum lib. 1. cap. 22. de varietate trophæorum*, nulla eſt enim, *Ratio propoſitionis, per communem ſententiam*, At vero, *2. pars Aſſumptionis.*

Elocutio.

IN *hilaritatem ſeſe conuertit orator, verbis vtitur nouis, & innumerabilibus, cuiusmodi verbis, locus in rebus lætis, & amœnis eſſe ſolet: tum grandioribus*, hæc enim, *eſt periodus quatuor membrorum, exornata commoratione, ethimologia cũ aphæreſi*, nihil enim, *monocolos periodus, exornata gnomi ſeu ſententia, cum metaphoris illuſtribus*, At vero, *periodus dicolos, ornata antiteſi cum redditione*, tantum, quantum, *metaphora*, floreſcet.

Quartum Argumentum,

Et cæteros quidem.

Argumentum eſt concisè tractatum, cuius eiuſmodi diſpoſitio eſt.

Alios clementia vicisti, nunc autem teipsum. Ergo summam laudem adeptus es. Antecedens tantum ponit, neglecta conclusione Argumentum hoc Cic. periodo dicolo circumduxit, quod exornauit tum epiphonemate, tum traductione, viceras, vicisti.

Quintum Argumentum,

Vereor vt hoc.

NE quis putaret, nihil esse maius & difficilius, quam seipsum vincere, quod magnum fuit: tamen altius quiddam esse ostendit nimirum victoriam ipsam vincere. Quod & si minus cohærere videatur: si enim victoria est, non vincitur: si autem vincitur, non est victoria: contraria si quidem simul esse vera non possunt: vide tamen quomodo victoria vincitur in hoc argumento ducto ex causis, quo probat post summam victoriam, sequi summam gloriam.

Propositio, Hodierna die, victoriam ipsam vicisti, cum Marcello & nobis omnibus pepercisti.

Conclusio, Ergo summam laudem consecutus es.

Antecedens dilatat tribus rationibus, prima, nam cum, *quia omnibus victis pepercisti, 2.* Atque hoc, *Quia nos errore lapsos, clementer subleuasti, & Marcello parcendum esse putasti. Sed hanc translatione mitigauit,* non ille, *cum suam culpam in errorem transfert. Tertia ratio,* quo quidem, *quia pacem quam ego semper optabam, hac victoria te optasse declarasti. Sed hanc suis consiliis & factis, deinde cæsaris clementia amplificauit, dum dicit,* neque enim, *cuius*

loci

loci sensus est. Non fui author belli, quanquam Pompeium eram secutus. Ratio prima, Quia Pompeium vt amicum secutus sum. Ratio, 2. Quia semper in senatu omnes ad pacem traducebam. Deinde cæsaris clementiam amplificauit dum dicit, ex quo, *vbi cæsarem eodem quoque animo fuisse colligit. cuius loci tale argumentum est enthymematicum. Pacis auctores libenter conseruauit, Ergo pacis cupidus fuit. Hoc idem probat secundo argumento*, Atque id minus, *Quia non solum ante bellum, sed etiam post victoriam pacis authores diligit. Ergo bellum non expetebat. Antecedens amplificat*, Quoties, *Quia vidi eum exitum belli extimescentem, Ergo erat pacis studiosus.*

Sextum Argumentum,

Non enim.

Quod per comparationem clementiæ cæsaris, & ferocitatis Pompeij copiose amplificat. cuius sit talis constitutio.

Omnes saluos esse in victoria voluisti. Pompeius autem omnibus minabatur.

Ergo summam laudem inde reportasti. Antecedens pro vtraque parte probat. Pro prima hoc modo. Qui in victoria omnes saluos esse voluit, ille summam laudem est consecutus. At qui tu cæsar voluisti. Assumptum probat. omnes enim in prælio cæsos ab inferis voluisti excitari. Pro secunda parte Antecedens probat, hac ratione, Alterius, *Pompeius enim in victoria fuisset crudelior, Ratio, Quia etiã otiosis minabatur. Hanc autẽ rationem sua epikrisi seu sententia orator auxit cuius*

sententiæ sensus est. Quamuis Dij hoc bello Romanos puniendos esse censuerunt: sed tamen placatos se esse, victoriam cæsari tribuendo, declararunt.

Elocutio.

VEreor, *periodus hæc, incipit à quatuor brevibus syllabis, vt celeritate earum timoris species quædam indicaretur. Estque tricolos, exornata paradoxo, seu inopinato*, nam cum, *periodus dicolos exornata antitesi*, Rectè igitur, *periodus dicolos, exornata epiphonemate, traductione, vt*, victoriam vicisti, victos, victoriæ, victi, *& cætera*. Atque hoc, *periodus tricolos, exornata apostrophi ad senatores, aporia seu dubitatione*, nescio quo, *cum epitetis fati, commiserationis gratia adiunctis occupatione & concessione*, etsi aliqua, *antiteto vt cum dicitur tenemur, liberati sumus*, nam cum, *periodus dicolos, exornata Aetiologia, epiteto*, non ille, *periodus dicolos ornata ablatione, purgatione, per remotionem causæ susceptibelli*, quo quidem, *periodus dicolos exornata contrariis*, pace bello, *similiter cadentibus, auxesi, dum dicitur, non modo pacem, sed & orationem*, neque enim ego, *periodus dicolos exornata Aetiologia cum procatalipsi, seu præoccupatione*, hominem *periodus tricolos ornata lysi occupationis, antiteto. vt priuato non publico Erminia seu interpretatione, vt*, tantumque, *dirimenti copula dum dicitur*, non modo, *& remotione falsarum causarum, imagine, vt. Tanquam ad interitum, & cætera*. Quod quidem,

perio-

periodus dicolos ornata significatione, vt, minime obscurum, *Aetiologia cum distributione, & hoc in ordine, & in ipso bello, similiter definentibus, vt cum dicitur, sensi dixi*, ex quo, *periodus tricolos ornata antiteto, vt in dictionibus conseruandos, ornatior*, Atque id minus, *periodus dicolos, ornata gnomi epiteto*, Atque huius, *periodus monocolos exornata asseueratione, reditione, antiteto, adiunctione, vt*, congruebant, *metaphora quoque in eodem verbo*, vidimus, *periodus dicolos ornata anadiplosi, seu circulo, hoc est eiusdem verbi in principio & in fine repetitione*, quos amisimus, *periodus tricolos ornata ablatione, superlatione*, Alterius, *dicolos periodus ornata praecisione, Aetiologia, cum dirimenti copulatione, ablatione*, vt mihi, *periodus dicolos, ornata epiphonimate, epicrisi.*

Conclusio omnium superiorum argumentorum, *Quare gaude.*

SEntentia huius conclusionis est, Ergo ea summa laude, quam consecutus es ex clementia, & mansuetudine fruere: ac eadem clementia, alios perge conseruare. Quem sensum primum Enumeratione, deinde sententiarum & verborum amplificatione auxit. Hic autem obserua, quam mirus & copiosus sit Cic. in claudenda oratione artifex. Hoc enim facere solet, vel per exhortationem, vel petitionem, vel conquestionem, & alias graues permouendi inflammandique formas.

Dispositio.

Huius conclusionis, tres sunt partes.

Propositio, *Fruere laude, virtuteq; tua.*

Ratio, Ex quo, *Ex gloria enim & virtute maximus est fructus, iucunditasque sapienti.*

Secunda pars oppositum, Cætera, *nam cætera plerunque felicitati attribuuntur.*

Tertia adaptatio est, De nobis, *fruere ergo gloria, quam ex hac clementi victoria consecutus es.*

Elocutio.

Quare, *periodus dicolos incipit à spondeo, claditur cretico, præcedente trocheo, spectatur in eo macrocolia,* ex quo, *Aetiologia est, estque periodus monocolos,* cætera autem, *periodus dicolos, ornata compensatione cum omologia seu concessione,* de nobis, *periodus tetracolia circumducta. Exornata conuersione, qua fit cum plures clausulæ eodem terminantur verbo, tum redditione, anaphora, epitetis laudandi causa adiunctis. Item auxesi epiphonematiki cum dirimenti copulatione. item præmunitione in dictione Audebo,* tantus est enim, *periodus tetracolia, ornata Aetiologia & gnomi cum traductione,* noli igitur, *Tricolos periodus ornata exhortatione, arsi & thesi, hoc est remotione & positione, interpretatione, dum dicitur. Et specie quadam,* non enim, *periodus dicolos, ornata Aetiologia, epiphonemate, antitesi.*

Quarta

Quarta pars orationis refutatio, seu purgatio, *nunc venio.*

Cæsar accusata Marcelli acerbitate, & commemoratis offensionibus. Primum se suspicari dixit esse quosdam, qui vitæ suæ insidiarentur. Deinde adiecit, se, & naturæ, & gloriæ satis vixisse. quod vtrumque Cicero in hoc loco refellit. Sunt ergo duæ partes huius refutationis, in prima, omnes ab illa suspicione insidiandi defendit. In secunda vocem illam cæsaris, qua se satis, vel naturæ, vel gloriæ vixisse dixerat, confutat.

Dispositio Refutationis.

Hanc refutationem Cic. tractat quatuor partibus prima est propositio seu protasis, nunc venio, *Secunda est hipophora seu positæ aduersariorum obiectiones quam propositioni adiunxit. Tertia est antiprotasis seu propositio contraria,* quam & si spero. *Quarta antipophora hoc est, ipsa refutatio obiectionum,* sed quisnam.

Prima pars Refutationis.

Inuentio.

In capite generalis explicationis, de genere causæ, præcipuum eius orationis genus demonstratiuum constituimus: huic tamen parti quæ apologitica seu defensoria & refutatoria est, iudiciale genus tribuimus: in refutatione enim conquestionis, & defensione

à suspicionibus versatur. Eius status est coniecturalis: est enim de futuro. Cuius sensus est. An sint metuendæ aliquæ cæsari insidiæ: in qua suspicione conuellenda, argumenta sumit ex coniecturæ loco, hoc est causarũ, voluntatis, facultatis. Docuit enim Cic. in partitionibus omnem defensionis rationem in coniecturali quæstione esse positam. Primum in infirmatione causarum, quas ille diuidit in voluntatem, & facultatem: id vtrumq; in hac parte à restitutis remouet duobus argumentis, primo per negationem 2. per concessionem.

Primum argumentum, primæ partis refutationis.

HOc argumentũ, in quo soluitur obiectio, est dilemmaticũ seu per diuisionem, vel vt Quintilianus vocat, per remotionem partium singularium, quæ ratio probationis inde valet, quia sublatis partibus, totum tolli necesse est. Sensus autem huius argumenti est.

Si tibi aliquis insidiaretur, tum, aut ex tuorum numero, qui te ducem habuerunt, aut ex hostium, quos vita donasti.

Sed neq; ex tuorum numero, neq; ex hostium.

Ergo nemo tibi insidiatur.

Priorem partem dilemmatis quæ habet suam hypodiaresim, hoc est sub diuisionem, probat hoc argumẽto

Si qui ex tuis amicis tibi insidiarentur: ij aut essent tui propinqui, aut qui vnà tecum in bello fuerũt

Sed neutri.

Ergo nulli ex amicis tibi insidiantur.

Eius

Eius dilemmatis primam partem simpliciter negando remouet, De tuisné? *hæc enim interrogatio,* De tuisné? *habet vim negationis. Alteram vero partem à turpi seu à repugnantibus. Secundam vero partem primi dilemmatis itidem probat hac diuisione.*

Si qui ex inimicis tibi insidiarentur: tum aut illi, qui iam occiderunt: aut quos tu conseruasti.

Sed neutri. Ergo nulli.

Minorem probat per subdiuisionem, quæ tota refutatio dilemmatica est.

Elocutio.

NVnc venio. *periodus dicolos, ornata transitione hipophora seu obiectione,* grauissimam quærelam, *quo in loco sunt quoq; epiteta sonantia, & significantia, tum propter numerum syllabarum, tum propter gradum superlatiuum, augendi causa adiuncta. Item Aetiologia,* quæ non tibi, *cum obiectionis amplificatione per distributionem, cum redditione in particulis,* cum tũ *clauditur Cretico præcedente trochæo* Quam etsi, *periodus dicolos, ornata pollicitatione solutionis, clauditur trochæo præcedente dactylo.* Tua enim, *periodus dicolos, ornata Aetiologia,* sed quis nã, *antipophora & lysis seu solutio obiectionis,* De tuisné? *Locus diuisionis, qua non solum probat, sed etiam exornat orationem,* Tam etsi, *correctio,* non est. *periodus tricolos, in qua spectatur isocolia quæ est parium membrorum connexio,* aut sua pertinacia, *alia diuisio cum omiotoleuto,* vt autem, *conclusio per prosa-*

podosim quam Cic. in distributis suppositam rationem vocat: hoc est, cùm duobus, aut pluribus propositis, sua cuiq; ratio subjicitur.

Secundum argumentum, primæ partis refutationis. *Sed tamen cùm in animis*

PRiori argumento suspicionem insidiarum quam Cæsar conceperat, falsam esse Cicero ostenderat, eo quòd nec amici, nec inimici ipsi insidiarentur. Sed quoniam dixerat, non se illâ extenuaturum verbis. In hoc loco cõcedit posse aliquos fieri ex restitutis tã improbos, qui id sceleris cogitarent, quod tamen postea refutat.

Inuentio argumenti.

HOc argumentum concessione tractatum, & compensatione: concedit enim ex restitutis esse aliquos, qui Cæsari intentarent periculum, quod tandem refutat. Quæ quidem refutatio, vt in coniecturali quæstione fit, facta est remotione causæ, hoc est voluntatis & facultatis. Ac voluntatem quidẽ cum refutari doceat Cic. in partitionibus. Primo examinatione causarum, quæ adferuntur. Secundo consideratione animi motuum. Hic refutantur causæ impellentes, id est motus animi, vt ira & odium; ostenduntur que contrarij motus, benevolentia, & amor restitutorum. Refutatur etiam causa finalis, id est spes alicuius commodi. Si enim Cæsar periret, actum esset de salute omnium.

Dispositio argumenti.

Propositio. Si est aliqua suspicio insidiarum.

Ratio.

Ratio. *Quæ præponitur propositioni.* *Quia in animis hominum sunt multæ latebræ, & multi recessus.*

Conclusio. *Ergo cura salutem, & tuam & Reip. Est autem argumentum Enthimematicum. Consequentiam probat duabus rationibus. Prima,* nam quis est omnium, *Quia periculum est, in vnius salute, casibus humanis, insidijsq; obiecta, & opposita, salutem Reipub. periclitari. Secunda,* Si vero, *Si enim tu in hæc mala incidisses, Resp. omnino concidisset: hanc enim præter te nemo stabilire potest. Hic autem obserua, rationes præcessisse, conclusionem vero subsequi, quæ tractatur per adhortationem, & consilium.*

Elocutio.

SEd tamen, *periodus est dicolos, exornata concessione ex abundanti, cùm interposita Aetiologia, & metaphoris insignibus, inchoata à Cretico. Spectatur in ea MIVRIA.* Nam quis est, *periodus tricolos, exornata epanaphora, & commoratione: in eadem enim re per idem significantia commoratur. Interpretatione, seu expositione præcedentis sententiæ,* Equidem, *periodus dicolos ornata interpretatione, seu synonimia,* Si vero, *dicolos periodus ornata fictione.* omnia, *periodus tricolos, ornata adhortatione, crebris metaphoris, similiter cadentibus, epiteto,* non fuit, *periodus tricolos, ornata Aetiologia per occupationem, antitetis vt,* facere, prohibuisset, & armatus, togatus. *Post hac est periodus dicolos,* Quæ quidem, *est; epiphonematiki,*

matiki, Allegoria in metaphoris continuatis, quæ sunt frequentiores.

Secunda pars refutationis: *Itaq; illam tuam.*

IN *hac parte Cic refutat vocem Cæsaris, quam crebro vsurpasset, se satis diu vel naturæ vel gloriæ vixisse. Porro hac parte, tres inserit obiectiones. Prima est satis vixi naturæ. Secunda satis etiam gloriæ. Tertia iã diu vixi, quas sigillatim acutissime cum laude Cæsaris refutat. Ad colligenda autem eius refutationes, in qua confutat vocem Cæsaris argumenta, licet hoc caput statuere. An Cæsar sibi satis vixerit; syllogismus quidem Cæsaris, est eiusmodi.*

Quicunq; satis diu vixit, vel naturæ vel gloriæ, is sibi satis vixit.

Sed ego satis vixi, vel naturæ, vel gloriæ.

Ergo mihi satis vixi.

Argumenta vero, quibus Cicero infirmam Cæsaris sententiam reddit, hæc sunt.

Primum argumentum, quo primam obiectionem refutat.

TIbi *satis vixisti, sed non patriæ. Ergo ne appetas mortem: Sed hanc obiectionem cum refutatione duplicauit. primo simpliciter soluẽdo. Secundo*, credo, *per syllogismum qui talis est. Si tibiipsi viueres, satis vixisti. Sed nobis omnibus viuis. Ergo non satis vixisti est q; syllogismus simplex & concisus*, æquitate, *hoc est quod mortem æquo animo, vis tolerare.*

Elocutio.

Elocutio.

ITaque, *Periodus tricolos, quam epitetis laudandi causa adiunctis ornauit, hipophora seu obiectione*, satis, *merismo*, vel naturæ, *Lysi*, satis, *& antipophora cum concessione*, Quare, *periodus monocolos ornata de hortatione*, sæpè enim, *periodus monocolos, ornata periphrasi*, venit enim ad aures meas, *pro audiui, Hipophora*, te idem istud, *Emphasi in particula tibi cum reprehensione*, credo, *syllogismus simplex & concisus ornatus concessione*, credo, *Ablatione*, sed tum id, *distributione*, Si tibi aut. Hic tu, *periodus monocolos ornata ablatione*, non sed, *metaphora*, definies.

Secundum argumentum, quo refutat secundam Cæsaris obiectionem, *Quid si istud ne gloriæ.*

Argumentum hoc quatuor partibus constat.

Propositione. Ibi est parum gloriæ vixisse, vbi aliquid potest esse amplius.

Assumptione. Sed tu in eo statu relicta ciuitate, parum vixisse iudicaberis.

Ratione assumptionis. Quia vera gloria, in Reipub. multorum, magnorumq; opinione est constituta.

Complexione: Ergo relinque Remp. bene institutam: & ita non parum sed satis gloriæ viues.

Quid si, *hic est obiectio*, Quamuis sis sapiens, *sapiens enim laudem non expetit, quæ tamen ipsum vt vmbra corpus comitatur*, Relinquemus, *qui tot*

victoriis

victoriis insignibus, & triumphis ornatus vitæ, immo, *hic ponit solutionem cuius sensus est, cæteris multum, tibi parum esse videtur*, Quicquid enim, *propositio syllogismi per communem sententiam*, quod si, *Assumptio*, si quidem, *ratio Assumptionis ex definitione gloriæ*, hæc igitur, *conclusio argumentationis*, tum te, *hic est adiunctio, qua vtriusque obiectionis, conclusionem coniungit.*

Elocutio.

QVid? si, *obiectionem hanc tractat oratione dissoluta seu membratim, quæ ornata est communicatione, hipophora cum interrogatione*, parum ne igitur, *antipophora dum dicit immo vero*, quicquid enim, *periodus monocolos ornata gnomi*, quod si, *periodus tricolos, ornata erotimi, hoc est ratiocinatione, approbatione*, vide quæso, *suscitatio*, diuina virtus, *epiteton*, gloria est, *definitio cum omioptoto.*

Tertium argumentum, quo tertiam cæsaris obiectionem refutat.

Quid enim est omnino.

REfutationem cum adhortatione in hoc loco persequitur. *Refutatio* quidem in dictis: *adhortatio* vero in excitando Cæsare, ad constituendam Rempub. consumitur.

Dispositio.

Propositio, Non satis diu viuis gloriæ, quam duplicitet

Pliciter probat, per enthymema, & syllogismum.

Enthymema.

Antecedens ibi non est diu, vbi est aliquid extremum.

Ratio, Quod cum, *Quia futura voluptate veniente, præterita nulla est voluptas, Conclusio omissa est, quæ talis esse potest. Ergo tu non satis diu viuis gloriæ.*

Syllogismus porro, in quo est exhortatio, constat quinque partibus.

Propositione, Semper immortalitatis amore flagrasti.

Ratione, Quia hæc est vera vita, ea laude incitari.

Assumptione, Sed laudem maximam apud omnes tibi comparabis, si Romp. bene constitues.

Ratione, Assumptionis, Quia aliter, incertam laudem tibi relinques.

Complexione, Ergo Rempub. constitue, & laudem qua flagras collige. Subiicit posthac conclusionis rationem. Cuius sensus est. Posteri enim de te melius iudicabunt, quanquam, *propositio,* nec vero, *Ratio,* obstupescent, *assumptio,* erit inter eos, *ratio Assumptionis,* serui, *conclusio,* hinc, *hic adhortatio est inserta, vt aptius, Assumptio propositioni connexa esse videatur,* obstupescent, *Assumptio, hoc est omnes laudes tuas celebrabunt,* Rhenum, *fluuium rapidissimum in quo pontem cæsar iunxerat,* Oceanum, *primus enim cæsar per mare oceanum, occidentales homines*

est adortus

est adortus, nempe Britannos, Anglos, Germanos, Nilum, *fluuius Aegypti, hoc est, Etiam orientales tuas laudes prædicabunt,* munera, *quibus afficiebas milites,* triumphos, *quos quinque egit.* 1. *Gallicum.* 2. *Alexandrinum.* 3. *Aphricanum.* 4. *Ponticum.* 5. *Hispanicum. De his vide cæsarem, vel Suetonium, vel Appianum, vel Plutarchum,* sed nisi hæc, *scilicet Remp. bene ordinatam reliqueris,* erit, *Ratio assumptionis,* serui, *conclusio argumentationis quam causa dilatauit,* nam, *ratio conclusionis, Quia illi de te melius iudicabunt.*

Elocutio.

QVid enim est, *periodus tricolos, ornata Aetiologia adhortationis, cum refutatione vocis. Diu* Quanquam, *periodus dicolos ornata correctione, atq; occupatione, qua id quod dixit liberius, laude mitigat,* nec vero, *periodus dicolos ornata Anadiplosi, Epimoni seu commoratione, & traductione, repetitione, similiter desinentibus,* obstupescent, *hic vide orationem incisim prolatam. Estq; in ea assindeton, congeries, & epiteta laudandi causa adiuncta,* Sed nisi hæc *periodus dicolos, ornata remotione atq; correctione concessionis per fictionem, seu denunciationem consequentium, item synonimis seu commoratione, vt vagabitur, Sedem non habebit,* Erit inter, *periodus tricolos ornata merismo seu distributione,* Cum alij *hiperboli,* ad cœlum, *interpretatione, idq; metaphora insigni,* incendium restinxeris, *epiphonemate per digressionem causarum, vt dum dicitur: Illud facti,* serui igitur,

periodus

periodus dicolos, ornata exhortatione: periphrasi posterorum, nam &, *periodus monocolos, ornata Aetiologia cum enumeratione affectuũ, & polysindeto, & antiteto*, id autem, *concludit occupatiuncula, cuius sunt membra duo, ornata concessione ex abundanti*, Etiamsi, *reprehensione* falso, *correctione*, nunc certe *epiphonemate cum metaphora*, obscuritas.

Conclusio Refutationis. *Diuersæ voluntates.*

TRes partes sunt huius conclusionis: *in prima est Repetitio, non solum excusationis ciuilis belli, sed etiam confutationu insidiarum. In secunda cohortatio est seu petitio, vt vitæ & saluti suæ Cæsar consulat. In tertia pollicetur Cæsari omnium nomine, non modo excubias, & custodias: sed etiam laterum, & suorum, & aliorum principum oppositus.*

Dispositio.

Tria præcipuè argumenta, superiorum argumentorum, quibus suspicionem euellere conabatur, repetit.

1. *Argumentum est eiusmodi. Omnes in bello suscepto dissentiebamus. Ergo illo sinito, nemo tibi insidiatur Antecedens ratione*, non enim *& rationis approbatione*, erat enim obscuritas, *dilatat.*

2. *Argumentum. Antecedens*, vicit is, *omnibus pepercit Cæsar. Conclusio*, ingratus. *Ergo nullus ei insidiabitur, omnesq; eum complectentur. Antecedens*, vicit, *verborum copia amplificat.*

3. *Argumentum. Antecedens*, Quia nisi, *Sine te salui esse non possumus. Conclusio*, Quarè. *Ergo*

nullas insidias extimesce: sed potius cura salutem tuam quam & nos diligenter curabimus.

Elocutio.

DIuersæ, *periodus monocolos, ornata purgatione atq; excusatione, metaphora cum interpretatione,* Non enim, *periodus monocolos, ornata Aetiologia cum dirimenti copula,* erat enim, *oratio pneumatiki, membra enim posita & soluta, exornata distributione, epanaphora, assindeto, & omioteleuto,* vicitis, *periodus dicolos, ornata antiteto cum ablatione, & metaphora,* arma ab alijs, *periodus monocolos, ornata distributione victorum,* ingratus est, *periodus dicolos ornata reprehensione, gnomi, seu sententia,* vt etiam, *periodus dicolos ornata amplificatione, per contentionem; similiter definentibus, metaphora,* quæ enim pertinacia, *periodus monocolos exornata antiteto,* sed quia, *periodus tetracolia, ornata metaphora,* fracta, *auxesi,* non solum sed, *amplificatione, similiter cadentibus,* quia nisi, *periodus tricolos, ornata Aetiologia, distributione,* antea hodie, *reditione vt Cum Tum,* Quare, *periodus tetracolia, ornata adhortatione, pollicitatione auxesi,* hortamur obsecramus, *repetitione,* vt, *Synonimis,* vitæ, saluti, *Aetiologia,* quoniam subesse aliquid putas, *Amplificatione,* non modo excubias, sed etiam laterum oppositus. *Aspersa affectu vehementiori.*

PERORA-

PERORATIO, *Sed vt vnde.*

Genus perorationis.

QVoniam perorationis duo sunt genera, enumeratio & amplificatio. Duplex enim in perorando proponitur finis. Memoria scilicet, & motus. Hic enumerationem quidem prætermisit, eo quod non tanta prolixitas orationis esset, vt memoriæ eorum apud quos diceret, diffideret. Loco tamen enumerationis, vtitur reditu ad institutum, hoc est ad Marcelli causam, & gratiarum actionem.

Partes perorationis.

TRes sunt perorationis partes. In prima, redit ad suum institutum. In secunda, gratias Cæsari agit, & omnium senatorũ, & suo nomine, quod Marcellum clementer restituerit, quam amplificat clementia Cæsaris In tertia, adfert tres causas, cur ita studiose pro Marcello laborauit. Prima causa, nam lætari. *Quia omnium salus cum eo est restituta. Secunda*, Quod autem *Quia ego vt semper, ita in hoc negotio, meam præstare beneuolentiam, Marcello debeo. Tertia*, Itaque, *Quia hoc tuo facto, magnus cumulus, ad tua erga me beneficia, accessit.*

Elocutio.

SEd vt, oratio extra periodum posita, ornata epanodo seu reditione ad propositum, maximas, *perio-*

dus tetracolia ornata auxesi, similiter desinentibus. Aetiologia, communicatione, sed quia, *periodus tricolos, ornata lysi occupationis, Aetiologia, enumeratione causarum,* nam lætari, *periodus monocolos, ornata expolitione facli per prosapodosim, hoc est, in distributis suppositam rationem, dirimenti copulatione,* Quod autem, *periodus tetracolia, in qua vide hiperbaton, propter interpositiones longiores. vsus est etiam epitetis, & articulis, & asseueratione,* Itaque *periodus tricolos, ornata demonstratione,* sic tibi, *aphæresi & parrhisi,* non sed, *epiphonemate,* tamen ad tua.

Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium. Job. 28.

INSTYTUT ORSOLINSKI KRAKÓW

Errata quæ inter relegendum deprehensa sunt, ita emendabis. Significat autem primus numerus folium, secundus lineam, siue versum.

Tonabantur *pro conabantur, fol.* 38. *versu* 26.
Catulus, *pro Catulo, fol.* 41. *ver.* 14.
Rattones, *pro rationes, fol* 43. *ver,* 18.
Æthiologia, *pro Aetiologia, fol.* 50. *ver.* 21.
Comunibus, *pro communibus, fol.* 60. *ver.* 14.
Quæstiones, *pro quæstionis, fol.* 61. *ver.* 10.
Alter am, *pro alteram, fol.* 63. *ver.* 14.
Ne im, *pro enim, fol.* 66. *ver.* 23.
Expollitio, *pro expolitio, fol.* 68. *ver.* 1.
Necsaria, *pro necessaria, fol.* 69. *ver.* 28.
Donide, *pro deinde, fol.* 71. *versu* 18.
Auiem, *pro autem, fol.* 76. *ver.* 24.
Aberdat, *pro aberat, fol.* 76. *ver,* 27.
Reppetitionem, *pro repetitionem, fol.* 80. *ver.* 27.
Ehiologia, *pro Aetiologia, fol.* 81. *ver.* 7.
pyratæ, *pro piratæ, fol.* 86. *ver.* 29. *& alijs in locis*
Syperbole, *pro Hyperbole, fol.* 88. *ver.* 6.
Luiui, *pro Liuius, fol.* 90. *ver.* 8.
Pyrates, *pro piratas, fol.* 92. *ver.* 9.
Agellium, *pro A Gellium, fol.* 94. *ver.* 9.
Primo, *pro prima, fol.* 95. *ver.* 27.
Calamitatis, *pro calamitates, fol.* 96. *ver.* 21.
Hoc loci est captus, *inutiliter est positum, fol.* 97. *versu* 24.
Socolon, *pro Isocolon, fol.* 108. *ver.* 25.
Frequentatiores. *pro frequentatio: res enim, fol.* 108. *ver.* 26.

Búam, *pro quam*, *fol.* 111. *ver.* 4.
Reges, *pro regis*, *fol.* 112. *ver.* 11.
Senarſo, *pro ſenario*, *fol.* 119. *ver.* 10.
Commemorabor, *pro commemorabo*, *fol* 123. *v.* 11.
Veſtrum, *pro veſtram*, *fol.* 124. *ver.* 5.
Concluſione, *pro concluſioni*, *fol* 124. *ver.* 7.
Tabula, *pro rabula*, *fol.* 195. *ver.* 4.
Roſciꝰ, *pro Roſci*, *fol* 195. *ver.* 12.
Clare, *pro clara*, *fol.* 202. *ver.* 13.
Aduerſarijs, *pro aduerſarios*, *fol.* 203. *ver.* 16.
Duodecem, *pro duodecim*, *fol.* 204. *ver.* 3.
Cõmuni, *pro communi*, *fol.* 207. *ver.* 22.
Exemplis, *pro exempli*, *fol*, 208. *ver.* 9.
Prabandum, *pro probandum*, *fol* 210. *ver.* 22.
Sermocionatio, *pro ſermocinatio*, *fol.* 211. *ver.* 28.
Aſſumptionis, *pro aſſumptionis*, *fol.* 215. *ver.* 27.
Bello, *pro de bello*, *fol.* 217. *ver.* 18.
Aduerſarios, *pro aduerſarios*, *fol.* 231. *ver.* 22.
Videemus, *pro videamus*, *fol.* 233. *ver* 13.
Tronicè, *pro tronice*, *fol.* 235. *ver.* 23.
Minone, *pro minore*, *fol.* 238. *ver.* 9.
Deffendat, *pro offendat*, *fol.* 244. *ver.* 14.
Eum, *pro in eum*, *fol.* 245. *ver.* 15.
Tecum, *pro tectum*, *fol.* 247. *ver.* 3.
Prohibere, *pro prohiberi fol.* 248. *ver.* 23.
Liberatis, *pro liberabis*, *fol.* 257 *ver.* 5.
Proſitio, *pro propoſitio*, *fol.* 282. *ver.* 18.
Sumus, *pro ſuminus*, *fol.* 282. *ver.* 20.
Serantur, *pro ſeruantur*, *fol.* 285 *ver.* 19.
En, *pro in*, *fol* 288. *ver.* 16.
Peoſonarum, *pro perſonarum*, *fol.* 293. *ver.* 22.

Diceſſu

Discessu, *pro discessus, fol.* 308. *versu* 15.
Læthum, *pro lethum, fol.* 334. *ver. vltimo.*
Interfecerem, *pro interfecerim, fol.* 337. *ver.* 22.
Præstantiore, *pro præstantiora, fol.* 355. *ver.* 6.
Ostendit, *pro ostendat, fol.* 396. *ver.* 1.
Scapti, *pro capti, fol.* 397. *ver.* 11.
Aperie, *pro aperte, fol.* 399. *ver.* 4.
Pepulsaui, *pro propulsaui, fol.* 473. *ver.* 14.
Ergo, *pro ego, fol.* 443. *ver.* 22. *& fol.* 451. *ver. vlti.*
Duobus, *pro duabus, fol.* 479. *ver* 10.
Entemero, *pro Euhemero, fol.* 485. *ver.* 8.
Claudianis, *pro Clodianis, fol.* 524. *ver.* 21.
Prodidit, , *pro perdidit, fol.* 528 *ver.* 7.
Orationem non formare, supernacaneè ponitur, non, *fol.* 538. *ver.* 7.
Ætiologis, *pro Aetiologijs, fol.* 543. *ver. vltimo.*
Coronam, *pro corona fol.* 568. *ver.* 18.
Gentille, *pro gentile, fol.* 568. *ver.* 19.
Nulla, *pro nullas, fol.* 584. *versu* 28.
Narratio? *pro narratio, fol.* 586. *ver.* 9.
Omissæ, *pro omissa sit, fol* 586. *ver,* 10.
Multis, *pro multum, fol.* 588. *ver.* 9.
Eo idem, *pro eodem, fol.* 591. *ver. vltimo, & penultimo.*
Secundo, *pro secunda, fol.* 600. *versu* 2.
Pæne, *pro peane, fol.* 600. *versu.* 2.
Et efferimus, supernacaneè ponitur, &, fol. 601. *versu* 25.
Metaphora, insigni, *pro metaphora insigni, fol.* 608 *versu* 22.

2643



6274

